



Handwritten text in a decorative Gothic script, likely a title or chapter heading, oriented vertically on a textured, light brown background. The text is written in dark blue or black ink and reads: "The History of the Kings of England".







DISSERTATIO HISTORICA
DE SYNODO QVINTA
ŒCVMENICA

IN QVA

Origenis ac Theodori Mopsuesteni Pelagiani erroris
Auctorum iusta damnatio exponitur,

ET

AQVILEIENSE SCHISMA DESCRIBITVR.

AVCTORE

P. M. HENRICO DE NORIS
VERONENSI

AVGVSTINIANO S. THEOLOGIE PROFESSORE,
& S. Romanæ vniuersalis Inquisitionis Qualificatore.



127911



PATAVII.

Typis Petri Mariæ Frambotti Bibliop. 1673.

SVPERIORVM PERMISSV.



INDEX CAPITVM

Dissertationis Historicae de Synodo V.

- PRAEFATIO. **O**ccasio, atque argumentum vniuersi operis. Pag. 1
- Cap. 1. **O**ccasio, atque argumentum vniuersi operis. Noui in Palastina Origenis defensores. Iustinianus Imperator Origenem damnari curat à Vigilio, alijsque Patriarchis. Quo tempore ista contigerint, curiosius indagatur. 3
- Cap. 2. Iustinianus ab Halloix objectionibus asertus. Illius in Theologicis disciplinis eruditio contra vulgarem sententiam demonstratur. Suidæ textus restitutus, ac reprehensus. Origenes iam olim ante Iustiniani tempora ab Ecclesia damnatus, praesertim ab Heraclæ Alexandrino perperam hoc aduersario pernegante. 12
- Cap. 3. Origenistæ trium Capitulorum proscriptionem moliantur. Scribit contra eadem edictum Iustinianus, & obortis dissidijs Synodum Constantinopoli indicendam curat. Pergit eò Vigilius Papa. 18
- Cap. 4. Vigilius Papa iudicatum contra tria capitula scribit. Africani, atque Illyrii acerrime iudicato aduersantur. 28
- Cap. 5. Theodorus Mopsuestia Pelagianus è sacris Diptychis expunctus. Nonnulla de eisdem diptychis adnotantur, & Diptychion Mopsuestenum illustratur. Iustinianus publicat edictum contra tria Capitula, ac Vigilius, & Africanos Episcopos eidem resistentes sauius affligit. Moritur Mennas Patriarcha C. P. 35
- Cap. 6. Eutychius eligitur Patriarcha Constantinopolitanus. Annus obitus S. Datij Mediolanensis statuitur, eaque occasione Procopij de annis belli Gothici anacronismus demonstratur. Origenes Pelagianorum Amasius in Synodo V. Oecumenica damnatur. Halloix ubique falsi conuictus. 51
- Cap. 7. Synodus V. contra tria capitula celebratur. De anno Synodi singularis opinio Christiani Lupi V. C. confutatur. Vigilius Papa Concilij acta scripto Constituto reprobatur. Eualpius, ac Didymus Origenistæ in eadem Synodo damnantur, Halloix perperam negante. 62
- Cap. 8. Vigilius Synodum V. approbat. Eiusdem exilium improbat. De anno obitus Vigiliij Tunnonensis, Sirmondi, aliorumque opiniones reiectæ. Halloix ubique falsitatis conuictus. 73
- Cap. 9. Romanos Pontifices Vigiliij successores Synodum V. approbasse contra Halloix ostenditur, & Aquileiense Schisma describitur. 78
ibid.
- §. 1. De Pelagio primo. 84
- §. 2. Ioannes Tertius Synodum V. approbat. Iustinianus Imperator moritur. De anno obitus eiusdem differitur. Panuini, ac plurium Scriptorum fasti corriguntur. Iustinus successor contra schismaticos mitius agit. Hispani defendunt tria Capitula. 84
- §. 3. Iustinus Narsetem ex Italia reuocat. Schismatici Italia sub Longobardis obstinatione contra Synodum V. Benedictus Papa pro Synodo pugnat. Iustino mortuo succedit Tiberius. De tempore imperij Iustini, Tiberij, ac Mauricij, itemque Praturæ Urbanae, & Monachatus S. Gregorij Papæ disputatur. 89
- §. 4. Schismaticorum Episcoporum Synodus apud Gradum cogitur. Pelagius II. literis, dein per Smaragdum Exarchum eosdem compscere conatur. Plurium Scriptorum de Patriarchis Aquileienses schismaticis dicta corriguntur. Pelagium Vigiliij Constitutum nouisse contra Halloix demonstratur. 96
- §. 5. Sanctus Gregorius Magnus Synodum V. approbat, ac schismaticos Episcopos Istriae compestit. 108
- §. 6. Aquileiensis Ecclesia Quintam denique Synodum recipit. 117
- Cap. 10. Virum ex Schismate ortum traxerit Patriarchatus Aquileiensis. Ecclesiastica Hierarchia diuisio pramittitur. Salmasij opinio reijcitur. Patriarcharum nomen unde, & quinam antiquitus fuerint. De primatu Ecclesie Aquileiensis, Mediolanensis, ac Rauenatis disputatur. Aquileiensis Metropolitæ antiquitas defenditur. Variæ Baronij, Sirmondi, ac Salmasij sententia examinantur. 120
- Cap. 11.



Index Capitulorum.

- Cap. 11. Theodorum Mopsuestenum Pelagianum, ibam, ac Theodoretum Theodori laudatorum contra Synodum V. ex Concilio Chalcedonensis statutis Halloix perperam defendit. 142
- Cap. 12. Origenem de divina gratia rectè sensisse quidam Recentiores falsò docuere. 15
- Cap. 13. Rufinus Origenistarum, ac Pelagianorum Coryphaeus, itemque Eusebius Casareensis Arianus ab Halloix perperam defenduntur. 15

APPENDIX.

- Cap. 1. Probatur S. Augustinum satisfecisse argumentis Iuliani. Sex libri contra eundem Iulianum recens inveniuntur S. Augustino auctori à Synodis attributi. Egregium de eisdem Marij Mercatoris testimonium. 169
- Cap. 2. Cassianus à Semipelagianismo infeliciter à nonnullis vindicatus. Massilienses Semipelagianum à quibusdam iniuste excusati. 176
- Cap. 3. Faustus alter Semi-Pelagianorum Princeps defenditur à Recentioribus, Sancti Patres Fausti damnatores ab eisdem improbari, & hereseos falsò accusati. 182
- Cap. 4. Gennadius Massiliensis Semi-Pelagianus à Recentioribus excusatur. 187



DISSERTATIO HISTORICA DE SYNODO QUINTA OECUMENICA

IN QVA

ORIGENIS, AC THEODORI MOPSVESTENI PELAGIANÆ SCHOLÆ
Doctorem iusta damnatio exponitur, & Aquileiense
Schisma describitur.

P R Æ F A T I O

Occasio, atque argumentum uniuersi operis.



Rigenem Pelagianorum Principem fuisse non modò Patrum testimonia euincunt, verùm etiam id ipsum ex eiusdem libris initio Historiæ Pelagianæ ad oculum nobis monstratum est. Theodorum quoq; Episcopum Mopsuestiæ pro Pelagiano dogmate contra D. Hieronymum, atq; Orthodoxos scripsisse, ac Iulianum Eclanensem ex Italia profugum humaniter excepisse, eumq; nouis ad Augustinum oppugnandum suppetijs instruxisse, quæ harum rerum Scriptoribus incomperta fuerant, ex Photio, & Mario Mercatore libro priori eiusdem operis capite 9. & 22. ostendimus. Vtroq; verò anno 553. à Synodo V. Oecumenica damnato, Pelagianæ scholæ in antiquiorum magistrorum proscriptione infamia paruit, quæ olim cum Pelagio, Celestio, ac Iuliano Catholico Orbe exacta fuerat. Verùm nuper nouus Origenis aduocatus emerfit, qui facta, vt ipse ait, ad Veritatem appellatione antiqua Patrum decreta irridens damnati hominis causam retractare non extimuit, quæ etiam occasione Theodorum Mopsuestenum eodem igne sacro fulguritum defendendum suscepit. Petrus Halloix Leodiensis ingenti apparatu rem aggressus est eo ardentiori erga Adamantium studio, quo potentioribus iste hostibus premebatur. Non lata à Synodo V. contra Origenem, ac Theodorum sententia, non concursus eam in rem Summorum Pontificum consensus hominem ab incepto reuocare potuit, immò, & Synodum ipsam sibilis, ac maledictis per summam temeritatem excepit, & Romanorum Præsulum decreta, ne pili quidem fecit. Synodus V. collatione VIII. canone XI. ait: *Si quis non*

A

anathe-



anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium Apollinarem, Nestorium, Eutychem, & ORIGENEM cum impijs eorum scriptis, & omnes alios hereticos, qui condemnati sunt, & anathematizati à Sancta Dei Catholica, & Apostolica Ecclesia, vel prædictis sanctis quatuor Concilijs, sed & eos, qui similia cum prædictis hereticis sapuerunt aut sapere noscuntur, & usq; ad finem permanserunt in propria impietate, talis anathemata sit. Canone verò XII. Theodori damnationem subdit, in cuius fine ait: Siquis igitur defendit prædictum impijsimum THEODORVM, vel impia eius scripta in quibus tam prædictas, quam & alias innumerabiles blasphemias euomuit aduersus magnum Deum, & Saluatorem nostrum Iesum Christum, & non anathematizat eum, aut dicentes recte eum exposuisse, & eos, qui pro ipso scripserunt, & similia ei sapuerunt, aut pro eo scribunt, vel impia eius scripta, & eos, qui similia ei sapiunt, aut sapuerunt aliquando, & usq; ad finem permanserunt, aut permanent in huiusmodi impietate. TALIS ANATHEMA SIT. Quid hic agit Halloix? Ob damnatos clientes indignatus libro apologiæ 4. quæstione 10. §. 13. exclamat: Perniciosissimi istius Concilij inuito, & reluctante Pontifice coacti, & peracti primus author, & fautor instigante Diabolo fuit Iustinianus. Et §. 12. dixerat: illam Synodum magis ab Ecclesia toleratam esse, ac permissam, (ut solent in quibusdam rebus publicis mala quædam, & peccata permitti grauiorum malorum metu) quam grato, ac volenti animo admissam, & receptam. Apponitur ibidem in margine hoc scholion: Melius fuisset, si Concilium V. nunquam fuisset, nec esset. & §. 21. vociferatur: Quomodo enim Iustiniana Conciliabulum instigante Diabolo concitatum, & confectum potest ulla veneratione dignum? At Synodus Sexta, itemq; Septima Origenem, ac Theodorum a themate percusserunt. Sexta quidem actione 17. in definitione fidei post quatuor priores Synodos commendatas ait: Super has, & ultimæ harum Quinta Sanctæ Synodi, quæ hic congregata est aduersus Theodorum Mopsuestenum, Origenem, Didymum, & Euagrium &c. immutatas quidem in omnibus renouans sanctiones. &c. Septima verò in definitione pariter fidei damnauit Origenis, Didymi, & Euagrii nugas, fabulasque. Hæc tamen sacra fulmina inani ictu cecidisse putat nam respondet §. 23. pag. 390. in margine: Sexta Synodus in errorem tracta est Quinta, & post se traxit Septimam. Verùm Sancti Pontifices Pelagius II. ac Gregorius Magnus, qui paulò post Synodum V. eodem nempe sæculo pontificatum iniere, illam approbarunt. Cede his tandem Halloix, ac per Romanos Pontifices oracula Deo publicante, ne hiscere quidem audeas. Hæc tamen rursus reponere haud illi in religionem venit: Pelagium II. non vidisse Constitutum Vigilij, & falsis Concilij V. actis deceptum. §. 19. pag. 363. Illi verò & successorem S. Gregorium, reliquosq; Pontifices ignorantia socios adiungens §. 21. pag. 374. Non vidit proinde, inquit, non vidit Gregorium Vigilij Constitutum, neq; illi quoq; Pontifices viderunt, qui Gregorium in hac de tribus capitulis opinione secuti sunt. Reliqua sanè, quæ in Sanctam Synodum contumeliosa idem Scriptor per summam audaciam congerit, libens prætereo, ne tanta conuiciorum strue pij Lectoris oculos offendam. Mihi quidem decretum est, Origenem, ac Theodorum Mopsuestenum, quos in historia Pelagiana hæreseos illius magistros fuisse monstrari, iure, ac legitimè in Synodo V. damnatos ostendere. Quæ vt facilius exequi possim, opere pretium duco, eiusdem Synodi historiam paucis contexere, satis enim confusè ab alijs literis mandata est; vnde Halloix illius aggrediendæ consilium audacter quidem, sed non æquè feliciter sumpsit.

CAPVT I.

Novi in Palestina Origenis defensores. Iustinianus Imperator Origenem damnari curat à Vigilio, alijsq; Patriarchis. Quo tempore ista contigerint, curiosius indagatur.

RECTORI Christianæ religionis dogmati Anastasio Imperatore hæretico grauius vulnus illatum fuerat, quàm quod Iustini successoris Orthodoxæ doctrinæ tenacissimi industria citius potuerit sanari. Seuero quidem Antiocheno, & Petro Apameensi damnatis, ac Chalcedonensis Synodi decretis seuerissimis legibus firmatis, plurimi passim ad meliorem frugem reuertebantur. Cæterum Iustiniano postea imperium indepto noua Origenistarum pestis erupit, quæ Palæstinam vniuersam in partes diffraxit, ac Catholicum Orbem longioribus disidijs impleuit. Et quidem circa annum post Seruatoris aduentum quadringentesimum eadem regio varijs in causa Origenis tumultibus afflicta fuit, quibusdam hominem defendentibus, longè pluribus eundem detestantibus, quæ quidem Ecclesiastici Annales exactè describunt, de quibus etiam diximus lib. 1. hist. Pelag. cap. 2. Porro exitialis secta pressa videbatur, mortuis enim Ioanne Hierosolymitano, Rufino Aquilensi, ac Melania seniore magnis Origenis aduocatis, nullus Orthodoxi nominis professor Origeniana paradoxa palam defendere audebat, quando integro postea elapso sæculo eadem superstitio emerfit, & non modò ludæam, Originem eius mali, sed Orbem vniuersum nouis dissensionibus inuoluit; ita diutius sub cinere latitans ignis latè serpente flamma vniuersa absumpturus erupit. Totius conflator incendij à S. Quiriaco Anachoreta, cui de facie probè idem cognitus fuerat, hisce describitur: Nonnus fuit horum malorum primitia, qui cum non ignauum ad hæc administrum inuenisset Leontium Byzantinum, post decessum Beati Patris nostri Sabæ continuò hunc malum morbum seminavit vbiq; in Ecclesia. Apud Surium die 29. Septembris. Hic Sabas cum maximam Lauram condidisset (ita enim desertus locus dispersis, atq; abs se inuicem disiectis cellulis Anachoretis habitatus vocabatur) in Monachorum rigidioris disciplinæ impatientium odium incidit, quare aliò diuertere compulsus est; at Eliæ Patriarchæ mandatis paulò post reuocatus suæ iterum Lauræ præficitur. Verùm illi, quos liuor in sanctissimum virum vrebatur, rotundo agmine discedentes propè torrentem Thecæ deiectas iam olim cellulas restaurantes, alteram Lauram fundarunt, quam etiam Lauram Nouam nuncuparunt. Hos tamen rebelles Monachos magnus Sabas plurimis beneficijs ad obsequium reduxit, Ioanne viro spectatæ virtutis eisdem præposito, qui cum sanctissimè demandatum munus per septennium obiisset, fati concessit. Fertur morti proximus hæc vaticinatus: Ecce veniunt dies, in quibus, qui præsentem locum habitant, desicient à recta fide. Successit Paulus origine Romanus, sub cuius præfectura Nonnus Palæstinus cum Leontio quodam Byzantino Monachum induit. Erat is iamdiu Origenianæ scholæ paradoxis innutritus, statimq; pessimum virus in reliquorum animos instillare cocepit. Cæterum Paulo regiminis pertæso, ac proinde vix sexto præfecturæ mense exacto spontè in Arabiam



Dissertatio Historica

secedente Agapetus Lauræ regimen assumpsit, qui Nonnum vnā cum alijs tribus Monachis Origeniano dogmate infectis è Laura expulit. Nonnus Elias Patriarcha anno 518. decima die post Anastasij Imperatoris mortem defuncto Ioannem successorem adit, rogatq; vt iterum Lauræ restituatur, at Ioannes auditam ab Agapeto facti causam, rationemq; probauit. Agapeto intra quinquennium extincto succedente Mammante homine simplicissimo Nonnus, ac collegæ intra nouam Lauram admittuntur, *malignum quidem morbum adhuc in animis inhabitantem circumsferentes, sed quem metu Sabæ non proferebant, nec ad aliorum aures audebant transmittere.* Horum author venit Cyrillus Scythopolitanus in libro de vita Sabæ apud Surium die 5. Decembris. Sed ficta citò in naturam suam redeunt, haud diu Nonnus praua dogmata dissimulare potuit, sed initio quidem clanculum, postea vbi plurimos sectatores se habere intellexit, metu omni deposito magnus Origenianæ doctrinæ magister palam euasit, & non modò nouæ Lauræ, sed & reliquorum Monachorum animos sectæ adijcere per emissarios curauit, vt ex cap. 11. vitæ S. Quiriaci colligitur. Cæterum Sabas meliores in Orthodoxo dogmate continebat, & quò validiori impetu Nonni machinas frangeret, circa annum 528. corpore licet imbecilli, & ob senectutem iam in curuitatem declinante, erat enim nonagenarius, ex Palæstina Constantinopolim ad Iustinianum Imperatorem profectus Principis opem contra Origenistas iam tota Palæstina ebullientes implorauit, ita verò fertur Imperatorem allocutus: *Arj, Nestorj, & Origenis dogmata conturbant Ecclesias, nec sistent eas pura frui tranquillitate, & ideo à tua potentia magnum est adhibendum studium, vt omnibus viribus ea tollas de medio, & tantum malum procul expellas. Hæc si feceris bonam spem concipio, & in Deo confido fore, vt diues sequatur remuneratio, Romanæq; vniuersa, & Carthago, & quæcunq; amiserunt, qui ante te imperarunt, cernentur rursus partes tui imperij.* Apud memoratum Cyrillum cap. 94. Imperator barbarorum incursionibus repellendis intentus Ecclesiasticis rebus passim iam labentibus haud tam celeriter manum admouere potuit. Anno 531. Saba defuncto Origenistæ fortiùs in Palæstina animos collegere, atq; vniuersam prouinciam in partes trahere pertentant. Inter cæteros Nonni asseclas eminebant Theodorus, ac Domitianus, qui postea ad sacras infulas euecti non vno malo Sabæ Monachos afflixere. Libeat ista à Cyrillo accipere, qui earum calamitatum non modica pars fuit: *Postquam enim, inquit, fuit Ecclesia recens liberata ab hæresibus, & respirauit à longis illis tumultibus, & perturbationibus, quas nempe Seuerus, Petrus Apameensis, atq; Anthimus dederant, & fuit in ea quies, & tranquillitas, malignus in eam rursus inuidum iniiciens oculum mouet aduersus eam quosdam Nonni asseclas, Domitianum inquam, & Theodorum, qui cum iam olim sentirent ea, quæ Origenes, vbi etiam assumpserunt auxilium temporis, & eorum alter quidem Galatarum, Theodorus autem Casarea Cappadociæ creati sunt Antistites, magnam suam ostentant potestatem.* Theodorus à Liberato Diacono cap. 23. vocatur *Origenis defensor*; de altero verò scribit hæc Facundus Hermianensis lib. 1. de tribus capitulis ad Iustinianum cap. 2. *Domitianus Ancyrensis ciuitatis Episcopus prouinciæ primæ Galatiæ, qui fuit Origenianæ hæresis manifestus assertor.* Nonnus horum magni nominis Antistitum suffragijs suffultus Petri Patriarchæ Hierosolymitani animum tentauit, eumq; erga Monachos maximæ Lauræ S. Sabæ concitauit. Non est animus, hic recensere iniuriarum, ac malorum

De Synodo Quintâ.

rum myriadas, quas Origenistæ S. Sabæ Monachis intulerunt, videatur Cyrillus nobis memoratus cap. 106. Certè quicumq; Origenistis contradicebat, Sabaita ignominie causa appellabatur. Quare Monachi maximæ Lauræ communi consilio Gelasium Præfectum ad Iustinianum Principem delegant de illata vi ab Origenistis conquesturum. Ille quidem è vestigio in regiam urbem profectus diuturniorem ibidem moram faciens re infecta abire tandem cogitur, *omnes enim aditus, teste Cyrillo cap. 107. præoccupauerat vitij colophon, qui Nonni sectatorum erat præcipuus, Theodorus, eis diligentibus impositis custodijs, ac speculatoribus, ne per aliquem eorum eis inscientibus ingrederetur Monachus ex Hierosolymis, & Patriarchæ, & Imperatoris aures ad se attraheret.* Itaq; Gelasius ad suos reuertens animi mœrore, ac longioris peregrinationis incommodis fractus extinctus est Amorij. *Cum autem, prosequitur idem cap. 106. hoc resciuissent Nonnus, Theodorus, & Domitianus, & quicumq; erant eiusdem vitij emulatores Georgium, qui ipse quoq; sectam sequebatur Origenis, eius loco Præfectum, & Ducem constituunt, & in diuinissimi Sabæ throno (ò iustitia, & Dei tolerantia!) collocant.* Sed haut diutius Nonno victoria latari licuit, nam paulò post tardæ Numinis vindictæ pœnas dedit miserrimè extinctus; statimq; etiam Georgius turpissimi criminis reus è Sabæ Laura expellitur septimo præfecturæ mense, simulque Cassiano viro integerrimo, qui anno 536. Synodum Constantinopolitanam sub Menna subscripserat, regimen demandatur, qui tamen decimo mense defunctus Cononi locum cessit. Cononi, inquit Cyrillus, post ipsum nempe Cassianum, mandant Monachi præfecturam, mandant verò Deo, vt arbitror, Monachorum animos ad hoc mouente, fuit enim vir ille summè resplendens, & rectis dogmatibus, & omni virtute, & rectè factis; qui etiam in præfectura vsus est magna cura, & diligentia; nam & eos, qui illinc recesserant eiecti ab Origenistis, Patres rursus collegit, et Lauram, quæ à frequentibus illis tumultibus, et bellis hæreticorum iam inclinata fuerat, ingenua mox erexit, ac veluti renouauit. Hic Conon per Pelagium Diaconum Apostolicæ Sedis Apocryfarium Origenem, ac postea in Synodo V. Origenistas, quos inter fuit Theodorus Cappadox, damnandos curauit, vti nobis suo inferius loco describetur.

Hæc quo anno gesta sint, Ecclesiasticæ historiæ scriptoribus incompertum est. Ante cæteros mihi semper nominandus Baronius narratos huc vsq; tumultus recitat anno 532. Num. 29. concludens: *Quod enim hæc ipsa annis singulis haud facile distingui possint, placuit vnâ simul narratione relata prosequi.* Illi tamen certum videtur memorata dissidia contigisse ante annum 537. nam eo anno Num. 28. narrat, Pelagium peracta Zoili Alexandrini Episcopi consecratione ad aulam regiam redeuntem à Monachis Palæstinis libellos contra Origenem ad Iustinianum deferendos accepisse, & anno insequenti Origenem ab Imperatore, & Patriarchis fuisse damnatum. Non adprobo, nam extat locupletissimum contra eam opinionem testimonium. Anno 536. Maio mense celebrata est Constantinopoli Synodus à Menna Patriarcha, cui plures etiam Episcopi Itali interfuere, qui Agapetum Pontificem eò vsque comitati fuerant; porrò in eiusdem subscriptionibus legimus sessiones habitas præsentibus inter reliquos Stephano Diacono, & ambasciatore Sotherici Sanctissimi Episcopi Casarea metropolitani primæ prouinciæ Cappadocum, & Gaiano Presbytero, & ambasciatore Elpidij Sanctissimi Episcopi Ancyranæ Metropolitani primæ Galatiæ. At tempore



ore persecutionis Monachorum Lauræ S. Sabæ erat Episcopus Casaræ Theodoris, & Ancyra Domitianus ex laudati Cyrilli tunc viuentis testimonio; quare post annum 536. cœpta est illa persecutio. Habemus ergo Origenistarum turbas à Theodoro Casareensi, ac Domitiano Ancyrano Nonni affectis post annum 537. excitatas; quo verò sequenti tempore contigerint, ex libello de gestis S. Quiriaci satis apertè mihi colligere videor. Scriptor vitæ illius Sancti Anachoretæ apud Surium die 29. Septembris chronologiam exactam vitæ eiusdem exhibens cap. 3. hæc narrat: *Iam decem, et octo annos natus non quidem anno Magni Leonis, octauo autem Anastasij Hierosolymorum Pontificatus in sanctam ciuitatem venit. Erat annus Epochæ Christianæ 465. nam Leo ad imperium euectus est Constantino, & Ruffo Coss. anno 457. VII. Idus Ianuarij Postea cap. 7. scribit: Venit in Sanctam ciuitatem decem utiq; et octo annos natus, mansit autem nouem apud S. Gerasimum; transiit decem annos in monasterio magni Euthymij. Ministravit autem triginta, et nouem in Laura Suca. Quinque anni præterierunt, dum vesceretur scillis in solitudine Natupha, et totidem alij rursus in Ruba, et quòd ipse septem quidem annis manserit in Susacim iam relatum est. In sancti autem Charitonis spelunca quinque annos degit. Addit deinde decem insuper eundem annos vixisse. Facta ergo temporis supputatione à duodeuiginti annis, quando anno 465. Hierusalem Quiriacus, qui alijs Cyriacus est, primùm venit, ab hinc annis 75. ætatis 93. Christianæ Epochæ 540. in S. Charitonis speluncam se recepit. At cap. 10. hæc legimus: *Mota itaq; misericordia bona illa, & clementia anima Quiriacus rursus descendit ad lauram, & cum ad beati Charitonis cellam quinque transiisset annos vehementissimè decertauit aduersus eos, qui eadem sentiebant, quæ Origenes. Porro dum ibidem Quiriacus versabatur, Cyrillus Scythopolitanus cum literis Ioannis Silentarij ad eundem venit: Literæ autem significabant bellum tunc fuisse suscitatum aduersus sanctam ciuitatem, & eum obsecrabant, ut Deum oraret intensius, ut qui erant in noua Laura cum Nonno, & Leontio, qui Origenis dogmata defendebant, & aduersus rectam fidem militabant, vincerentur. Quiriacus literis perlectis tale Cyrillo responsum dedit: *Dic ei, qui te misit, ne animo angamur, Pater, citò enim videbimus Nonnum quidem, & Leontium vita excessisse miserimè. Ex his palam fit post annum 540. Nonnum graues illas turbas dedisse, ac maximam Lauram S. Sabæ inuasisse, Gelasium illius præfectum ad Imperatorem aditu prohibitum, Georgium Origenistam Monachis Sabæ Abbatem constitutum, ac paulò post Nonnum extinctum. Vnde cap. 13. inquit: *Quoniam autem quando legum Origenis diligens custos Nonnus turpissimo exitu expulit animam, et fractæ fuerunt omnes eorum vires, et cessauit bellum aduersus Orthodoxos, et illi inter se inuicem prælia cierunt, et pericula, multi venientes in antrum Charitonis diuino Quiriaco non paruam exhibebant molestiam eius silentium, et quietem inturbantes. Hunc Quiriacum subscripsisse Synodum Mennæ scribit Baronius in notis ad diem 29. Septembris. At in subscriptione Synodi ita legitur: *Cyricus Diaconus, et Monachus ipsius nouæ Lauræ. Eo verò anno 536. quo habita fuit illa Synodus, S. Quiriacus erat Presbyter, nam cap. 6. vitæ eiusdem scribitur: *Quadragesimo anno ætatis prouehitur ad honorem Presbyteratus, nempe anno 487. etenim anno 465. duodeuiginti annos habebat, ergo ille Cyricus Diaconus alter fuit à S. Quiriaco. Præterea, vt patet ex laudato testimonio, toto septennio ante annum 540. degit Quiriacus in solitudine Susacim, neq; vnquam fuerat Monachus in noua Laura.******

Rur-

Rursus ex tempore consecrationis Zoili Episcopi Alexandrini id ipsum etiã potest confirmari, qua de re cum summi viri Baronius, ac Panuinius in diuersas sententias abierint, hic enim anno 543. ille verò 537. Zoili inaugurationem ponit, id diligentius indagandum est, inde enim damnati Origenis tempus exactè intelligitur. Dioscorum iuniorem anno 517. Alexandrinam sedem indeptum fuisse tradit Victor illius temporis scriptor in Chronico: *Agapito V. C. Cos. Ioannes Alexandrinus Episcopus moritur, & pro eo Dioscorus ordinatur. Theophanes etiam insignis Chronographus anno 26. Anastasij scribit: Hoc anno Ioannes Nicæota Alexandriæ Episcopo hæretico vita functo Dioscorus minor Timothei Eluri nepos Alexandrinus Præsul est institutus. Anno verò sequenti recitat Anastasij Imperatoris mortem, qui obiit anno 518. nona Iulij, cum imperasset annos 27. menses 3. Quare ex Theophane etiam anno 417. Dioscorus Alexandrinæ Ecclesiæ thronum occupauit. Annos illum tres in Episcopatu transiisse S. Nicephorus Patriarcha C-P. idemq; Theophanes scribunt, quibus tamen aliquot menses addendi sunt, nam eiusdem obitum recenset Victor anno 521. Valerio, & Iustiniano Coss. Alexandrinæ Ecclesiæ Dioscoro Episcopo mortuo Timotheus succedit. Theophanes etiam anno tertio Iustini, nempe 521. Dioscoro mortuo Timothei initia recitat, cum anno superiore Vitaliani consulis necem, quæ patrata est anno 520. narraffet. Baronius anno 519. Timotheum sedisse scribit, quòd Liberatus Diaconus cap. 19. narrat, Seuerum Antiochia fuga elapsum Alexandriam cum Iuliano Halicarnasseo se recepisse, addit que: *Eo tempore Alexandriæ mortuo Dioscoro minore Timotheus Ecclesiæ illius suscepit episcopatum, à quo gratisimè suscepti Seuerus, & Iulianus sedebant ad labronem. At Seuerus fugit anno nuncupationis Antiochenæ quingentesimo sexagesimo septimo mense Gorpiao ex Euagrio lib. 4. cap. 4. nempe mense Septembri anno 519. vulgaris Epochæ, & ex literis Dioscori Legati ad Hormisdam Papam datis C-P. Tertio Kal. Iulias Eutharico Cos. anno 519. eodem mense Paulus Antiochiæ Præsul electus fuit, cuius electione intellecta Seuerus Antiochiam reliquit. Verùm Liberatus susceptos à Timotheo Seuerum, ac Iulianum dicit, nempe tum electus fuit Episcopus, non autem cum isti Alexandriam primùm peruenere, etenim tum temporis sedisse Dioscorum his testatur Theophanes: *Eo nuncio accepto fugit Seuerus, ac pariter Iulianus Halicarnassi Episcopus, & Dioscoro Alexandrinum adhuc Episcopatum administrante in Ægyptum profecti &c. Anno itaque 521. Timotheus Alexandrinam Ecclesiam gubernandam suscepit. Hormisdæ quidem Pontifex anno 519. scripserat Dioscoro ipsius ad Iustinum Legato, velle se eidem ab Imperatore Alexandrinam sedem impetrare, erat enim Dioscorus patria Alexandrinus; legatur epistola 54. Hormisdæ. Ex quibus mihi probatur, tunc non sedisse Alexandriæ Asterium Catholicorum Episcopum, cuius neque vllam mentionem faciunt Theophanes, nec Tunonensis, nec Liberatus in Breuiario, nec Leontius in libro de sectis act. 5. qui duo Scriptores Alexandrinorum Episcoporum seriem diligentissimè concinnarunt. Huc tamen Asterium vnà cum Timotheo sedisse sub Iustino ex actis S. Arethæ Martyris colligit Baronius, quorum fides confirmari videtur ex Nonnosi excerptis apud Photium Cod. 3. Castiganda tamen hic est narratio Ricciolij Reformatoris Chronologiæ, qui tomo 3. catalogo IX. in elencho Patriarcharum Alexandrinæ Ecclesiæ pag. 17. hæc de Asterio scripsit: *Asterius Catholicus iussu Iusti-****

Anno
543.

Justiniani Imperatoris datus Catholicis *vino adhuc Timotheo, eiq; adherentibus hereticis* sed iure 15. annos. Hunc ibidem electum ponit anno 535. Acta S. Arethae & Sociorum apud Surium die 24. Octobris hoc initium habent: *Instabat quinquagesimus annus, ex quo Iustinus acceperat sceptrum Romani imperij.* Quintus Iustini annus incepit 9. Iulij Epochae Christianae 522. quo anno Asterio Alexandrino Episcopo Martyres illi passi dicuntur. Non ergo à Iustiniano Arethas Alexandrinis sacris praepositus fuit. Quod addit sedisse illum annos 15. iure, falsum est, nam mortuus fuisset Asterius anno 550. Cum tamen ibidem asserat Paulum Catholicum anno 536. iussu Iustiniani electum fuisse Alexandriae Antistitem, & sequenti 537. Zoilum item Catholicum; cur enim viuento Asterio viro Orthodoxo suppares Episcopos Iustinianus dedisset? Sed ad Timotheum redeo, Hunc sedisse annos decem, & septem Theophanes affirmat, totidem eidem annos assignat S. Nicephorus Patriarcha: ergo moritur anno 538. Exatè itaq; Victor in Chronico scribit: *Ioanne V. C. Cos. Alexandrinae Ecclesiae Timotheo mortuo, qui Dioscuro minori successerat, duo populi electione peruersi ordinantur uno die Episcopi Theodosius, & Gaianus.* Atq; hoc pacto & Victor septemdecim Timotheo annos tribuit. Fuerat Theodosius Timothei Archidiaconus Gaianus verò à sacris orationibus ex Leontio actione 5. libri de Sectis. Hoc Schisma eruditè narrat Liberatus, qui tunc viuebat, cap. 20. sui Breuiarij, quod eo anno 538. contigisse confirmat Theophanes, qui Gaiani initia statuit anno Iustiniani XI. qui cum parte eiusdem anni concurrat. Author est Liberatus, Theodosio causam adiudicatam fuisse in exilium Gaiano deportato post dies centum, & tres à suscepto Episcopatu. At post duos menses Theodora Augusta Narsetem summa cum potestate Alexandriam destinavit, vt suscitatos contra Theodosium tumultus compesceret. Theodosius cum mansisset in sede anno vno menses quatuor paucis ei communicantibus Alexandria profectus Constantinopolim venit, vbi cum nullatenus Chalcedonensem Synodum recipere vellet, Theodora mitius exilium deprecante sexto ab vrbe regia miliario in basilicam viae ad Stemapontem infidentem relegatus est. Hinc rectè Victor, Nicephorus, ac Theophanes duos Episcopatus annos Theodosio concedunt; anno ergo 540. depositus est. Victor Theodosium exilio multatum scribit *Iustino Consule*, eo inquam anno 540. Hoc ipsum ex literis Vigilij Papae confirmatur, qui respondens Mennae Constantinopolitano Antistiti confirmat latum ab eodem anathema in Theodosium Alexandrinum, aliosq; Seueri, ac Petri Apameensis sectatores. Datae sunt literae Vigilij XV. Kal. Octobris Iustino V. C. Consule.

Interea Paulus Tabennensiotarum Monachorum Abbas Constantinopolim venerat Iustiniani opem imploraturus; monachi enim, quibus praerat, palam eundem despiciebant, nullaue ratione ad officium reuocari poterant. At diuino nutu, inquit Liberatus cap. 23. *cathedram vacantem inueniens meruit per Pelagium Diaconum Vigilij Papae Apocryfarium Alexandriae Episcopatum.* Haec electio contigit Basilio V. C. Cos. anno 541. ex Tunonensi: *Alexandrinae*, inquit, *Ecclesiae Theodosio, atq; Gaiano exulatis Paulus praepositus Tabennensiotarum Monachorum à defensoribus Synodi Chalcedonensis ordinatur Episcopus.* Theophanes in tabulis Chronologicis Pauli Patriarchae initia recitat anno Iustiniani XIV. qui cum anno nostrae Epochae 541. concurrat. Paulo Nicephorus, ac Theophanes

pha-

phanes duos sacrae praefecturae annos assignant, Baronius vnum tribuit, sed sine teste. Et hic quidem Pauli electionem ad annum 536. collocat, quod Liberatus cap. 23. illius electione recitata pacem Ecclesiae datam affirmat anno X. Iustiniani. Sed plures codices annum non recitant, & certè Baronius ad annum eundem Num. 118. cum annum nullo numero signatum legeret addidit decimo: *ita*, inquit, *supplendum ex rebus gestis superius enarratis.* Sed si annus decimus in vetustioribus codicibus habeatur, Liberatus non ad Alexandrinam Ecclesiam, sed ad Orientalem respexit damnatis Seuero, vt ibidem notat, atq; Anthimo in Synodo Constantinopolitana à Menna Patriarcha, & postea ab Imperatore, & Petro etiam Hierosolymitano in Concilio prouinciali. Vir clarissimus statuit initia Vigilij Papae anno 537. At Liberatus scribit eo ipso loco: *Paulus ordinatus est à Menna Constantinopoli presente Pelagio responsario Vigilij.* Quare Vigilio Pontifice Paulus consecratus fuit. Ceterum paulò post, cum idem Paulus in homicidij suspicionem venisset, missus à Principe cum literis Pelagio Diacono à Patriarchis Antiochia, & Hierosolymorum, itemq; Hypatio Ephesino depositus fuit Zoilo Alexandrinis sacris praeposito. Res Gazae in Palaestina peracta est anno 543. Certè Zoilo septem sacrae praefecturae anni tribuuntur à Nicephoro, & Theophane, cum verò anno 551. depositus fuerit Apollinare subrogato, vt constat ex literis Vigilij Papae, in quibus legitur anathema contra Theodorum Cappadocem latum, vt ad eum annum diceamus, datae enim sunt literae anno P. C. Basilij X. die 14. Augusti, eiusdem Zoili inauguratio citra annum 543. retrahi nequit. Electionem, ac depositionem postea Pauli Alexandrini praeter Liberatum recitat etiam Procopius in arcana historia pag. 120. additq; nonnulla, ex quibus & Ecclesiastici annales suppleri possunt, & tempus depositionis eiusdem faciliùs intelligi. *Paulus*, inquit, *haud diu fuit, cum Byzantium appulit rogaturus Imperatorem, & pondo septies centum auri oblaturus, vt in sacerdotium restitueretur &c. Nemini iam dubium erat, quin Sacerdotium Paulus esset consecuturus. Verum enim verò Principi id imperanti haud quam Vigilij, qui per id tempus Byzantij versabatur, concedendum censuit, neq; de sententia à se nimirum per Pelagium lata decedendum.* Quare si Paulus dignitate priuatus paulò post Byzantium venit, nequaquam tamen voti compos euasit Vigilio resistente, manifestum est, integrum decennium non intercessisse, sed tres circiter, aut quatuor annos Vigilio initio fere anni 547. Byzantium appulso, à quo Paulus repulsam tulit. Interim corrigendus venit Bollandus innotis ad vitam S. Ioannis Eleemosinarij die 23. Ianuarij, vbi S. 3. num. 14. dicit Zoilum anno 538. electum, ac sedisse annos septem, quod falsum esse constabit ex literis modò laudatis, quarum testimonia ad annum 551. dabimus, & ex Facundo Hermianensi insigni illius aetatis scriptore, qui lib. 4. cap. 4. scribit: *Zoilus quoq; Alexandrinae Urbis Antistes cum Romanum Episcopum venire cognosceret obuiam illi ad Siciliam misit, conquerens necessitate se ad ipsius decreti affirmationem fuisse compulsus; Quod hic ei nempe Constantinopoli Romanus Episcopus in facie palam nobis quoq; inter alios presentibus, exprobrauit.* Ecce oculati testis assertione Zoilus anno 547. quo Vigilij Papa Constantinopolim venit, Alexandrinam Ecclesiam gubernabat. Vnde Reformator Chronologiae audiendus non est, qui Zoilum consecratum ait anno 537. atq; eodem ipso anno deiectum Apollinare subrogato, cui annos XXIII. Episcopatus fingit, cum Ni-

B

cepho-



cephorus, ac Theophanes XIX. tantum assignent, nam mortuus est anno 570. cum anno 551. in Zoili locum substitutus fuisset. Improbum laborem assumerem, si vellem, vel vnus catalogi huiusce Reformatæ Chronologiæ errores corrigere. Certè in Baronio legere poterat, Zoilum vsq; ad annum 551. Alexandrinam Ecclesiam rexisse. At annos ex arbitrio addere, demere, sine teste, sine tabulis haud equidem, credas velim, est reformasse, sed deformasse Chronologiam. Itaq; Zoilus anno 543. consecratur Episcopus, quæ erat eruditissimi Panuinij mei sententia, quam pluribus illustrium Scriptorum testimonijs illustrauimus.

Pelagius Zoili consecratione peracta Constantinopolim rediens obuios quosdam Palæstinos Monachos habuit, qui libellos contra Origenem, ac sectatores ad Principem deferentes Pelagij operam etiam atq; etiam rogarunt. Ille quidem lubenti animo rei manum admouit, nam eo pacto Theodori magni Origenistarum patroni potentiam, atq; existimationem, qua plurimum apud Principem pollebat, deprimendam sperabat. Scribit Liberatus cap. 23. *Igitur Pelagius amulus existens Theodoro Casareæ Cappadociæ Episcopo volens ei nocere, eò quod esset Origenis defensor, vnà cum Menna Archiepiscopo Constantinopolitano flagitabat à Principe, vt iuberet fieri, quod illi Monachi supplicabant, vt Origenes damnaretur cum ipsis capitulis talia docentibus.* Iustinianus Ecclesiasticis causis libenter se se immiscebat, præsertim cum nihil antiquius haberet, quàm hæresibus eliminatis pacem, ac tranquillitatem Ecclesiæ donare; vnde & plurima eiusdem edicta contra plerosq; Hæresiarchas leguntur. Et quidem plusquam Laicum deceret, sacris disputationibus vel per multam noctem incumbere; quare haud difficulter Monachorum postulatibus Mennæ, ac Pelagij hortatione accedente aures dedit: *Annuuit, inquit Liberatus, Imperator facillimè, gaudens se de talibus causis iudicium ferre. Iubente eo dictata est in Origenem, & in illa capitula anathematis damnatio, quam subscribentes vnà cum Menna Archiepiscopo apud Constantinopolim reperti, deinde directæ est Vigilio Romano Episcopo, Zoilo Alexandrino, Euphemio Antiocheno, & Petro Hierosolymitano: Quibus eam accipientibus, & subscribentibus, Origenes damnatus est mortuus, qui viuens fuerat ante damnatus.* Encyclicam ergo epistolam scripsit Iustinianus ad quinque Orbis Patriarchas, quam Ecclesiasticis annalibus magnus Historicus inseruit anno 538. pag. 281. Illius autem hoc exordium fuit: *Nobis semper studio fuit, atq; etiam nunc est, rectam, & irreprehensibilem Christianorum fidem, statumq; sanctissimum Dei Catholice, & Apostolicæ Ecclesiæ perturbationum expertem vsquequaq; custodiri. Hæc nobis prima, & antiquissima cura est, per quam & nobis in presenti sæculo imperium à Deo traditum esse, & conseruari credimus, & Reipublicæ nostræ inimicos subdi, & in sæculo futuro misericordiam in conspectu bonitatis eius nos adepturos speramus.* Postea: *Ad nos allatum est nonnullos Dei metum in animo non habentes, nec rectæ doctrinæ discrimen tenentes, quo saluatur quicumq; veritatem cognoscit, relictis diuinis scripturis, Sanctisque Patribus, quos Catholica Dei Ecclesia Doctores habet, per quos omnis vbiq; hæresis expulsa est, fides verò Orthodoxa declarata, Origenem, eiusq; dogmata Paganorum, & Arianorum, & Manicheorum erroribus affinia asserere, per quæ ille in foueam incidit.* Inde eiusdem errores de mysterio Trinitatis, de animarum præexistentia, de anima Christi, alijsq; de rebus refert, ac Sanctorum Patrum testimonijs eisdem impugnat; illorum verò summarium continetur in nouem canonibus,

quos

quos epistolæ subijcit, eosq; nuper eruditissimis notis illustrauit meus Lupus Doctor, ac Professor Louaniensis in commentarijs ad Synodum V. subdit ibidem Imperator: *Hanc epistolam ad tuam Beatitudinem dedimus, qua eam hortamur, vt omnium, qui in hac regia Vrbe nunc degunt, sanctissimorum Episcoporum conuentum habeat, ac Deo amabilissimorum præfectorum sanctis, quæ hic sunt, monasterijs, faciatq; vt omnes in scriptis præfatum impium, ac Deo repugnantem Origenem, qui & Adamantius, quique Presbyter fuit sanctissimæ Ecclesiæ Alexandrinæ, & eius nefaria, impiaq; dogmata, capitulaque, quæ inferius ponuntur, omnimodis anathematizet. Iubet insuper: Ne aliter ordinentur Episcopi, aut Monasteriorum Hegumeni, nisi prius cum alijs omnibus hereticis, qui de more in libellis anathematizantur (eos ibi recenset) prædictum etiam Origenem, qui Paganorum, Arianorumq; insania laborauit, vnà cum execrabilibus, impijsq; eius dogmatibus anathematizent.* Et tandem ait: *Hæc porro eadem scripsimus non solum ad Sanctitatem tuam, sed etiam ad sanctissimum, & beatissimum Papam senioris Romæ, & Patriarcham Vigilium, & ad ceteros omnes Sanctissimos Episcopos, & Patriarchas idest Alexandriæ, Theopoleos, & Hierosolymorum.* Hanc epistolam mille maledictis excepit recens Origenis aduocatus, cuius diæteria capite sequenti refellam. Vbi hæc epistola publicata fuit, atq; teste Liberato à Vigilio Papa, ac cum reliquis Patriarchis etiam à Petro Hierosolymitano subscripta, Origenis nomen nouam infamiam subiit, eodem inter damnatorum capita relato. De hac Origenis damnatione tunc viuens Facundus Hermianensis lib. 1. ad Iustinianum Imperatorem cap. 2. scribit: *Inuenit autem desideratam occasionem ex furore quorundam, qui sub nomine Christiano latenter in Ecclesia gentile Origenis dogma sectantur; Et quia per instantiam tuæ religionis eiusdem profani dogmatis iterata damnatio est &c.* Quibus doctissimus Antistes autem etiam Origenem damnatum fuisse declarat.

Hoc pacto Monachi Palæstini ad suos victores reuersi Petro Patriarcha adnitente Origenistarum vires fregere expulsis his, qui damnato homini obstinati adhærebant. Hæc quidem accidere S. Quiriaco adhuc in antro S. Charitonis degente, nam cap. 13. vitæ eiusdem hæc leguntur: *Quoniam autem quando legum Origenis diligens custos Nonnus turpissimo exitu expulit animam, & fractæ fuerunt omnes eorum vires, & cessauit bellum aduersus Orthodoxos, & illi inter se inuicem prælia ceterunt, & pericula, multi venientes in antrum Charitonis diuino Quiriaco non paruum exhibebant molestiam eius silentium, & quietem inturbantes.* Etenim Theodorus, Domitianus, ac reliqui Origenianæ factionis Duces paulò post Origenis damnationem procurata à Iustiniano trium capitulorum proscriptio in pericula se coniecere, ac grauissimis dissensionibus afflicti sunt, vt suo inferius loco explicabimus. Monachi autem nouæ Lauræ, vbi Nonnus, ac Leontius Origenianæ scholæ cathedram erexerant, detestanda obstinatione damnatæ doctrinæ inhæserunt, donec anno 554. à Laura expulsi sanctioris dogmatis cultoribus locum dedere, vt eo anno nobis memorabitur. Hanc celebrem Origenis damnationem vbiq; à Patriarchis publicatam Baronius anno 538. recenset, sed circa annum 543. ex chronologica dissertatione de Zoili Alexandrini Episcopi initijs contigisse luculenter probatum est.

B 2

C A-



Iustinianus ab Halloix obiectionibus assertus. Illius in Theologicis disciplinis eruditio contra vulgarem sententiam demonstratur. Suidæ textus restitutus, ac reprehensus. Origenes iam olim ante Iustiniani tempora ab Ecclesia damnatus, praesertim ab Heracla Alexandrino perperam hoc aduersario pernegante.

TAm graue vulnus Origenianæ doctrinæ per epistolam illam inlatum est, ut Sectarij remedijs quibusq; desperatis ad ultionem animum verterint, quod capite sequenti monstrabitur; neq; enim vllus ausus est pro Origene contra Orbis Orthodoxi sententiam stare. At nudius tertius Leodiensis Aduocatus erupit, qui Iustiniani epistolam censoria virga percutere haud extimuit, dicens eandem à Patre mendacij dictatam. lib. 4. apol. quæst. 10. pag. 383 vsurpasse illum, quæ Ecclesiæ, & Episcoporum sunt propria. pag. 387. addit, subscripserintne Patriarchæ? incertum est. Est illi pag. 344. S. 2. Iustinianus Imperator homo rudis, & illiteratus, quamuis fame eruditionis ambitiosissimus. Et à pag. 384. pluribus mendacijs epistolam illam refertam esse contendit, notans in eadem etiam pag. 385. mendacium mendaciorum. In primis constat morem fuisse antiquitus, vt Imperatores contra Hæreticos sacras publicarent. Hinc Synodus VI. act. XVIII. ita Imperatorem Flauium Constantinum Pogonatum allocuta est: *His quæ à nobis gesta sunt, signaculum tribue, vestram inscribito imperialem ratihabitionem, & per edicta diuina, atq; per pias constitutiones EX MORE eorum omnium firmitatem, quatenus nullus his, quæ gesta sunt, aut contradicat, nouamue quæstionem machinetur.* Quantum verò Romanæ Ecclesiæ Iustiniani edicta probata fuerint, non vno testimonio demonstratur. Nobilissimum extat act. 4. VI. Synodi, vbi S. Agatho Papa hæc ad Imperatorem scribit: *Præ omnibus emulatore veræ, & Apostolicæ fidei piæ memoriæ Iustinianus Augustus, cuius fidei reuerentia quantum profincera confessione Deo placuit, tantum Rempublicam Christianam exaltauit. Et utique ab omnibus gentibus eius religiosa memoria ueneratione digna censetur, cuius fidei reuerentia do per AVGVSTISSIMA EIVS EDICTA in toto Orbe diffusa laudatur, quorum vnum, quod ad Zoilum Alexandrinum Presulem aduersus Acephalorum hæresim missum est. &c.* Hæc inter edicta non vltimo loco illud reponitur, quod contra Origenem vulgavit.

Sanctionem illam contra Origenem Mennas, ac Pelagius Apostolicæ Sedis Legatus, qui postea Pontifex fuit, cum alijs doctissimis viris procuderunt; illi enim Iustinianum ad eandem scribendam, vulgandamq; hortati sunt; quare ea in re Imperator & Patriarchæ C. P. & Apostolicæ Sedis Legato morem gessit. Vitio vertit Iustiniano aduersarius, quod vsurpauit, quæ Ecclesiæ, & Episcoporum sunt propria. At Vigilus Papa legens edictum Iustiniani, quo anno 540. cum Seuero, Petro Apameensi, ac Zoara etiam Theodosium Alexandrinum damnabat, Imperatoris scriptum non modò laudauit, verum etiam ob id gratias Deo agendas fassus est: *Nos in Domino, inquit, nimium conuenit gloriari, quod non imperialem solum, sed Sacerdotalem vobis animum concedere sua miseratione dignatus est.* Illa edicta adhibitis in consiliu doctissimis Episcopis Princeps componebat, vnde hæc ad Iustinianum scribebat Ioannes II. Papa: *Fidelibus popu-*

lis

lis proposuitis edictum amore fidei pro submouenda hæreticorum intentione secundum Apostolicam doctrinam, & fratrum, & Coepiscoporum nostrorum interueniente consensu. Plenæ sunt huiusmodi edictis ab Imperatoribus emisiss Ecclesiasticæ historiæ. Iustinianus, cum Seueri, Petri Apameensis, Zoaræ, atq; Anthimi causa tractanda esset, non quidem per se, sed in Synodo anno 536. Constantinopoli coacta eisdem damnandos curauit. Hæretici Mennæ sententia damnati sunt mense Maio die 21. sanctio autem aduersus eosdem emissa est à Iustiniano VIII. Idus Augusti data ad Mennam Patriarcham, quæ incipit: *Rem non insolitam imperio, & nos facientes ad presentem venimus legem, &c.* vbi ait hæreticis à Synodo damnatis, *toties imperium eiusdem sententiæ, & ordinationis cum Sacerdotum auctoritate fuit.* At in causa Origenis nihil diligentiori cura indagandum erat, res enim nota erat, Origenem scilicet iam olim ab Ecclesia fuisse damnatum. Vnde Imperator latam contra Origenem sententiam recenti edicto confirmauit, nec ea, quæ Episcoporum sunt propria, vsurpauit, sed Sanctorum Antistitum, quos ea in epistola laudat, exemplum secutus Adamantio nigrum theta præfixit.

Quod verò reponit Halloix, incertum esse, an Patriarchæ memoratam epistolam subscripserint, si phrasi ipsi familiari vti vellemus, mendacium mendaciorum dicendum foret, sed acerbiora dicta procul esse volumus, ac mitissimè semper loqui. Verba Liberati Diaconi repetimus in fine cap. 23. *Iubente eo Iustiniano dictata est in Origenem, & in illa capitula anathematis damnatio, quam subscribentes vnà cum Menna Archiepiscopo apud Constantinopolim reperti, deinde dicta est Vigilio Romano Episcopo, Zoilo Alexandrino, Eufemio Anthiocheno, & Petro Hierosolymitano, QUIBUS EAM ACCIPIENTIBVS, AC SVBSCRIBENTIBVS Origenes damnatus est mortuus, qui viuus olim fuerat ante damnatus.* Quo luculento tunc viuentis Diaconi testimonio probatur, omnes Patriarchas latam contra Origenem à Iustiniano legem subscripsisse, eamq; ex consequenti ab vniuerso Orbe receptam, ac miro consensu laudatam. Audio quid dicat pag. 382. *Liberatum contra Origenem ex praua informatione secus, quam oportuisset, conscripsisse.* Erras, qui alium errantem facis. Patriarchæ sacras diuales ad omnes Metropolitans suæ Diocesis mittebant, quare encyclicas Principis literas Vigilus in Africam ad Reparatum Metropolitam, ac Primatem Carthaginensem misit; vnde optimè easdem nouit Liberatus ipsius Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, atq; historicus insignis. Sed age, Liberatus homo Africanus licet tunc superstes nescierit, quid Romæ de Origene à Vigilio decretum fuerit, dabo supparem testem illius ætatis Senatorem nobilissimum, Scriptorem celeberrimum, ac tandem Sanctissimum Monachum, Casiodorum ex titulis habes, qui lib. de diu. lect. cap. 1. de tuo Origene scribit: *Hunc licet tot Patrum impugnet auctoritas, presenti tamen tempore ET A VIGILIO Beatissimo Papa denuò CONSTAT ESSE DAMNATVM.* Halloix tamen quæst. 10. S. 19. pag. 363. vociferatur, *falsum esse, quod quidam scriptores iactitarunt, Origenem à Vigilio Papa fuisse condemnatum.* Aut hic, aut Casiodorus falsi reus est; at Casiodorus sub Vigilio vixit, ac disertis verbis testatur, sibi *CONSTARE* Origenem à Vigilio esse damnatum. Hinc in V. Synodo Iustinianus cum Origenistarum causa tractanda foret, libellis Monachorum contra Origenem ea, quæ ad Vigilium de illis scripta erant, adiunxit. Horum author est Eua-

grius



grius lib. 4. cap. 38. Ex Vigilij facto, quid post Iustiniani epistolam alij Patriarchæ decreuerint, satis liquet, nobis Romani Pontificis sententia indignanda fuit. Certè Eustochius Patriarcha Hierosolymitanus Monachos nouæ Lauræ, in qua Origenis dogmata in precio habebantur teste Euagrio laudato, quod etiam capite superiori pluribus ostensum est, expulit, ac extra Palæstinam eiecit. Imò Macarius eiusdem decessor ante quintam Synodum depositus fuit, dicebant enim cum Origenis amplecti dogmata, quæ ante Euagrium illius sæculi Scriptorem Tunonensis in Chronico affirmavit. At Monachos Origenistas non ante, sed post Synodum V. expulsos fuisse testatur Cyrillus Scythopolitanus, qui illis eiectis anno 554. statim nouam Lauram ingressus fuit, vt tradit in fine libri de vita Euthymij.

Vellicat aduersarius Iustiniani inscitiam, quòd nempe *homorudis*, & *illiteratus* ausus sit contra doctissimum Origenem edictum condere. Ex Baronio illa desumpsit, qui ad annum 528. Num. 2. de Iustiniano hæc scripserat: *Cum ipse homo fuerit penitus illiteratus adeo, ut nec alphabetum aliquando didicisset, cuius rei gratia, vt inquit Suidas, dictus est analphabetus.* Quæ cum secundis curis in posteriori editione idem Cardinalis anno eodem Num. 3. correxisset, anno tamen 551. Num. 4. contra Theodorum Cappadocem inuehitur, quòd Iustiniani lateri assistens fecit *analphabetum Imperatorem palliatum semper apparere Theologum, atque de dogmatibus acutissimè disputare, qui nusquam legere sciuerit vel ipsum foris inscriptum sacrorum titulum librorum.* Quæ quidem licet in vtraque editione legantur, eadem tamen spongia, qua priora illa ad annum 528. delenda sunt. Sanè plures, nec ignobiles iuris consulti ex deprauato Suidæ codice in eam opinionem descendere, vt putauerint, Iustinianum reapse fuisse omnium literarum rudem. Fateor Suidam editum Mediolani Iustinianum exhibere *analphabetum*; in Codice tamen Vaticano Num. 3. pag. 47. habetur pro Iustiniano *Iouinus Iustinus*, & quidem res à Procopio extra dubium ponitur, qui pag. 28. arcana historiarum de Iustino, à quo Iustinianus nepos imperium accepit, hæc scribit: *Quod Romanis ante hac non euenit, adeo literarum expers, & quod dicitur analphabetus.* Vnde tradit Procopius ibidem hoc pacto à Iustino libellos subscribi solitos. Perpolitæ tabellæ primis quatuor sui nominis literis incis, eademq; tabella libello superposita calamus atramento imperatorio tinctus Iustino in manum tradebatur, quâ alij præhensantes, & per tabellæ incisuras circumagentes paginas subsignabant. Scribit Procopius hoc à Magistratu, cuius id muneris erat, inuentum. Tum temporis etiam Theodericus magnus ille Gothorum Rex omnium literarum planè expers ante Iustini initia iamdiu in Italia regnans eodem prorsus modo libellos subscribebat. Id testatur antiquissimus Scriptor Anonymus editus ab Henrico Valesio V. C. in calce Ammiani Marcellini: *Igitur, inquit, Rex Theodericus inlitteratus erat, & sic obruto sensu, vt in decem annos Regni sui quatuor literas subscriptionis edicti sui discere nullatenus potuisset. De qua re laminam auream iussit interrasilem fieri quatuor literas Regis habentem, unde vt, si subscribere voluisset, posita lamina super chartam per eam pennam duceret, & subscriptio eius tantum videretur.* Mortuus est Theodericus anno 526. die 2. Septembris, anno verò sequenti etiam Iustinus decessit. Ita duo potentissimi, ac felicissimi Principes absque vlllo literarum præsidio gentibus iura dabant, qui tamen doctissimorum hominum opera utebantur,

Cassio-

Cassiodorus Theodorico aderat, Iustino verò ij, qui paulò post sub Iustiniano leges in summam redegere. Et quidem Suidam de Iustiniano non loqui vel ex contextu colligitur, ille enim hæc in editis codicibus scribit: *Iustinianus Romanorum Imperator rectissimè sentiens de religione, fuit autem omnium literarum imperitus, & quod vulgò dicitur analphabetus. Hic & aureum triclinium in Palatio condidit, & S. Paulum, quod est Orphanotrophium. Auxit etiam de Imperatore Iustino opinionem &c.* At Procopius in libro primo de ædificijs Iustiniani opera Constantinopoli excitatis ne verbum quidem habet de ædificato ab eodem Imperatore Orphanotrophio. Fuit hoc opus Iustini iunioris, qui Iustiniano successit, de quo scribit ex Cedreno Georgius Codinus de Originibus C-P. *Orphanotrophium S. Pauli sempiternæ memorie Imperator Iustinus cum Sophia uxore ædificauit.* Theophanes septimo Iustini II. anno, nempe 573. Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli Orphanotrophium ædificatum ponit. Quare Suidas vtrumq; Iustinum confundit, & ex deprauatis codicibus vterq; Iustinus in Iustinianum conuertitur.

Iam verò Iustiniani sapientia nobis demonstranda est, cum præsertim audiam Baronium anno 538. monentem: *Eam itaq; constitutionem contra Origenem cum tu legis, non Iustiniani legere nescientis lucubrationem existima, sed Menne, atq; Pelagij.* Et sanè quantum in liberalibus artibus idem Princeps profecerit, atq; illas exactè calluerit, pluribus ostendit Alemannus vir eruditissimus, meum est, qui sacra tracto, monstrare, quantum ille Theologiae studiosus fuerit. Antequam imperium capesceret, ob illam assertionem, *Vnus è Trinitate passus est*, plures ad Hormisdam literas dedit, atq; ea de re cum Scythiæ Monachis litigauit, & obortis sub id temporis de gratia, & libero arbitrio C-P. controuersijs se se immiscuit, vt ex epistola Possessoris Episcopi ad Hormisdam patet, de quibus in historia Pelagiana lib. 2. cap. 19. pluribus disseruimus. Factus postea Imperator tanto studio rerum diuinarum contemplationi vacabat, vt nullam eidem rem præponendam duceret. Audiatur Eustathius in libro de Vita Eutythij apud Surium die 6. Aprilis: *Nostis omnes quot, quot meministis, quam curiosè pie memorie Iustinianus in diuinorum dogmatum inuestigatione versaretur, quodque diu, noctuq; posthabitis omnibus alijs curis illam vnã, & solam nunquam intermitteret, qua ad disputandum omnes prouocabat hereticos, & rationes in medium proferendas, quibus ille valdè præualebat, cum vt plurimum eosdem hereticos probabilibus modò ratiocinationibus, modò demonstrationibus, modò deniq; sacrarum testimonij literarum confutaret.* Certè Victor Tunonensis Episcopus vnà cum collegis se cum Iustiniano disputasse tradit in chronico: *Anno 38. Imperatoris eiusdem Musicus, Brumasius, Donatus, & Crysonius Episcopi de Africa, & Victor, ac Theodorus Episcopus similiter ex Ægypto ad urbem regiam imperiali præcepto euocantur, Qui dum eidem Iustiniano Principi presentes præsentis, & postea Eutythio regie Urbis Episcopo altercanti resistunt &c.* Et hic tantæ doctrinæ Princeps tanquam analphabetus traducetur? Hinc factum est, vt Arfaces Artabanum hortatus sit, ad insidias Iustiniano struendas, dum *incustoditas noctes tereret Episcoporum cum senioribus Christianorum oracula studens euoluere.* Sunt verba Procopij lib. 3. de bello Gothico. Profectò Procopius, Victor, atque Eustathius C-P. Ecclesiæ Presbyter sub Iustiniano vixere, ac ea literis mandarunt, quæ suismet oculis, atq; auribus vsurparunt. Cum Eutythius Monachus doctissimus Constanti-

nopo-



Nopolim venisset; *Mennas*, inquit Eustathius illum misit ad Imperatorem, apud quem cum de rebus propositis disputaretur, apparuit omni diuina, humanaque disciplina instructissimus. Cap. 18. Adeo ille Theologicis disputationibus oblectabatur. Agapetus Diaconus in parænetico ad Iustinianum, quod exhibet Baronius in appendice tomi 7. *Nostri temporibus ostensum est*, inquit, *prospera vite tempus, quod prædixit quidam ex veteribus futurum, cum vel Philosophi regnarent, vel Reges philosopharentur; Nam philosophando digni habiti regno estis, & regnando à philosophia non descivistis.* Itane, si superis placet, hominem analphabetum inter philosophos connumerasset? Possuimus in fine tomi 3. ubi de Bibliothecis Græcis agit, testatur Constantinopoli inter codices Constantij Barini fuisse laudatum Agapeti volumen ita inscriptum: *Agapeti Diaconi magne Ecclesie, & magistri quondam Regis Iustiniani Magni ad eundem Iustinianum libri, seu sectiones duodecim.* Iustinianus ergo doctissimo viro Magistro usus est. Scribit Vigilus Papa in epistola ad Iustinianum Augustum data anno 540. *Sapientia vobis singulariter à Deo concessa disponitis.* Inde Ecclesiasticis causis promptius, quàm Laicum hominem decebat, se se immiscebat. Rogatus à Pelagio Apocryfario Vigilij, ut in Origenem sententiam ferret, annuit Imperator facillimè, inquit Liberatus cap. 23. *gaudens se de talibus causis iudicium ferre.* Cum verò ex alia parte Theodorus Cappadox tria capitula etià damnanda esse eidem suggereret, annuit hic Princeps, inquit idem Liberatus cap. 24. *& hoc se letus implere promisit, & relinquens operis sui studium unum in damnationem trium capitulorum condidit librum.* Hoc quoque vitio Procopius Iustiniano vertit in arcana historia pag. 83. quòd imperij curis posthabitis gauderet animum ad sublimia traducere, Dei naturam curiosius perscrutari. Plures libros de tribus capitulis se scripsisse testatur Iustinianus in edicto contra eadem capitula: *Et hæc quidem, inquit, sufficiebant super memoratas, & alijs nostris libris insertas probationes, quas protulimus, ostendentes, quod oportet etiam post mortem hereticos condemnari.* Hinc S. Isidorus, qui proximus Iustiniano vixit, eundem insignium Scriptorum catalogo inseruit, eius libros recensens cap. 12. Meritò ergo Theodatus Gothorum Rex vocabat Iustinianum *Sapientissimum* apud Cassiodorum epistola 22. & in libro Pontificali in vita Ioannis II. scribitur: *Vir religiosus Augustus Iustinianus summo amore Christiane religionis misit fidem suam scriptam chirographo proprio ad Sedem Apostolicam per Episcopos Hypatium, & Demetrium.* Cum Vigilus à Petro Referendario anno 552. pridie Kal. Februarias quoddam chirographum nomine Iustiniani accepisset, negavit fuisse à Principe missum, quod non erat Iustiniani ipsius manu scriptum. Reddo Vigilij Papæ verba in epistola encyclica: *Quædam charta nobis allata est, quàm à Clementissimo Principe nullo modo credimus destinatam, quia nec fuerat pietatis eius manu subscripta.* Itane propria manu epistolam exaravit, qui nec analphabetum aliquando didicisset!

Modò illatæ ab Halloix calumniæ tot mendaciorum, quæ laudatæ epistolæ Iustiniani imputat, repellendæ sunt. Summa illius est: Origenem Paganorum doctrinis addictum, atque Arianis ova fouisse, quæ falsa esse Origenis aduocatus contendit, & appellat quædam Adamantij testimonia, & magnum Athanasium. Verùm Halloix Æthiopem lauare conatus est. Neque Iustinianus solus reprehendendus venit, sed doctissimi Romanæ Ecclesiæ Pontifices, ac Doctores, qui Origenem iam olim proscriperant. S. Epiphanius in epistola

ad

ad Ioannem Hierosolymitanum: *Video, inquit, quòd propter hanc causam omnis vestra indignatio concitata sit, quòd dixerim vobis, Arii Patrem Origenem scilicet, & aliarum hæreseon radicem, & parentem laudare non debetis.* Sanctus Hieronymus ubique Origenem tanquam Arii Patrem exagitat; legantur eius apologiæ contra Rufinum, itemque epistolæ ad Auitum. In epistola ad Pammachium, & Auitum loquens de Patribus Nicænis ait: *Quamquam latenter Origenem fontem Arii percusserunt, damnantes enim eos, qui filium de Patris negant esse substantia, illum pariter, Ariumque damnauerunt.* Et lib. 2. Apologiæ contra Rufinum: *Ergo, ait, Beati Episcopi Anastasius, & Theophilus, & Venerius, & Chromatius, & omnis tam Orientis, quam Occidentis Ecclesia, quia pari sententia, quia pari & spiritu illum Origenem hereticum denunciant &c.* Et quidem S. Anastasius Papa in epistola ad Ioannem Hierosolymitanum publica fama Origenem damnatum testatur; nam arguens Rufinum ob interpretatos Origenis libros ait: *Approbo, si accusat auctorem, & execrandum factum populis prodit, ut iustis tandem odijs teneatur, quem iam dudum fama constrinxerat.* Porro tantum Hieronymi iudicio detulit Romana Ecclesia, ut S. Gelasius Papa in Synodo hæc statuerit: *Origenis nonnulla opuscula, quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus, reliqua autem omnia CVM AVCTORE SVO dicimus esse reuenda.* En Pontificio oraculo non libros modò, sed & Personam Origenis esse damnatam. Ibidem verò Synodus Romana reprehendit Eusebium Cæsareensem, quòd in laudibus, atque excusatione Origenis Schismatici unum conscripserit librum. Ad hæc nec verbum reposuit nouus Origenis aduocatus, sed textum sententiæ planè infringens scribit à Gelasio asseri, Eusebium in excusationem Origenis unum scripsisse librum, lib. 4. q. 1. s. 3. pag. 220. Schismatici titulus, quo Origenes infamabatur, calamo hæsit, nam ea turpi nota clientem tota causa cadere animaduertit.

Viuentem adhuc Origenem Demetrius Alexandrinæ Urbis Antistes procul à fidelium communionem suspensum eiecit. Legendus est Baronius Anno 232. Addit Hieronymus: *In damnationem eius consensus Vrbs Roma.* Respondet Halloix lib. 4. q. 7. s. 6. pag. 322. Theophilum nullam prioris damnationis mentionem fecisse: *Quòd magno, inquit, argumento est, inanem eam fuisse, si qua fuit, ac pro nihilo habitam.* Imperitè. Lege cap. 33. de Scriptoribus Illustribus Gennadij: *Theophilus, ait, Alexandrina ciuitatis Episcopus scripsit aduersus Origenem unum, & grande volumen, in quo omnia penè eius dicta, & ipsum pariter damnat. Similiter docens non à se primum eum, sed ab antiquis Patribus, & maxime Heraclæ fuisse, & à Presbyterio eiectum, & de Ecclesia expulsam, et de ciuitate fugatum.* Videtne Theophilum peractam abs se Origenis mortui damnationem prioris contra viuentem factæ exemplo confirmasse? Ex his collige non rectè à Baronio, & Halloix reprehendi antiquissimum scriptorem vitæ S. Pachomij, quòd dixit, Origenem Alexandria ab Heraclæ expulsam. Nam & hoc Theophilus Patriarcha Alexandrinus asseruit, & longè antea S. Petrus itidem Alexandria Episcopus idem testatus fuerat in mistagogia, quam ad martyrium properans scripsit: *Quid porro, inquit, dicam Heraclam, et Demetrium beatos Episcopos? Quales tentationes sustinuerunt ab insano Origene, cum ipse dissidia sereret, quæ ad hanc usque diem ei turbas excitauerunt.* Hoc ipsū integra Synodus Alexandrina tradit: *Origenes cum cepisset blasphemias homilias habere, Heraclæ b. m. tum Episcopus ut studiosus veritatis, ac arator, et vinitor Ecclesiastici agri eum è medio pulchra, ac late*

C

sege-



origenis euulsi: Vtrumq; testimonium inferitur epistolæ Iustiniani ad Mennam. At Halloix, cui Alexandrinæ Ecclesiæ res longè notiores sunt, quàm ipsi factæ Alexandrinis Episcopis ante tredecim sæcula viuentibus, atq; rerum gestarum seriem ex Ecclesiasticis scrinijs depromentibus, scribit lib. 4. q. 8. S. 10. *Origenes à Demetrio Episcopo, qui præcessit Heraclam expulsus fuit, & quidem inquit, ut probatum est, non autem expulsus fuit ab Heracla primario suo discipulo.* Eusebius in Chronico ad Olympiadem 253. anno secundo Heraclæ scribit: *Origenes à Alexandria ad Cæsaream Palaestine transit.* Et biennio post recenset Alexandri Seueri interitum. Cur ergo Heraclas Origenem suum olim in Christianæ religionis rudimentis percipiendis magistrum, postea sub Ammonio condiscipulum, ac in catechesi tradenda adiutorem maxima dignitate ornatum reliquit? Eusebius quidem causas reticuit, ut potè suo Origeni parum honorificas; immò nec sibi idem constat; nam lib. 6. hist. Eccles. cap. 26. scribit: *Erat autem annus ille supradicti Imperij decimus, quo Origenes Alexandria relicta Cæsaream magis grans Heracla munus illic catechizandi tradidit. Paulo post vero Demetrius quoque Alexandria Ecclesiæ moritur.* Ita modò viuentē adhuc Demetrio anno 232. modò illo mortuo sub Heracla Origenem Alexandria profectum narrat. Hoc certum fit, Heraclam Origeni nisi graui iniuria lacescitum aliò abeundi potestatem fecisse. Illud etiam hic minimè prætermittendum est, Imperatores Romanos, quò Orthodoxæ fidei puritatem seruarent, Origenis libros lata lege interdixisse. Do testem superiùs adductum S. Anastasium Papam hæc scribentem: *Illud quoq; quod euenisse gaudeo, tacere non potui, beatissimorum Principum manserit responsa, quibus unusquisque Deo seruiens ab Origenis lectione reuocetur, damnandumq; sententia Principum, quem lectio reum profana prodiderit.* Nil igitur nouum molitus est Iustinianus, cum ante centum, & quinquaginta annos à decessoribus ab Apostolica Ecclesia ob hoc ipsum laudatis Imperatoribus Origenis libri damnati fuerint, vnde rectè Facundus iteratam à Iustiniano Origeniani dogmatis damnationem dixit.

C A P V T III.

Origenistæ trium Capitulorum proscriptionem moliuntur. Scribit contra eadem edictum Iustinianus, & obortis dissidijs Synodum Constantinopoli indicendam curat. Pergit eò Vigilius Papa.

Recens Origenis à Iustiniano procurata damnatio ingentium turbarum, ac calamitatum origo fuit, ac veluti funestissimæ tragædiæ prologus. Etenim Origenistæ, cum viderent difficile esse scribere contra eum, qui poterat proscribere, Adamantij defensione desperata ad vltionem animum dolosè verterunt. Florebat ea tempestate magna apud Principem gratia, & auctoritate Theodorus Cæsareæ Cappadocum Metropolita cognomento *Ascidas Origenis defensor acerrimus*, inquit Liberatus, Nonni magni Origenistæ satellites, vt nobis superiùs memoratum est. Successerat Sotherico, sed aula sturdiosus procul ab Ecclesia sibi demandata degebat, ita vt nec vnus anni spacio Cæsareæ, ex quo Antistes consecratus fuerat, morari passus sit, vt Vigilius in lata contra eundem sententia illi exprobauit. Erat ex ijs, cum quibus Iusti-

nia-

nianus per multam noctem de sacris rebus disputabat. Cum verò idem teste Liberato Pelagio *amulus* existeret, videbat enim Iustinianum plurimum Pelagio Vigilij Legato deferre, egrè tulit, & acerbè huius, ac Mennæ Constantinopolitani Patriarchæ opera suum Origenem fuisse à Principe damnatum, sed adulandi gnarus laudabat procuratum ab Imperatore anathema, simulque cogitabat, quonam pacto Pelagio vices redderet, atq; insigni aliquo facto damnatis Origenis manibus parentaret. Sciebat nihil antiquius esse Iustiniano, quàm Acephalos ad Ecclesiæ vnionem adducere. Alexandria ea gens nata erat, plurimi enim ab Alexandrino Antistite, quò Chalcedonensem Synodum admiserat, rebellantes, cum sine capite dogmatizarent, Acephali dicebantur. Et hi quidem Seuero, Petro Apameensi, Anthimo, Theodosio, alijsq; Chalcedonensis Synodi hostibus à Iustiniano damnatis, ne Imperatoris, quem ob studium erga illud Concilium *Synoditam* vulgò appellabant, iram subirent, nec admittere se, nec ex toto Synodum reijcere publicabant, nonnullis ea in Synodo peractis offendi, quorum difficultas quousq; tolleretur, hæsitare se contestabantur, inde *Hæsitantes* appellati. Legatur Leontius libro de sectis actione 5. Iustinianus quidem ad Zoilum recentem Alexandrinorum Episcopum edictum contra Acephalos transmiserat, quod quidem intercidit, sed laudatur à S. Agathone Papa, cuius verba superiùs recitauimus. At ea vrbs Timothei, ac decessorum prauis doctrinis à multis annis imbuta, quod Liberatus, ac Leontius ostendunt, veterem opinionem difficulter deponebat. Igitur Theodorus adit Iustinianum, suadetq; vaferrimi vir ingenij, Acephalos compendio ad subscribendam Synodum Chalcedonensem adduci posse, si tria tantum, queis illi plurimum offendebantur, corrigat. Nempe si damnetur Theodorus Episcopus Mopsuestiæ Nestorij Magister, cuius laudes habentur in epistola Ibæ Præfulis Edesseni in Synodo Chalcedonensi recitata. Dein si prohibeantur libri Theodoretæ contra XII. capitula S. Cyrilli in Ephesina Synodo consecrata, quos libros Patres Chalcedonenses non condemnarant contenti dicto contra Nestorium à præsentē Theodoretæ anathemate. Tandem si reijciatur memorati Ibæ epistola ad Marim Persam, in qua laudat Theodorum, S. Cyrillum accusat, ac Ephesinam Synodum lata citra examen præcipitis contra Nestorium sententiæ insimulat. Porro his tribus capitulis proscriptis subitam pollicitus est Acephalorum vnionem. Ea tamen mente hæc Iustiniano Theodorus suggerere nonnullis visus est, vt Concilij Chalcedonensis correctio strueretur, quod vsque ad minimum iota Pelagius cum Occidentali Ecclesia factum, rectumque volebat. Facundus Hermianensis, & Liberatus Diaconus, qui tum temporis pro tribus capitulis steterunt, *secta Acephalum* fuisse Theodorum scribunt, sed hoc nomine omnes capitulorum hostes ab Africanis infamabantur. Theodora Iustiniani coniux palam Acephalis studebat, quos Imperator persequebatur; fecerintne id ex composito, quò vtriusque dogmatis professores meliùs in officio continerent, ac alterutro Principum fauente procul à seditionibus illi essent, Euagrius eius sæculi Scriptor lib. 4. cap. 10. in medio relinquit. Igitur Theodora Augusta id ipsum, quod suaferat Antistes Cæsareensis, Principi inculcat, sed eo consilio pessima mulier facinus moliebatur, vt vbi semel Chalcedonensis Concilij correctio in aliquibus feret, iam vniuersim eiusdem autoritas collaberetur, ac

C 2

nul-

nullius ponderis euaderet, quod alicubi errasse monstraretur. *Hæc audiens Imperator*, inquit Liberatus in fine sui Breuiarij, & dolum doloſorum minimè proſpiciens ſuggeſtionem eorum libenter accepit, & facere promptiſſimè ſpouondit. Poſtea *Annuit his Princeps*, & hoc ſe letus implere promiſit, & relinquens operis ſui ſtudium unum in damnationem trium capitulorum condidit librum pro delictis noſtris nobis omnibus notiſſimum. Hoc edictum contra tria capitula, nempe Theodorum Mopſueſtenum, ſcripta Theodoretum contra Cyrillum, atq; lbæ Epistolam, non extat. Baronius ad annum 546. num. 10. putat hoc edictum eſſe illud ipſum, quod olim inſcribatur: *Edictum Pijſſimi Imperatoris Iuſtiniani fidei confeſſionem continens, & refutationem hæreſeon, quæ aduerſantur Catholica Dei Eccleſiæ*; in quo diffuſè trium capitulorum damnatio deſcribitur. Non aſſentior viro doctiſſimo; nam hocce edictum, quod ibidem recitat Baronius, atq; ita incipit: *Sciētes, quod nihil aliud &c.* poſt annum 550. in eadem tamen cauſa emiſſum eſſe aperte ex verbis in eo poſitis palam oſtenditur; ſcribit ibidem de Theodoro Mopſueſtino Iuſtinianus: *Deleuerunt ipſi Clerici Mopſueſtiæ ex illo à ſacris Eccleſiæ diptychis eius nomen, ſicut geſta in eadem ciuitate apud Concilium Episcoporum illius prouinciæ confeſta oſtendunt.* At hoc Concilium anno 550. celebratum eſt, & recitatur in Synodo V. actione 5. eius eſt initium: *Imperij diuini, & piſſimi D. N. Fl. Iuſtiniani Perp. Aug. Imperatoris anno XXIII. Poſtconſul. Baſilij V. C. anno IX. menſis Iunij 17. inſtantis XIII. Indiēt. in Mopſueſtia Colonia &c.* Quare edictum illud, quod contra tria capitula à Iuſtiniano publicatum Baronius producit, poſt annum 550. concinnatum fuit. Præterea Facundus Hermianenſis lib. 4. cap. 4. ſcribit in illo Iuſtiniani edicto hæc inſerta fuiſſe: *Si quis dicit, hæc nos ad abolendos, aut excludendos Sanctos Patres, qui in Chalcedonenſi fuere Concilio, dixiſſe, anathema ſit.* Quæ ſanè verba in edicto Iuſtiniani à Baronio laudato non continentur. Idem lib. 2. cap. 3. alia ex eodem edicto refert, quæ cum non habeantur in poſteriori, quod etiamnum legitur, planè idem confirmant. Edictum illud nomine Iuſtiniani prænotatum fuiſſe Author memoratus affirmat, quod modò non extare tam certum eſt, quàm Theodorum Cæſareuſem illius Architectum fuiſſe. ſcribit Facundus lib. 2. cap. 1. *Egerunt enim callidè per ſuos complices, ſicut ſolent aduerſarij veritatis, ut ea ipſa, quæ ſcribi fecerunt, etiam tituli nominis tui prænotarentur.* Atque hoc fuit primum edictum, quod poſtea mutatum fuiſſe nonnullis detruncatis idem teſtatur lib. 2. cap. 3.

ANNO 544. Quo anno hoc edictum contra tria capitula emiſſum fuerit, non conſtat. Baronius anno 546. vulgatum tradit, ſed ex Euphremij Antiocheni, & Petro Hieroſolymitani morte ante biennium emanafſe mihi probatur. Euphraſium Euphremij deceſſorem mortuum anno 526. ſcribit Panuinius in Chronico Eccleſiaſtico. Repugnat Baronius, qui anno 525. obiſſe eundem tradit. Contra Baronium eſt inſignis caracter, quo annus Antiocheni terræmotus, qui Euphraſium oppreſſit, palam deſignatur. ſcribit Euagrius Epiphaniensis lib. 4. cap. 5. memoratam telluris concuſſionem accidifſe *anno imperij Iuſtini VII. menſe decimo, qui tum Artemiſius, Maius videlicet erat, XXIX. die menſis in ipſo puncto meridiei, die 6. Hebdomade.* At dies 29. Maij anno 526. incidit ſexta die hebdomadæ nempe die Veneris Cyclo Solis III. Lunæ XIV. lit. D. Corrigen- dus verò eſt annus Iuſtini, ac loco ſeptimi octauus annus reponendus, nam Iuſtinus IX. Iulij anno Antiochenæ nuncupationis 566. qui eſt noſtræ vulga-

ris

ris epochæ 518. ex eodem Euagrio initio ſtatim libri laudati. Imperium iniit. Interim miſſo ad reparandas collapsæ Urbis ruinas Euphremio Orientis Præfecto, Antiocheni viri diligentia, ac amore allecti eundem Patriarcham elegere, qui annos 18. ex Nicephoro, ac Theophane ſedit, totidemq; illi annos aſſignat Baronius ad annum 546. num. 62. Sed non conſequenter, nam ab anno 526. quo deſuncto anno ſuperiori, vt putat, Euphraſio, electum ſcribit Euphremium, viginti anni numerantur. Quod ſi eodem anno (nam à terræmotu, quo occiſus fuit Euphraſius, ſeptem meſes vſq; ad annum 527. interponuntur) Euphremius electus fuit Antistes, mortuum eundem debemus affirmare anno 544. quo anno eiufdem obitum Panuinius rectè recensuit. Rurſus de Petro Hieroſolymitano videndum eſt. ſcribit Baronius ibidem Ioanni Patriarchæ Hieroſolymitano deſuncto anno 525. Petrum ſucceſſiſſe, cuius obitum recitat anno 546. Panuinius verò initia Episcopatus Petri ſtatuit anno 527. finem autem 547. ex Cyrillo Scythopolitano in Palæſtina tum temporis & viuente, ac ſcribente res petenda venit. Hæc tradit cap. 90. de vita Sabæ: *Cum magno Sabæ ad octuagesimum ſextum annum etas Sabæ prouecta eſſet, deſedit quidem Ioannes relicto ſucceſſore Petro viro inſigni. Tertio autem deinceps anno Imperator quoq; Iuſtinus &c. deponit imperium Iuſtiniano patruele ſuo conſtituto pro ſe Imperatore.* At Iuſtinus depoſuit imperium anno 527. Kalendis Aprilis, ergo ante triennium nempe 524. mortuus eſt Ioannes Patriarcha, quo anno meſe Ianuario Sabas 86. annum ingreſſus fuit; nam Sabam eo meſe natum colligo ex his, quæ habet ex libro emendatiori vitæ Sabæ Bollandus ad diem XI. Ianuarij in fine prolegom. ad vitam Theodoſij Cœnobiarchæ: *Incipiente autem nonageſimo primo etatis anno P. N. Sabæ beatus ſupradictus Theodoſius iam ſenex, & plenus dierum vitam hanc terrenam deſerens ad cælum tranſiuit meſe Ianuario die XI. indiſtione VII.* Ergo Sabas indiſtione II. anno 524. meſe Ianuario inchoat annum 86. & quidè rectè; natus enim eſt teſte Cyrillo initio de vita Sabæ Theodoſio Auguſto XVII. Coſ. qui fuit annus 439. Obijt Ioannes Indiſtione II. Aprilis 22. vt notat laudatus Bollandus in prolegomenis ad vitam S. Theodoſij, & die 20. eiufdem menſis in notis ad vitam S. Euthymij. Petrum autem ſediſſe annos 20. laudati antiqui Chronologi S. Nicephorus Patriarcha, & Theophanes in tabulis affirmant, & cæteri cum ipſis. Petrus ergo moritur anno 544. & quidem ex historia ſcripta in Prato ſpiritali (qui liber à Septima Synodo laudatur) & ad verbum à Baronio recitata anno 546. Num. 63. ſexto meſe poſt Paſcha, quod eo anno celebratum fuit VII. Idus Aprilis, vnde obiit meſe Octobri. Victor Tmonenſis, qui Petro conuixit, ſcribit in Chronico: *Poſt conſul. Baſilij Anno IV. Hieroſolymitanæ Eccleſiæ præſulatum poſt Petrum Macarius ſuſcipit.* Eſt apud Victorem annus 544. qui tamen Victor errat, dum ad conſulatum Iuſtini 540. Euphraſij initia, & P. C. Baſilij VIII. nempe apud ipſum 548. Euphremij mortem recenset. Baronius Euphremij vitam ad annum vſq; 546. producit, aitq; errare illos, qui ante eum annum obiſſe eundem putant, cum ex Facundo Hermianenſi Euphremius legatum miſerit ad Vigilium anno 546. in Sicilia moras neſtentem antequam Conſtantinopolim pergeret. Sed Facundus lib. 4. cap. 4. de Zoilo Alexandrino hæc ſcribit: *Zoilus quoq; Alexandrinæ Urbis Antistes, cum Romanum Episcopum venire cognosceret, obuiam illi ad Siciliam miſit. Vir inſignis, quæ Facundus de Zoilo dixit, de Euphremio dicta exiſtimauit.*

Ex

Ex hac chronologica dissertatione habemus, anno 544. obiisse Euphremium Antiochenum, itemque Petrum Hierosolymitanum. At ex Facundo Hermianensi certum est, vtrumque subscripsisse edictum Iustiniani contra tria capitula; audiatur Africanus ille Episcopus loco proximè laudato: *Nec non & Euffremius, inquit, Antiochenus, cum primum ei mandaretur, ut hoc etiam ipse rescribendo firmaret, consentire noluit. At postquam ei denunciatum est, quòd excludendus esset, nisi faceret, sui potius honoris, quam veritatis dilector inuentus est. Quid etiam Petrus Hierosolymitanus? Nonne publica notitia refert, quoniam conueniente ad se multitudine Monachorum iuratus pronunciauit, quòd si quis eidem decreto nouitio consentiret, contra Chalcedonense Concilium faceret? Nec tamen se ab eius consensione suspendit.* Quare edictum Iustiniani anno eodem 443. quo Origenem damnandum curauit, vel initio sequentis dubio procul emanauit. Et quidem insignis annalium Scriptor putat edictum contra Origenem anno 538. prodijisse, anno demum 546. ab Origenistis in damnati Origenis ultionem edictum etiam contra tria capitula compositum. Non tam miti animo erat Theodorus Cappadox, vt octennio integro ultionem differret; quare cum satis aperte monstratum sit, anno circiter 543. Origenem damnatum fuisse, sequenti anno tria Capitula Origenistarum opera proscripta sunt. Porro ob damnatum Magistrum Origenistas trium capitulorum expunctionem procurasse insignis Origenista Nonni quondam discipulus Domitianus Metropolitana Ancyranus in libello ad Vigilium dato ingenuè fassus est. Testem habemus Facundum lib. 1. ad Iustinianum cap. 2. *Inuenit autem desideratam occasionem ex furore quorundam, qui sub nomine Christiano latenter in Ecclesia gentile Origenis dogma sectantur. Et quia per instantiam tuam religionis eiusdem profani dogmatis iterata damnatio est; hinc eius sectatores exarserunt aduersus Ecclesiam quærentes eam quacunque possent immisione turbare. Et hoc totum publicam notitiam non effugit; præsertim cum & Domitianus Ancyrensis ciuitatis Episcopus prouincie primæ Galatiæ, qui fuit ipsius Origenianæ hæresis manifestus assertor, per libellum, quem ad Beatissimum Papam Vigilium scripsit, Deo extorquente confessus est, quòd eius complices Origeniani, cum viderent se non posse proprium dogma defendere, nec sibi quidquam spei de conflictu restare, ad ultionem eorum, quæ contra Origenem gesta sunt, hæc Ecclesie scandala commouerunt.* In Theodorum præcipuè Mopsuestenum illi ventos omnes irarum concitarunt, eò quòd Theodorus multa opuscula edidisset in Origenem, exosusque & accusabilis haberetur ab Origenistis. Loquitur hæc Liberatus capite 24. Breuiarij.

Iustinianus Theodori Origenistæ suafione compositum contra tria capitula edictum ad Patriarchas subscribendum misit. Quid autem tunc à Patriarchis factum sit, exponit Facundus lib. 4. cap. 4. Mennas Antistes Constantinopolitanus Theodoro Cappadoci infensus initio quidem subscribere cunctabatur, ea tandem condicione idem subsignauit, quòd chirographum suum reciperet, si hæc Romanus Episcopus non probaret. Zoilus quoque, Euphremius, ac Petrus Patriarchæ veriti ne si secus facerent, dignitate priuarentur, nomen edicto dedere. At Stephanus Diaconus, qui Pelagio à Vigilio Romano euocato Apocryfarij munere apud Imperatoremungebatur, palam edicto restitit, ac Mennam ob datum consensum fractæ fidei reum increpuit, cui & à pluribus Episcopis libelli dati sunt ad Vigilium transmittendi, in quibus protestabantur: *Quòd à Constantinopolitano Episcopo coacti subscriberent.* Iustinianus in

lite-

literis ad Synodum V. quæ collatione prima recitantur, hæc habet: *Primum quidem & in vestris vos degentes Ecclesijs interrogauimus de prædictis impijs tribus capitulis, & vestram nobis voluntatem manifestam fecistis, pro qua & comprobauimus vos, quòd indubitanter, & cum omni alacritate rectam fidem confessi estis, & impiam condemnastis.* Ita planè fingit interrogatos à se Episcopos, cum teste Facundo sub pœna depositionis Episcopi ad subscribendum in tria capitula anathema cogerentur. Verùm vbi Occidentis Episcopis innotuit, tria capitula ab Imperatore, eique adhærentibus Græcis Episcopis damnata fuisse, agrè tulere Synodum Chalcedonensem decurtari, eiusque fidem imminui, quippe quæ & laudes Theodori citra censuram audierat, nec Theodoretæ Cyrensis scripta nominatim damnauerat; Ibxque epistolam citra repræhensionem legerat, imò & quidam eandem orthodoxam definierant. Diuisa igitur in partes Ecclesia est, nam Oriens quidem edictum Iustiniani receperat, at Occidentales Illyrici, Itali, Galli, Hispani, Africani pro tribus capitulis depugnabant. Cæterum omnium acerrimè Africani Iustiniani edicto aduersabantur. Erant in his teste Tunonensi Reparatus Carthaginensis, Firmus Numidiæ, Boethius Byzacij Primates Africani cum suis suffraganeis, & hos inter eminebant Facundus Hermianensis, ac Victor proximè laudatus, quorum ea de re libri adhuc extant, sicuti & Pontiani Africani Episcopi epistola ad Iustinianum, quæ edicto eiusdem supponitur, in qua hæc leguntur: *In extremo itaque epistolæ vestræ cognouimus, quòd nos non mediocriter remordet, debere nos Theodorum, & scripta Theodoretæ, & epistolam Ibx damnare. Eorum dicta ad nos usque nunc minime perueniunt. Edictum Iustiniani epistolam vocat, vt etiam edictum contra Origenem epistola ibidem à Principe nominatur. Postea libertate magna vsus epistolam concludens, Supplicamus, ait, clementiam tuam, vt pax permaneat temporibus tuis, ne dum quæris damnare iam mortuos, multos inobedientes interficias viuos, & exinde compellaris reddere rationem ei, qui venturus est iudicare viuos, & mortuos.* Quòd verò ait Theodori, Theodoretæ, atque Ibx epistolam ad ipsos nondum peruenisse, palam facit, se respondere priori edicto Iustiniani contra tria capitula emisso, nam cum alterum edictum anno 551. publicatum fuit, iam omnibus Afris tria capitula satis superque erant manifesta, vt ex libris duodecim Episcopi Hermianensis ad Iustinianum intelligitur.

Vigilius, ac reliqui Occidentis Episcopi edictum contra tria capitula subscribere recusabant, arbitrati id absque graui in Synodum Chalcedonensem iniuria perfici nullo modo posse. Quare cum per huiusmodi Ecclesiarum dissidia annus traheretur, Iustinianus curauit plena Synodo quæstionem in regia Vrbe discuti. Quò tamen Patriarchas facilius eò pertraheret, in sacris diualibus Acephalorum sectæ ad Orthodoxam societatem reducendæ studium prætexuit. Vigilius etiam ab Imperatore ad Synodum vocatus fuit, qui tamen non rectà Constantinopolim perrexit, sed in Siciliam iuit eo consilio, vt ibidem Synodus cogeretur, vt postea narrabimus. Quo anno hæc contigerint, non vna est Scriptorum opinio. In auaruario Marcellini hæc scribuntur: *Indictione IX. Post consulatum Basilij anno V. Vigilius Papa LIX. ab Apostolo Petro euocatus ab Imperatore Roma egreditur, & in Siciliam venit.* Est annus 546. quo sanè anno X. Kal. Decembris eiusdem ex vrbe egressum recitat Holstenius in diagrammate chronologico, Sirmondus in synopsis Chronica in calce ad Facundum, alij-

alijque viri eruditi. Non approbo; etenim diu Vigilus in Sicilia substitit, ex Procopio mox ostendetur, ibique naues onerarias collegit, quas frumento onustas Romam deducendas curauit, quæ tamen à Gothis interceptæ sunt, vti fusijs idem author scribit. Plures etiam ibidem legationes excepit, de quibus postea sermo redibit. Quare cum die 25. Ianuarij anno 547. Constantinopolim appulerit, nequit exeunte ferè anno 546. Roma exiisse. Sigonius lib. 19. de imperio Occidentali anno 545. Vigilium Roma egressum dicit, cuius sententia ex ipsius Vigilij encyclica mihi probatur; etenim tradit, hæc se ad Iustinianum suo nomine per nuncium deferenda dixisse: *Nos ad pietatem tuam festinantes ante septem annos de ciuitate nostra sic egressi sumus, ut nulla haberemus priuata negotia.* Data est hæc epistola Nonis Februarij anno 552. vt ex die Dominico insinuato, & anno imperij Iustiniani subsignato apertè colligemus cap. 5. Quare cum septem annos numeret, ex quo Roma discesserat, patet eundem anno 545. ex Vrbe exiisse. Hoc ipsum colligitur ex Victore Tunonensi, qui ait: *Post consul. Basilij anno IV.* (nempe apud ipsum 544. nam annus 542. secundus post Basilij consulatum ab eodem appellatur) *Iustinianus Imperator Acephalorum subreptionibus instigatus Vigilium Romanum Episcopum subtiliter compellit, ut in Urbem regiam properaret, & sub prætextu congregationis eorum, qui ab Ecclesie summa societate diuisi, tria capitula condemnaret.* Quare si anno 544. Vigilus ab Imperatore Constantinopolim per literas euocatus fuit, paulò post inchoatum annum 445. Roma discessit. Clerus etiam Italiae in libello supplici exeunte anno 551. vt cap. 5. ostendo, Legatis Francorum Regis dato testatur, ante sex annos Vigilium Roma discessisse. Scribit Anastasius eundem die 22. Nouembris ex vrbe egressum, sed hoc, vt cætera, quæ ibidem narrat, falsum existimo. Nam anno 552. Nonis Februarij non dixisset Vigilus ante septem annos se Roma profectum, duos enim tantum menses nequaquam pro anno computasset, quod si quis velit Anastasio credere, eiusdem ex Vrbe egressus retrahendus est ad diem 22. Nouembris anni 444. de quo nolo diutius contendere. Hoc tamen certum est Pontificem inuitum iter illud suscepisse, dicitur enim ab eodem Clero Roma propè violenter deductus.

Anno 546. Interim A. 546. in regia vrbe Iustinianus non solum ob tria capitula, verum etiam ab diem Paschatis, ac initium quadragesimæ contra vulgi opinionem designatum graues turbas passus est. Contigit enim hoc anno Constantinopoli popularis seditio ob Quadragesimam ex edicto Iustiniani ultra hebdomadem contra vulgi opinionem protrahatam, qua in re cum à pluribus magni nominis Scriptoribus erratum sit, paucis Imperatoris decretum veluti incidenter hic defendendum suscepi. Cardinalis Baronius putauit memoratum tumultum contigisse anno 545. hæc scribens Num. 17. *Hoc eodem anno cum Graeci, tum Latini historici tradunt, de Paschatis tempore ex Iustiniani Imperatoris edicto in Oriente erratum esse. Ita planè permisit Deus, ut cum sacris se immiscent Principes, & quæ sunt Sacerdotum sibi usurpant, in errorem labantur.* Adducit testimonium Authoris Miscellæ dicentis: *Cæpit vulgus abstinere à carnibus mense Februario die 4. Imperator autem præcepit alia hebdomada carnes apponi.* Quæ verba etiam Anastasius Bibliothecarius reddit. Leo Allatius in dissertat. de Domin. & hebdomad. Græcorum ait de Iustiniano: *Primam quadragesimæ hebdomadam, qua ieiunandum erat, detraxit, carnibus inopiam propulsare conatus, ne fame populus enecaretur,*

car-

carnes publicè omnium commoditati exponi iusserat, sed pius Christianorum animus cum fame potius depugnare, quàm ab Ecclesie suæ legibus desciscere maluit. Hæc illi. Cæterum rem aliter se habuisse ostendam. Græci Quadragesimam incipiunt feria secunda post Dominicam sexagesimæ; vnde hæc Dominica ab eisdem ἀποκρεως dicitur, quod vltima dies est carnis priuij. Nicetas lib. 3. Alexij pag. 329. edit. regiae ait: *Facta sunt ista coniugia, cum proxima esset apocreas.* Rectè ibidem Hieronymus Wolfius interpretatur carnis priuium. At hebdomade sequenti Græci vescuntur lacticiuijs, & caseo, cuius licentiæ diem vltimum habent Dominicam quinquagesimæ, quæ Τυροφαγος ab ipsis appellatur. Scribit Anna Comnena lib. 2. Alexiados pag. 51. edit. eiusdem: *Nox erat Dominice diei, quam tyrophagum nuncupant.* Vnde ab esu casei, quæ eandem præcedit hebdomas, eodem tyrophagi nomine appellatur. Feria verò secunda post Dominicam quinquagesimæ rigidius ieiunium inchoant non modò à carnibus, sed etiam à lacticiuijs, imò & à piscibus quoque abstinentes. Ex his patet Authorem miscellæ, & Anastasium deprauatè Theophanis verba vertisse, vnde & alios, ac præcipuè Alemannum virum eruditum in notis ad arcanam historiam Procopij pag. 125. in errorem traxere, vbi enim ille scribit populum C-P. die 4. Februarij habuisse τὴν ἀποκρεωσίαν, interpretati sunt, quod ea die cæpit abstinere à carnibus, cum tamen vertendum esset, habuisse plebem Carnis-priuium, vt rectè in editione regia translatum est; ea enim erat dies Dominica Apocrei, qua carnes comedebantur, & quidem copiosius ob vicinum insequenti die Quadragesimalis ieiunij initium. Eundem lapidem offendit Guillelmus Xylander Cedreni interpres.

Ex his patet seditionem memoratam non contigisse anno 545. nam eo anno Dominica Apocrei contigit die XIX. Februarij Cyclo Solis XXII. Lunæ XIV. lit. A. quare in annum sequentem 546. protrahenda est, quo anno cum populus putaret Pascha celebrandum die prima Aprilis, habuit carnis priuium die 4. Februarij, quam plebs existimabat esse Dominicam Apocrei, cæpitque ieiunare die quinta sequenti. At Iustinianus, cum diem Paschatis celebrandum esse iudicaret VI. Idus Aprilis, Dominicam Apocrei haberi iussit Tertio Idus Februarij. Errasse verò populum, non verò Imperatorem certum est, nam terminus Lunæ XIV. Martij incidebat eo anno 546. in diem primam Aprilis Cyclo Solis XXIII. Lunæ XV. lit. G. Quare Imperator iuxta approbatum Ecclesie ritum, de quo scribit D. Ambrosius in epistola ad Episcopos Aemiliae, non permisit Kalendis Aprilis, quæ dies erat terminus Lunæ decimæ quartæ, Pascha celebrari, vti populus perperam contendebat, sed Dominica prima post diem termini, nempe octaua die Aprilis, qua die ab omnibus etiam in Occidente Paschale festum eodem anno ritè peractum fuit. Porro Græci quadraginta dies à feria secunda post Dominicam Sexagesimæ vsque ad Pascha ieiunabant, nam neque Sabbatis, nec Dominicis ieiunium peragebant, excepto tamen Sabbato Sancto, vt patet ex canone 55. Trullano. Hinc Dorotheus Abbas ser. 15. de Sanctis ieiunijs ait: *Octo enim hebdomades subtractis Sabbatis, & Dominicis quadragesimæ dies perficiunt præhonorato quoque in se ipso ieiunio Sancti Sabbati.* Et de his hæc tenus.

Per annum ferè Pontifex in Sicilia moratus est, eas verò longiores ibidem moras duxit non solum, vt Synodum in eâ Insula fieri posse impetraret, quò ex

D

Orien-



Oriente, Occidente, atque Africa Episcopi facili navigatione se conferrent verum etiam, ne Romam à Gothis obsessam periculosis temporibus deserere videretur. Plures in Sicilia legationes excepit. Africa, ac Sardinia Episcopi Vigilium per oratores etiam, atque etiam rogarunt, ne nouis Iustiniani contra tria capitula statutis acquiesceret. Do Facundum Hermianensem libro cap. 3. Quod Romana quoque vniversitas egredientem, quod venientem Africa, atque Sardinia, quanquam non per eas transferit, per ipsius tam. n. consiliarium publica cum contestatione pulsauerint, sicuti Hellas, & Illyricus prouinciae, per quas venit, ut nullatenus nouitati, quae facta est, acquiesceret. Et capite sequenti ait: Zoilus quoque Alexandriae urbis Antistes cum Romanum Episcopum venire cognosceret, obviam illi ad Siciliam misit, conquerens necessitate se ad ipsius decreti affirmationem fuisse compulsum. Paulò post etiam Constantinopoli Darius Metropolitae Mediolanensis superuenit, à quo Vigilium intellexit Mennam Patriarcham C-P. latam à Principibus contra tria capitula sententiam subscripsisse, vnde ab eius communione non modò Stephanus Vigilij apud Iustinianum Apocrifarius, sed plerique etiam Episcopi, ac Laici se segregarunt. Scribit Vigilium in literis ad Mennam, quae Facundus in libro contra Mocianum laudat: *In Siciliensi insula constituti fratres & Coepiscopo nostro Datio referente didicimus, quod & ipse, & alij Consacerdotes nostri & multi filij Ecclesiae Christianae à tua se nihilominus communione subtraxerint.* Ea tamen conditione Mennas subscripsit, ut si eadem Romanus Pontifex non probaret, subscriptionis chirographum sibi redderetur.

Interea enim accepisset Vigilium, Romam à Totila obsessam penuria laborare, plurimas onerarias naues frumento repletas Romanis in subsidium submittere, quas ubi hostium excubiae in Romanum Portum plenis velis venientes animaduertissent, rem suis significarunt, qui dispositis infidijs vniuersas Portum citra vllam suspicionem subeuntes intercepere. Captus est inter alios Valentinus Episcopus Syluae Candidae, qui cum Romanorum consilia, quòd ea fortè nesciebat, prodere recusaret, à vero aliena exponere eundem Totilas suspicatus vtraque manu obtruncata dimisit. Scribit hæc Procopius lib. 3. de bello Gothico, ubi ait: *Finisque aderat hyemis claudens undecimum annum eius belli, quod Procopio describitur. Interea Imperatoris accitu is, quem dixi, Romae antistes Vigilium, cum id opperiens diu in Sicilia substitisset, Constantinopolim profectus est.* Primus annus belli Gothici inceptus Belisario Consule anno 535. quare vna cum hyeme undecimus belli exijt anno 546. vere ineunte. Baronius annum 536. primum statuit belli Gothici à Procopio descripti in annalibus initio illiusmet anni. Sed annus ille planè est Procopio secundus belli eiusdem; libro enim primo pag. 159. editionis Grotij ait: *Sic se habentibus Dalmatiae rebus hyems clausit annum primum huius belli, quod à Procopio describitur. Belisarius tum Syracusae, tum Panormi relictis praesidijs cum cetero exercitu Messana Rhegium transijt &c.* Atque ita annus, quo Belisarius Siciliam occupauit, primus est apud Procopium belli Gothici, quem tamen annum Baronius ab annis belli eiusdem exclusit. Vigilium facta in Peloponneso exscensione terrestri itinere Constantinopolim perrexit, nam per Helladem, & Illyricum eundem iter habuisse superius ex Facundo dictum est. Interim per literas Mennam C-P. increpuit, quòd editum subscripsit; sed ecce, inquit Facundus, ex itinere, quòd ei videbatur, edixit, & facti huius auctori correctionem tumultuariæ suae transgressionis indixit, & nisi

citius,

citius, quod malè factum est, auferretur, etiam vindicaturum se esse praedixit. Thesalonicae obviam habuit Sebastianum Diaconum Apostolicae Sedis in Dalmatia quaestorem, quem in prouinciam Vigilium redire iussit mandans, ne Constantinopolim accederet, nisi post exactas Praeualis pensiones. Ingressus est Constantinopolim in festo Conuersionis S. Pauli die 25. Ianuarij, & quidem Anno summo honore à Iustiniano exceptus. Auctuarium Marcellini hæc habet: *Post 547. consulatum Basilij VI. Papa Vigilium ingressus est Constantinopolim VIII. Kalendas Februarias.* Est annus 547.

Vigilium quò animi magnitudinem monstraret, atque insigni facto Apostolicae Sedis auctoritatem apud Græcos ostenderet, contra Acephalos decretum promulgauit, quo Theodora etiam Augusta, quæ Acephalorum Patrona erat, à fidelium communione, tacitè tamen, segregabatur. Eodem etiam anathemate statim percussi videbantur omnes trium capitulorum hostes, ita quidem Africani censebant, sed minùs rectè. De Theodoro Cæsareensi scribit Liberatus, quòd erat *secta acephalus*; at Vigilium in sententia contra ipsum lata haud illi tantum crimen importauit, quin imò in Synodo V. ille subscripsit contra Acephalos pro Synodo Chalcedonensi latum anathema. Mennam quoque idem Vigilium à communione suspendit, quòd plurimos Episcopos ad subfignandum Iustiniani decretum compulisset, quem etiam veniens per literas acriter increpauerat teste Facundo in libro contra Mocianum. S. Gregorius Magnus lib. 2. epist. 36. ad Episcopos per Hyberniam (Histriam legendum puto) hæc ait: *Postquam recordandae memoriae Vigilium Papa in Vrbe regia constitutus contra Theodoram tunc Augustam, & Acephalos damnationis promulgauit sententiam, tunc Romana Vrbs ab hostibus adita, & captiuata est. Ergo bonam causam habuerunt Acephali, & iniuste damnati sunt, post quorum damnationem talia contigerunt? Quo pariter testimonio conuincitur falsum esse, Vigilium in peruigilio Natalis Domini Constantinopolim ingressum fuisse, nam ex Auctuario Marcellini: *Indictione X. Post consul. Basilij VI. Totila dolo Isaurorum ingreditur Romam die XVI. Kalendas Ianuarias.* Cæterum dissidentibus Vigilio, ac Menna nihil in causa trium capitulorum decerni poterat, quòd è Republica Catholica esset. Quare Theodora Imperatrix mense Iunio Mennam Vigilio conciliauit. Vigilium pariter, inquit Theophanes, à Theodora Augusta rogatus Iunij die 29. qui Sanctis Apostolis sacer, Patriarchae Constantinopolitano Mennae pacem restituit. Eodem anno die XI. Maij Sanctae Pentecostes Sabbato cum ludis Circenses celebrarentur &c. Hoc Paschali caractere designatur annus 547. Cyclo Solis XXIV. Lunae XVI. lit. F. vnde corrigendus Baronius, qui hæc narrat anno 552. Num. 17. reprehendens Nicephorum, quòd Theodoram pacis sequestram dixit, quæ iam anno 548. fatis concesserat. Ex quibus etiam Chronici laudati fides confirmatur, nam ante quatuor menses Vigilium Constantinopolim ingressus paucis diebus elapsis Mennam à communione suspendit; quare exeunte Ianuario rectè eiusdem aduentus ibidem statuitur, & post quatuor menses, ut ait Nicephorus, Mennam in gratiam recepit, nempe*

29. Iunij ex laudato
Theophane.



CAPVT IV.

Vigilius Papa Iudicatum contra tria capitula scribit. Africani, atq; Illyrij acerrimè Iudicatio aduersantur.

Anno
548.

Interim Vigilius experiebatur, quàm prudenter decessores Pontifices Graecorum Synodis interesse recusassent. Talis enim ac tanta eidem violentia inferebatur, vt in publico conuentu semel in hac querelas feratur erupisset. Contestor, quia etsi me captiuum tenetis, beatum Petrum Apostolum captiuum facere non potestis. Horum testis venit Italiae Clerus in libello supplici dato Legatis Childeberti Francorum Regis Constantinopolim proficiscentibus, quo enixè rogabantur, vt Vigilij Papae causam susciperent. Editus est hic libellus ab eruditissimo viro Iacobo Sirmondo tomo 1. Conciliorum Galliae ad annum 552. pag. 294. Hoc vnum Vigilius petebat, vt in Sicilia, vel alio quopiam loco Occidentali proximiori Oecumenica Synodus haberetur, ad quam Latini, qui facti veluti foedere pro tribus capitulis stabant, commodè commeari possent, quod iam antea licet frustra post Ephesinum latrocinium Leo Magnus, & Leonis nomine Valentinianus Imperator, & Augustae à Theodosio iuniori petierant. Sed ex Iustiniani decreto res in vrbe regia ventilanda erat. Ineunte anno 548. Mennas, quò pleniori obsequio Vigilium demulceret, & illum in sententiam traheret, eiusdem nomen in sacris diptychis primo loco recitandum iussit, nam orta anno superiori inter vtrumq; discordia Vigilium è diptychis prorsus expunxerat. Reddo verba Theophanis: *Mense Ianuario Patriarchae Constantinopolitani nomen primo gradu motum est Vigilio ei praeposito, nomen enim eius in Ecclesiasticis tabulis ad primum gradum promotum fuit.* Annus verò hoc caractere ibidem designatur: *Iulij mensis die 28. feria tertia.* Est annus 548. Cyclo Solis 25. Lunae 17. lit. E. D. Vrgente verò Principe Synodum, Vigilium Patrum Senatum cogit. Adfuere, inquit praesens Facundus in libro contra Mocianum, *septuaginta circiter Episcopi cum Romano Antistite congregati.* Ille cum secus, quàm sperabat, rem succedere animaduertit, Afris quibusdam tria capitula vehementius oppugnantibus, acta Synodi interrumpens statuit per semet sententiam proferre. Agrè tulit hoc factum Facundus, vnde Vigilium in citato volumine increpans ait: *Sed quoniam occulta eius ante iudicium pollicitatio renebatur, in qua se sponndit eadem capitula damnaturum, vt se quasi per ignorantiam possit abluere, probationem, quam offerebam, quamque ipse instanter exigere debuit, mihi facere non permisit.* Hæc ille Vigilio subinfensus, initi enim clam cum aduersarijs foederis Afri Pontificem semper accusarunt. Vigilium diuturnioris in Vrbe regia morae impatiens, ac Iustiniani violentijs fractus Iudicatum ad Mennam scripsit, in quo propugnata hucusq; tria capitula mutata derepentè sententia damnauit adiecta tamen hac clausula: *Salua in omnibus reuerentia Synodi Chalcedonensis.* Ipse Vigilium in literis contra Theodorum rem ita narrat: *Pro scandalo refranando condescendentes quorundam animis, quos aliqua dispensatione credidimus temperandos, quia tu iam eos pluribus annis inquietissimus stimulator accenderas, quaedam pro tempore medicinaliter existimauimus ordinanda, tali scilicet conditione, vt omni impofterum perturbatione sopita, nihil ultra nec verbo, nec literis quisquam*

facere

facere ex eadem causa praesumeret. Et quidem vtriq; parti se fecisse satis Vigilius arbitratur; Graecis, quòd tria capitula condemnasset: Latinis, quòd salua Synodo Chalcedonensi id se fecisse contestaretur, pro illa enim facta, testata tanta illi turbas ciebant. Iam enim videre coeperat, quod Graeci rectè monebant, tria capitula ad Synodum Chalcedonensem non spectare, quæ iam finita erat, antequam illa nominarentur, & de quibus Leo Magnus sententiam minimè tulerat, quippe qui acta Synodi vsq; ad definitionem fidei solummodò adprobat. Hoc iudicatum tradidit Mennae Sabbato Sancto, quod eo anno bissextili fuit die 11. Aprilis ex Cyclis superius notatis. Praesto erant Vigilio inter alios Rusticus, & Sebastianus doctissimi Romanae Ecclesiae Diaconi, & ille quidem eiusdem Vigilij Nepos, cuius librum contra haereticos legimus tomo 6. Bibl. PP. par. 2. Hic lecto Pontificis iudicatio publicè dixit: *Melius fieri non potuit, quam quod factum est Iudicatum.* Sebastianus verò, qui nuper ex Dalmatia aduenerat, exclamauit: *De caelo Iudicatum ordinatum.* At Facundus velut in rabiem actus *nefandum iudicatum* appellare non extimuit in libro contra Mocianum. Interim memoratus Vigilij nepos plurima Iudicati exemplaria per Tyrannum Magistrum militum Pontifice inscio transmisit in Africam, eiusdemq; exempla quadruplicata, & quidem minutissimis characteribus exscripta in Italiam ad Pelagium Diaconum clam deferenda curauit, atq; vniuersos coram hortabatur, vt Iudicatum reciperent.

Iustinianus Vigilij sententia commendata eandem sacris diualibus omnibus Romani imperij incolis intimauit. Do verba Victoris Tunonensis: *Post consul. Basilij anno VIII. Iustinianus Imperator per diuersas Prouincias regni sui sinibus constitutas instantissimè scribit, & Antistites cunctos praefata tria capitula damnare compellit.* Vbi primùm Occidentalibus Ecclesijs Vigilij Iudicatum, ac noua Principis edicta innotuere, conqueri singuli, ac deplorare Synodi Chalcedonensis auctoritatem à Vigilio depressam, proditam ab illo fidem, & Ecclesiam prauo dogmate imbutam. Africani non modò Iudicatum non adprobarunt, sed eidem consentientes ecclesiastica communione priuarunt; idem ab Illyricis Episcopis factum. Facundus in libro contra Mocianum acerrimè in Vigilium inuectus ait: *Iudex asserit, quòd inuitus protulerit istud Iudicatum: Nos contra respondemus, quòd vltro per ambitionem pollicitatione facta peccauerit, nec vlla sustinuerit tormenta, quibus cessasse credatur.* Rursus: *Ob hoc etiam de Romani Episcopi chirographis vel prius ambitionis impulsu, cum fieri arderet Episcopus, vel postea venalitate parti alteri factis, necessarium duximus non tacere, ne auctoritate nominis eius prauidicium vera fides sufferret.* Legantur ibi plurima, nam conuiciorum plaustris totus in rabiem actus impudenter Vigilium opprimere conatur. Fremebat vniuersus Occidens, palamq; Iustiniani iussis non modò Episcopi, sed integra plebes refragabantur; vnde Imperator ex Vigilij Iudicatio lites in immensum auctas intelligebat, quas tamen eo scripto componendas sperauerat. Rerum igitur perturbatione commotus vtilioribus remedijs animum applicuit, quod & commodius prestare poterat mortua hoc anno Theodora coniuge, quæ cum Acephalorum sectae faueret, mille malis Orientem afflixerat, vt pluribus magnus annalium Ecclesiasticorum conditor describit. Obijt Theodora mense Iunio cum imperasset ex Procopio lib. 3. de bello Gothico annos XXI. menses tres; indepta enim fuerat imperium anno 527. Kalendis Apri-



Aprilis. Corrigendus est Tunonensis, qui defunctam illam scribit Post consul. Basilij IX. sicuti nec placet, quod scribit Theophanes: *Eodem anno mensis Junio Indictione XI. Imperatrix Theodora cum pietate obdormiuit.* Pessima enim foemina vsq; ad mortem prauo dogmati obstinatè inhæsit, illa autem mortua nullas de fide quæstiones deinceps cœpit Ecclesia in Oriente formidare, vti testatur Pelagius I. eidem Imperatrici satis cognitus in epist. 12. ad Childebertum Regem Francorum. Scribit Baronius nesciri, quo genere morbi hæretica mulier extincta fuerit, id tamen Tunonensis loco adducto exposuit: *Theodora*, inquit, *Augusta Chalcedonensis Synodi inimica canceris plaga toto corpore perfusa vitam prodigiosè finiuit.* Illius scelera, ac flagitia suis coloribus affabre delineauit Procopius in arcana historia, sacrilegia verò Liberatus Diaconus, atque Euagrius; ita vnus pessimæ mulieris arte sacra omnia, ac profana in Romano imperio pessum iuere. Per illam fanè hanc de tribus capitulis tempestatem, qua vniuersa Ecclesiæ tranquillitas miserando naufragio penè submersa fuit, exortam esse laudati Scriptores prodidere: Liberati verba superius ea de re recitauimus. Poenas tandem turpissimo exitu vltori Numini dedit.

Interea non solum in Occidente ob Iudicatum malè audiebat Vigilius, sed etiam à pluribus vel in ipsa regia Vrbe passim traducebatur, eorum nomina habentur in sententia lata à Vigilio contra Rusticum, & Sebastianum. Horum Princeps erat Felix Monachus Africanus Gillitani monasterij Hegumenus, qui non modò palam Iudicatum impugnabat, sed & cæteros in suam sententiam trahere conabatur. Diaconi certè Rusticus, & Sebastianus magni illi paulò ante Iudicati præcones, ac laudatores Monachi persuasionibus victi exeunte anno à priori sententia discessere, ac perfrecta fronte à Vigilij communionem segregati hostium numerum auxere. Illi quidem literas quaquauersum disseminarunt, queis significabant, Vigilium aliquid scripsisse, quod reperiatur aduersum definitionem Sanctæ Chalcedonensis Synodi, teste ipsomet Vigilio in scripto contra eosdem anathemate, vbi hæc addit: *In quo memorato scripto etiam contra diuinas scripturas non solum Pontificibus multis, sed etiam, quod dici nefas est, ipsi quoq; Principi sacrilegas iniurias irrogare tentastis.* Hinc Vigilius iusta contra eosdem indignatione concepta, vbi ad meliorem frugem eos reuerti nolle cognouit, vtrūque anathemate perculsum dignitate, ac gradu submouit. Sententia in eosdem à Vigilio lata inserta est actis Synodi V. collat. 7. Baronius anno 550. vtrumq; damnatum scribit, cui non repugno, nec vnquam repugnare ausim, nisi rei secus se habentis veritate conuictus. Certe hæc ibi leguntur: *Hæc ergo sustinentes per multa temporis spatia patientia sacerdotali refecare distulimus credentes vos forsitan resipisci.* Felicem etiam Monachum rebellionis authorem eadem poena multauit, qui vsq; ad Synodi finem Byzantij moratus iubente Iustiniano in exilium deportatus est, de quo scribit Victor: *Post consul. Basilij XVII. Eo tempore Felix Hegumenus Monasterij Gillitani in exilio apud Sinopen de hac vita migravit ad Dominum.* Erat vrbs in Ponto olim nobilissima. Aurelianus Arelatenensis Metropolita, qui anno 546. à Vigilio Apostolicæ Sedis Vicarium in Gallijs agere iussus fuerat, sparsis per rebelles Diaconos rumoribus commotus Anastasium cum literis Constantinopolim misit, indicans vbiq; eam famam percrebuisse, quòd per Iudicatum Chalcedonensis Synodi fidem decurtaretur, quæ literæ redditæ sunt Vigilio pridie Idus Iulias, respondit verò Vigilius anno sequenti.

Illy-

Illyrici Episcopi, qui transeuti Vigilio anno 546. occurrerant, ac eundem rogauerant, vt nullatenus nouitati, quæ facta est, acquiesceret, verba sunt Facundi lib. 4. cap. 3. vbi primùm Iudicati sententiam intellexere, Synodum indicunt, ac trium capitulorum defensio communi consilio decernitur. Horum testis est Tunonensis: *Post consulatum Basilij anno IX. Illyriciana Synodus in defensione trium capitulorum Iustiniano Augusto scribit, & Benenatum primæ Iustinianæ ciuitatis Episcopum obtrectatorem eorundem trium capitulorum condemnat.* Vnus hic Benenatus ex Metropolitibus Illyrij contra tria capitula sentiebat. Nec mirum: Etenim Iustinianus ignobili loco natus in Dardania Europea apud Tauresium ibidem postea nobilissimam urbem condidit, de qua pluribus agit Procopius lib. 4. de ædificijs Iustiniani. Illam quidem Metropolitana Sede nobilitare desiderans id ab Agapeto petierat, intra cuius diocesim Patriarchicam sita erat, at illo quidem breui defuncto id ipsum à Vigilio impetrauerat. Benenatus fuit secundus Metropolita primæ Iustinianæ, cui vicinarum prouinciarum Episcopos Vigilius subiecerat Thessalonicensi Primate antiquissima iurisdictione multato. Extat Nouella Iustiniani CXXXI. ad Petrum Præfectum Sacrorum Prætoriorum, in qua Imperator vicinas prouincias Metropolitanæ primæ Iustinianæ subijcit, testatus se edicere secundum ea, quæ definita sunt à Sanctissimo Papa Vigilio. Baronius scribit Iustinianum anno 555. à Vigilio tum temporis ærumnis fatigato extorsisse, vt prima Iustiniana non Episcopatus tantum, sed Metropolitanæ Sedis augetur dignitate. Ibidem Num. 6. Baronio adhæret meus Lupus cap. 7. com. in Synodum V. At non ita est; nam sanctio Iustiniana data est XV. Kal. Aprilis Basilio V. C. Consule, nempe anno 541. Hinc in Synodo V. collat. 2. cum Paulus Episcopus secundæ Iustinianæ inuitatus à Græcis, vt ad Synodum accederet, idemq; rogaretur Sabinianus Zapparenius, responderunt, non posse se venire, eò quòd non præsto est Archiepiscopus Benenatus. Patres Græci replicarunt: *Paulo licebit, secundum quod petierunt, ad Benenatum religiosissimum Episcopum accedere, qui communicat nobis, & consentit his, quæ ab ista Synodo aguntur, sicut ostendunt ea, quæ sæpius scripsit, & fecit.* Ex his patet ante annum 555. primam Iustinianam Pontificis autoritate, & Synodi testimonio habuisse Antistitem Metropolitanam. Itaq; Benenatus, qui in Iustiniani patria Antistes sedebat, ad Imperatorem accedens tria capitula damnauerat, hinc à reliquis Episcopis Illyricianis sacris interdictus fuit.

Anno sequenti Africani Antistites Reparato Carthaginensi duce grande anno facinus ausi non modò Iudicatum reiecerunt, verum etiam Vigilium ipsum 550. anathemati subiecerunt. Hæc habentur in Chronico Victoris, qui fusiùs, quam cæteri, gesta in causa de tribus capitulis suis fastis inseruit: *Post consul. Basilij*, inquit, *anno X. Africani Antistites Vigilium Romanum Episcopum damnatorem trium capitulorum Synodaliter à Catholica communionem reseruato ei penitentia loco recludunt, & pro defensione memoratorum trium capitulorum literas satis idoneas Iustiniano Principi per Olympium Magistrianum mittunt.* Adeo ima summis confusa erant. Facundus etiam Hermianensis Afrorum vehementissimus in libro contra Moecianum perperam arguit Vigilium mendacij, prodicionis, collusionis cum Acephalis, ambitionis, venalitatis. Cæterum Iustinianus acceptis ab Africanis, & Illyricis actis Synodalibus, queis tria capitula propugnabant, contra eosdem statim rescripsit. Do Isidori verba: *Iustinianus*, inquit, *Imperator condi-*



condidit quoq; & rescriptum contra Illyricianam Synodum, & aduersus Africanos Episcopos, in quo tria capitula damnare contendit. In lib. de viris illustr. cap. 12. Vigilius cum ob Iudicatum passim se malè audire intelligeret, nam tanquã Chalcedonensis Synodi hostis publicabatur, datis ad nobiles Episcopos literis hanc à se procul infamiam excutere conatus est. Die 18. Martij scripsit ad Valentinianum Tomitanum in Ponto Metropolitanam significans falsis Rustici, ac Sebastiani delationibus hæc de se sinistra vbiq; spargi, damnasse se tria capitula salua fidei definitione per Chalcedonenses Patres statuta. In eandem etiam sententiam literas misit ad Aurelianum Arelatensem. Data illæ sunt anno Iustiniani XXIV. die 29. Aprilis; consulatum tamen Basilij IX. signandum esse rectè monuit Baronius, quod patet ex his, quæ ibidem scribit: *Uti quia Gothi cum Rege suo in ciuitatem Romanam perhibentur ingressi.* Capta enim est Vrbs ex Procopio anno decimo quinto belli Gothici lib. 3. Ex quibus patet eundem Scriptorem priorum annorum metachronismum correxisse.

Turpis sanè Ecclesiæ facies erat, ac iam Anastasij Hæretici Principis tempora feliciora videbantur, tunc enim Oriente infecto, Acephalis dominantibus, prauis dogmatis Magistris in Asia primas sedes occupantibus, Occidentis pace fruebatur, atq; Sanctissimorum Pontificum opera in fide continebatur. At sub Iustiniano Synodi Synodis aduersabantur, rebellat Occidentalis Ecclesia à Vigilio, neq; hic apud Græcos in honore erat. Africani eò vsq; temeritatis eruperant, ut ipsum Pontificem palam anathemate percellerent. Sed & eosdem pari pœna Vigilius multauerat, nam Iudicati detractores ipso facto anathemati subijciebantur, quod ex his, quæ in sententia eiusdem Vigilij contra Rusticum, & Sebastianum leguntur, intelligitur: *Quos pro hoc, ait Vigilius, quod contra Iudicatum nostrum scripserant, per eiusdem Iudicati seriem constabat iam à nobis communionem suspensos.* Sed non tantum scripto, verum etiam armis decertabatur, tantaq; rabie suæ quisq; factioni studebat, ut nonnulli ne sacrosanctas quidem loca reueriti eadem impia cæde polluerent. Conqueritur Vigilius ex literis rebellium Diaconorum contra Iudicatum emissis tantas alicubi turbas excitatas, *ut humanus sanguis in aliquibus locis intra Ecclesiam, quod dici nefas est, funderetur.* In sententia contra eosdem lata. Quare plenaria, seu Oecumenica Synodo opus esse non modò Vigilius, sed Iustinianus quoq; optimè intelligebant. Vigilius priori sententiæ inhærens in Italia cogi illam malebat, nec semel hoc à Principe se petijisse testatur in Constituto ad Iustinianum: *Optauimus, inquit, venerabilis Imperator, sicut frequentissimè supplici prece poposcimus, eundem ad quemlibet Italiae locum, aut certè ad Siciliam, & conuocatis ad nos Africanæ, & aliarum prouinciarum Latina lingua Sacerdotibus, vel Ecclesiæ nostræ sacratis ordinibus secundum consuetudinem tractaremus, & de questionibus trium capitulorum pietati vestra redderemus plena deliberatione responsum. Quod quia fieri Serenitas vestra non annuit, hoc iterum noscitur constitutum, ut oblati à nobis mansuetudini vestrae nominibus de superscriptis prouincijs, qui nobiscum ad tractandum adhiberentur Antistites Clementia vestra faceret aduincire, cui dispositioni item prebuimus Ecclesiasticae pacis amore consensum.* Hoc verò postremum ipsummet Vigilium à Principe petijisse Clerus Italiae in libello supplici affirmat, aliorum tamen consilio id Papæ insinuatum constat, ex verbis Vigilij. Illud tamen falsum esse arbitror, quod ibidem Clerici illi ponunt, nempe: *Capit iterum sæpè dictus beatissimus Papa Vigilius*

lius

lius ad hoc compelli, ut absolutè capitula sine Synodi Chalcedonensis mentione damnetur. Hanc enim clausulam in Iudicato Vigilius posuerat: *Salua in omnibus reuerentia Synodi Chalcedonensis.* At hac clausula tantum abest, ut Iustinianus offenderetur, ut eandem & suo decreto contra tria capitula his plane verbis inseruerit: *Si quis dicit nos hæc ad abolendos, aut excludendos Sanctos Patres, qui in Chalcedonensi fuere Concilio, dixisse, anathema sit.* Non ergo Iustinianus odisse poterat eam restrictionem, quam sub anathematis interminatione ipsemet asserendam singulis intimauerat. Hinc Iustinianus ob eximiam ipsius erga Chalcedonense Concilium reuerentiam, quippe qui illud inter sacra diptycha recitari iusserat, dictus est *Synodita*, ut ex Leontio superius notatum est.

Iussi sunt ergo nobiliores singularum Prouinciarum Episcopi, qui in Romani imperij urbibus sedebant, Constantinopolim ad Synodum accedere. *Ex Illyrico, inquit Clerus Italiae nullus venire voluit.* Adfuisse tamen tempore Synodi Benignum Episcopum Heracleæ Pelagoniæ vicem agentem Eliæ Metropolitanæ Theffalonicensis ex Synodi subscriptionibus constat. Benignus hic in Constituto Vigilij edito à Baronio ad Annum 553. Num. 49. dicitur Episcopus Heracleæ Paphlagoniæ, vnde & à Patre Lupo in commentarijs collat. 5. Synodi V. appellatur *Benignus Heracleæ in Paphlagonia Episcopus.* Sed eruditus viris non accedo. Nam nulla huius nominis vrbs fuit vnquam in Paphlagonia, quæ cum sit in extrema parte Galatiæ in Asia, non video quomodo illius prouinciæ Episcopus vices gerere potuerit Metropolitanæ Macedoniae. Erat Benignus Episcopus Heracleæ in Pelagonia, quæ est parua Macedoniae regio inter Axium, & Erigonum sita. Et iam olim tum in latrocinali conuentu Ephesino, tum in Synodo Chalcedonensi legitur subscriptus *Quintillus Heracleæ Macedoniae agens vices Anastasij Episcopi Theffalonicensis.* Ita & in Synodo V. Benignus Heracleæ Macedoniae gessit vices Eliæ Theffalonicensis. In magna Synodo Chalcedonensi leguntur Episcopi Cyriacus Heracleæ Thraciæ, Theodorus Heracleæ Ponti, Menander Heracleæ ciuitatis Latmos, quæ est Cariæ vrbs ad Latmum montem, & Dionysius Heracleæ ciuitatis Lyncestidum act. 1. Synod. Chalced. initio. Hæc postrema vrbs est illa, quæ in subscriptionibus Synodi V. dicitur *Heraclea Pelagoniæ.* Nam Lyncestis regio Macedoniae est Pelagoniæ contermina, & vltra Erigonum Heracleæ territorium tantummodò sibi vindicat, vnde Heraclea, quæ ad Erigoni ripas sita est, ad Lyncestidem spectat; quare rectè in Synodo Chalcedonensi Dionysius dictus est *Episcopus Heracleæ Lyncestidum.* Pelagonia autè à Strabone dicitur Tripolitis, quod tres in ea tantum vrbes numerabantur, quas inter Heraclea non erat. Cæterum Benignus sub Iustiniano nuncupatus est *Episcopus Heracleæ Pelagoniæ*, ea parte Lyncestis trans Erigonum Pelagoniæ adiuncta. Præter Benignum adfuerunt etiam in Synodo Soterus Episcopus Aulonis, & Phocas Staliensis, agens vices Benenati Metropolitanæ primæ Iustinianæ. Rursus Paulus Vlpianensis, Sabinianus Zapparentis, Proiectus Naiffitanus, horum tres postremi Vigilio adhærebant, priores verò Iustiniani, ac Græcorum sententiam sequebantur. De Africanis ita scribit oculatus testis Victor Tunonensis: *Post consulatum Basilij Anno XI. Reparatus Archiepiscopus Carthaginensis Ecclesiæ, Firmus Numidarum Episcoporum Primates, & Primasius, & Verecundus Concilij Byzaceni Episcopi pro fidei causa ad urbem regiam eiusdem precepto Principis euocantur.* Primasius erat

E

erat

erat Episcopus Adrumetinus, & Vigilij Constitutum contra Iustiniani sententiam subscripsit, qui tamen paulo post mutata sententia in Synodi decretum pedibus inuit, vt postea nobis commemorabitur.

Interea capta Roma à Torila, ac Gothis tota Italia victoribus Vigilij instabat Iustiniano, vt iterum Belisarius cum exercitu in Italiam mitteretur. Imperator verò non Gothos, sed subortam de tribus capitulis dissensionem malebat profligare. Reddo verba Procopij ex versione Grotij lib. 3. *At Vigilij Roma Antistes cum Italis, qui & multi, & nobiles Byzantium aduenerant, non cessabant instare, vt in Italiam magna cum vi Belisarius remitteretur &c. At Imperator Italiam sibi curae fore promisit, assiduus interim tractandis Christianorum placitis hoc proposito, studioque, vt quae inter eos disputando iactabantur, componeret.* Hæc Procopius. Nulla enim peiora dissidia Principibus censentur, quam quæ ob dogmatum diuersitatem subditos in factiones dilancinant, neque hostis propulsari facili potest, regno ciuilibus discordijs afflicto. Vigilij nulla re magis in dies agebatur, quam quòd Iudicatum emiserat, cuius scripti non semel eundem pernituit; videbat enim Occidentales ob id omni erga Apostolicam Sedem reuerentia deposita rebellasse. Quare prudenti consilio cum Iustiniano egit, vt à Menna sibi Iudicatum illud restitueretur, vnde postea in Synodo plenaria velut ex integro eadem causa tractaretur, nullaque fieri posset ex priori illo decreto Sacris Senatoribus in dicenda sententia præscriptio. Id tamen eo consilio Pontifex faciebat, vt Iudicatum è Græcorum manibus extorqueret, eaque ratione Latinis ostenderet, inuitum se illa scripsisse. *Præstitit igitur Deus, ut hac ratione Sanctus Papa Vigilij Iudicatum, quod in ipsa causa fecerat, publicè in conuentu reciperet denunciando, quia si quis Græcorum Episcoporum vsque ad vniuersalis Concilij tractatum de istis Capitulis aliquid fecisset, aut facientibus acquiescisset, à communionem Sedis Apostolicæ alienus existeret.* Hæc referunt Clerici Italiae in libello laudato. Cæterum Vigilij vnà cum Iudicato Latinorum omnium amorem, ac reuerentiam erga Apostolicam Sedem recuperatam putabat; inde etiam factum est, vt in priorem sententiam liberius regredi potuerit, qua tria Capitula antequam Byzantium veniret, adprobarat. Illius Iudicati nec vnicum exemplum apud Mennam remansisse, eo mihi argumento probatur, quòd cum postea collatione VII. Synodali ex scriptis Vigilij tria Capitula ab Apostolica Sede damnata esse demonstrare Græci Patres conarentur, ac sententiam contra Diaconos Romanos, itemque epistolas ad Valentinianum, & Aurelianum Antistites ad verbum recitarent, Iudicatum minimè protulerunt. Sed Vigilij verba reddenda sunt in decreto contra Theodorum: *Ad hoc est causa perducta, quatenus semotis omnibus, quæ de trium capitulorum à quibuslibet dicto, scriptone fuerant ordinata, quid de ipsa re factum opus esset, cum Africanarum, Illyricianarum, seu Vualliarum partium congregata Synodo tractaremus, eorum maxime presentiam requirentes, quorum fuerat scandalizata fraternitas; illud quoque magnopere nobis cum Clementissimo Principe presentibus etiam Menna Constantinopolitane civitatis, & Datio Mediolanensis Urbis Antistite, alijsque tam Græcis, quam Latinis Episcopis, cum quibus omnibus etiam tu Theodore pariter affuisti, necnon & presentibus Iudicibus, atque Proceribus, vniuersoque Senatu conuenit, ne vsque ad memoratam Concilij definitionem quicquam de præfatis tribus capitulis ab aliquo fieri intentaretur.* Hæc Vigilij.

CAPVT V.

Theodorus Mopsuestia Pelagianus è sacris Diptychis expunctus. Nonnulla de eisdem diptychis adnotantur, & Diptychion Mopsuestenum illustratur. Iustinianus publicat edictum contra tria Capitula, ac Vigilium, & Africanos Episcopos eidem resistentes seuius affligit. Moritur Mennas Patriarcha C-P.

Iustinianus induciarum tempore susceptum semel contra tria capitula bellum acerrimè vrgebat. Cum accepisset nomen Theodori è sacris diptychis Ecclesiæ Mopsuestenæ, cuius ille olim Episcopus fuerat, erasum fuisse, ad Ioannem Metropolitam Iustinopolitanum (est autem hæc vrbs primaria Ciliciæ minoris Anazarbus antea dicta, quæ teste Euagrio lib. 4. cap. 8. terræmotu deiecta, & à Iustino Imperatore restituta eiusdem nomen acceperat) litteras misit, quibus mandabat, vt collecta prouinciæ Synodo inuestigaret, quandonam Theodorus è sacris diptychis expunctus fuisset. Eiusdem ferè exempli epistolam dedit ad Cosmum Episcopum Mopsuestiæ, qui ante paucos menses in demortui Simeonis locum hac ipsa indictione XIII. subrogatus fuerat. Scriptæ sunt literæ Iustiniani die 13. Maij, anno imperij eiusdem XXIV. P. C. Basilij IX. Coacta est autem Synodus Mopsuestiæ die 17. Iunij, cuius acta recitantur in Synodo V. quorum initium collatione quinta hocce refertur: *Imperij diuini, & pijsissimi nostri Domini Flauij Iustiniani perpetuò Augusti Imperatoris anno XXIII. legendum XXIV. Post consulatum Basilij V. C. anno nono mensis Iunij XVII. instantis Indictionis XIII. in Mopsuestia colonia Christianissima &c. Adfuerunt cum Ioanne Metropolita octo alij Episcopi.* Vnde nescio cur Ricciolius in magno chronico ad annum 550. scripserit: *Iustinianus vniuersalem Synodum Mopsuestiæ in Cilicia conuocat.* Adfuerunt etiam seniores Clerici, & nobiles ciuitatis. Ioannes Cimeliarcha iussus proferre diptycha Ecclesiæ, in quibus Sanctæ memoriæ Sacerdotum ipsius optimæ ciuitatis continentur vocabula, respondit: *Secundum iussionem vestre sanctitatis inter sacra vasa, quæ à me seruantur, habentes diptycha illa protuli, & ad recitationem porrigo. Habeo autem, & duos membranaceos quaterniones vetustiores istis, quæ nunc sunt, & recitantur, quos & ipsos protuli, sicut videtis.* Iacobus Goar in Euchologio in notis ad liturgiam Chrysofomi vertit chartaceos codices. Ex his apertè constat diptycha illius Ecclesiæ fuisse membranas quasdam, in quibus nomina Episcoporum scribebantur. Hinc diptycha à Synodo Constantinopolitana sub Ioanne Patriarcha anno 518. in relatione ad eundem, itemque à Monachis regiæ vrbs in libello ad eam ipsam Synodum sacri libri nuncupata sunt.

Distincta erant diptycha viuientium, ac mortuorum; nam in diuersis libris eorundem nomina scribebantur. Hoc patet ex literis Attici Constantinopolitani ad Cyrillum de restituto diptychis Chrysofomo: *Mentio namque eius, inquit, fit cum defunctis non solum Episcopis, sed & Presbyteris, Diaconis, & laicis ipsis, mulieribusque &c. Magna est enim inter defunctos, & superstites differentia, vt etiam libri propter differentem eorum, quorum memoria conseruatur, statum discreta sint.* Ita diptycha à Basilij libros & ipse nuncupauit, eos verò ex aliquot paginis conflatos constat, quòd tot sacrorum, ac laicorum, imò & mulierum nomina



continebant. Porro nomina haud promiscuè inscribentur, sed in vna pagina Episcopi, in alia Presbyteri, in altera Diaconi, atque ita diuersis etiam Laici, ac foeminae diptychis consignabantur.

Profana quidem diptycha, quae noui Consulis nomen exhibebatur, ex ebore fuisse certum est ex Cod. Theod. lib. 15. tit. 9. vbi: Illud etiam constitutione solidamus, ut exceptis Consulibus ordinarijs, nulli prorsus alteri auream sportulam, diptycha ex ebore dandi facultas sit. Cum publica celebrantur officia, sit sportulis nomen argenteus, alia materia diptychis. Datum est illud rescriptum ab Imperatoribus Valentiniano, & Theodosio anno 384. Tabellis eburneis characteribus aureis nomen Consulis inscribentur, hinc Claudianus lib. 3. de laudibus Stilichonis propè finem canit.

*Tum virides pardos, & cetera colligit Austri
Prodigia, immanesque simul Latonia dentes,
Qui secti ferro in tabulas, auroque micantes
Inscripti rutilum caelato consule nomen
Per proceres, & vulgus eant.*

Ex illis caelato Consule effigiem etiam Consulis in tabella sculptam fuisse colligimus, & nostra aetate Alexander Vvithelmus haec diptycha consularia non vno loco inter antiquissima cimelia inuenta publicauit, ac nobili insuper commentario illustrauit, quem mihi primùm ostendit Octavius Ferrarius magnum illud huius Academiae Patauinæ decus, ac nostrae aetatis Oratorum facile Princeps. Erat duplex tabella ex vtraque parte effigiem Consulis repraesentans. Huiusmodi etiam diptychon exhibet Sirmondus in notis ad epist. 5. Libri 8. Sidonij Apollinaris. Hinc verò illi catalogi Episcoporum, aliorumque apud Christianos diptychorum nomen mutuarunt, & consulare diptychon sacrum euasit. Augustinus duas catalogi tabulas eleganter lib. 15. contra Faustum cap. 4. Diptychium lapideum nuncupauit. Ceterùm & sacra diptycha alicubi eburnea fuisse indicat Fortunatus lib. 10. carm. 7. de Natalitio die S. Martini Turonensis ad Childebertum Regem, vbi ait.

*Nomina vestra legat Patriarchis, atque Prophetis,
Cui hodie in templo diptychus edit ebur.*

Non inde tamen certò colligitur nomina Episcoporum ebori fuisse insculpta, nam coopertorium fortè solummodò eburneum erat, nomina autem membranis inscripta. Habemus ex inscriptione Gruteri pag. 174. T. Tarfernium legasse PVGILLARES MEMBRANACEOS OPERCVLIS EBOREIS. Certè diptychum Mopsuestenum membranaceum fuisse ex laudato testimonio constat, quòd verò inter sacra vasa, ac pretiosam supellectilem repositum illud video, easdem membranas crediderim eburneis coopertorijs, vel alterius pretiosae materiae tegumentis inclusas.

Diptycha sacra summa in veneratione erant; etenim in sacrosancto mysterio exponantur, & Diaconus eadem thure suffibat, quod ex liturgia S. Ioannis Chrysostomi colligo, vbi haec habentur: Ο Διάκονος θυμιά γύρωθεν τῆς ἀγίας τράπεζης, καὶ τὰ διπτύχα. Diaconus circumiens suffit sacram mensam, & diptycha. Interpretes antiquiores imperitè pro diptychis corporalia posuerunt. Recitantur diptycha à Diacono alta voce in ambone, quod ex actis Synodi Constantinopolitanae anno 518. celebratae colligitur, vbi cum populus conclamasset;

masset: Diptycha ambont. Qui non loquitur Manichaeus est. Diptycha amboni. Ioannes Patriarcha populo satisfecit. Post lectionem sancti Euangelij ex more sacra missa finita, & ianuis clausis (missa inquam Catechumenorum, quibus post euangelij recitationem extra Ecclesiam dimissis ianuae claudebantur) ac sancta lectione iuxta consuetudinem lecta, tempore diptychorum cucurrit omnis multitudo cum magno silentio circa altare, & audiebat. Et cum solum lecta fuissent à Diacono nomina praedictarum Sanctarum quatuor Synodorum, & sanctae memoriae Archiepiscoporum Eufemij, Macedonij, & Leonis voce magna vniuersi clamauerunt, gloria tibi Domine. S. Leonis Papae, nec non Eufemij, ac Macedonij regiae Urbis Praesulum nomina Anastasius haereticus Imperator è sacris tabulis eraserat, ideo eodem anno 518. Iulij die nona defuncto, populus septimo post die, nempe die sextadecima feria secunda eorundem Praesulum nomina diptychis restituta audiuit. Haec quidem referuntur in actis Concilij Constantinopolitani sub Menna anno 536. actione prima. Atque haec de materia, & recitatione sacrorum diptychorum indicasse sufficiat. Legatur purpura aequè, ac sapientia Eminentissimus Bona lib. 2. rerum Liturgicarum cap. 12. vbi eruditissimè de sacris diptychis disserit.

Verùm vt ad Mopsuestenam Synodum redeam, defunctorum illius Ecclesiae Antistitum nomina ita diptychis inscripta legebantur: Pro requiescentibus Episcopis Protogene, Zosimo, Olympio, Cyrillo, Thoma, Bassiano, Auxentio, Palatino, Iacobo, Zosimo, Theodoro, Simeone. Hic vltimus ante paucos menses decesserat, Theodorus verò è Galatia erat ante triennium defunctus. Olympius anno 381. interfuit Synodo Constantinopolitanae Theodosio Imperatore, nam inter Episcopos Ciliciae legitur Olympius Mopsuestiensis. Huic circa annum 391. successit Theodorus Antiochenus tantorum dissidiorum origo, qui cum annos sex, & triginta eam sedem tenuisset, circa annum 427. occubuit, vt lib. 2. hist. Pelag. cap. 4. narrauimus. Excepit Theodorus Thomam, qui in Synodo Antiochena praeside Domno Patriarcha contra Athanasium Parenorum Episcopum sententiam dixit; ibi enim haec legimus: Thomas Episcopus Mopsuestiae dixit &c. Hanc Synodum anno eodem, quo decessit S. Cyrillus Alexandrinus, habitam fuisse ex verbis Athanasij recitatis act. 14. Synodi Chalcedonensis colligit Pater Lupus cap. 4. comment. in Synodum latrocinalem Ephesinam: Hanc, causam inquit, audierunt beatae memoriae Cyrillus, & Proclus, & certas formas scripserunt Domno, qui fuit Antiochenus Episcopus, promisitque ille eas complere, & cum cognouisset mortem beati Cyrilli, resiliuit, & ad iudicium me vocauit. Cyrillum obiisse anno 444. locupletissimo eiusdem Cyrilli Nepotis testimonio probauimus lib. 2. hist. Pelag. cap. 11. Anno igitur 444. tempore Concilij Antiocheni, quod actioni 14. Synodi Chalcedonensis insertum legitur, Thomas Mopsuestiae sedebat. Idem interfuit Synodo alteri Antiochena in causa Ibae Edeffeni ex act. 19. Synodi Chalcedonensis, ille autem conuentus habitus est anno 448. vt ex actis Synodi Tyriae, & Berytensis colligitur, quae in eadem causa Ibae habitae sunt. Hic verò Thomas paulò post decessit, nam in subscriptionibus Concilij Chalcedonensis habitum anno 451. legimus: Bassianus Episcopus Mopsuestiae per Sophronium Chorepiscopum Anabarzi &c. Post Bassianum sacris Mopsuestenis praesuit Auxentius huius nominis secundus.

At cur Macedonius Episcopus in memorato Diptycho non recensetur? Etenim in subscriptionibus Synodi Nicænae anno 325. inter Antistites Ciliciae legi-



legitur *Macedonius Mopsuestiensis*. Omnes autem Episcopos Orthodoxos Patres his iusserant nominari: *Recitentur nobis sacra Diptycha, quae declarant sanctae memoriae connumerationem Sacerdotum istius Mopsuestenae civitatis, ex quo immaculata, & Orthodoxa fides praedicatur usque ad hunc, qui in praesenti tertiadecima indictione mortuus est.* Respondeo Macedonium ad Arianorum partes defecisse, diuque inter eosdem militasse, vnde veluti à fide Catholica rebellis è sacris Mopsuestenae Ecclesiae tabulis expunctus fuit. S. Athanasius in libro de Synodis scribit de Arianis: *Rursus quasi istorum poenitentia laborarent post triennium iterum in confesum veniunt, amandantq; Eudoxium Cilicem, & cum eo nonnullos ad Italiam secum deferentes fidem multis verbis conscriptam.* Hos inter legatos fuisse Macedonium Mopsuestiensem disertè tradit Socrates lib. 2. cap. 15. aliàs 19. vbi de eisdem haereticis ait: *Aliam fidem composuerunt, illamq; Italiae Episcopis per Eudoxium tunc Germaniciae Episcopum, & Martyrium, & Macedonium Mopsuestiae vrbis Ciliciae Episcopum mittunt.* Ex collega Eudoxio Arianæ factionis antesignano, qui Antiochenam, & postea C-P. Ecclesiam inuasit, ac Valentem Imperatorem abs se vndis sacris lotum in Orthodoxos concitavit, Macedonium inter Arianos connumeratum certum est. Scribit Baronius hanc Eudoxij legationem contigisse anno 344. nam ex Athanasio constat, post triennium à peracta Synodo Antiochena eandem destinatum fuisse. Illa verò Synodus habitata fuit ex Athanasio *Consulibus Marcellino, & Probino indictione XIV.* nempe ante 341. ante Septembrem. Sed triennium illud non à memorata Synodo Antiochena, sed ab alio Arianorum congressu post aliquot menses celebrato numerandum est; idem enim Athanasius scribit: *Hæc cum Antiochia tempore encæniorum egissent, ne tum quidem arbitrati satis perfectè fidem suam conscriptam esse, utpote homines turbido, fluctuantique animo, aliud scripturae genus de fide post aliquot menses conficiunt, amandantq; in Gallias Narcisum, Marim &c.* Postea addit elapsè triennio Eudoxium legatum, ac socios cum nouo symbolo in Occidentem missum. Itaque Macedonius anno 345. in Italiam venit, qui cum interesseret Synodo Mediolanensi, quæ per id temporis agebatur, iussus Arii errorem damnare, palam cum collegis id facere recusavit. Testatur hoc Liberius Papa in literis ad Constantium Imperatorem: *Quæ est pax, inquit, clementissime Imperator, cum sint ex partibus ipsis quatuor Episcopi Demophilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo, cum apud Mediolanum Arii hereticam sententiam nolissent damnare, de Concilio iratis animis exierunt?* Hæc literæ missæ sunt per legatos ad Imperatorem Arelate degentem anno 354. exeunte, vel insequenti indictione, vt rectè ostendit Baronius. Cum verò ibidem Liberius tradat ante annos octo Macedonium in Italiam venisse, patet id contigisse anno 345. post aliquot menses à celebratis Antiochiæ encænij, ac Synodo. Cum biennio post haberetur Sardicæ in Dacia Synodus Oecumenica, Ariani inde dilapsi Philippopolim secessere, ac conciliabulum peragentes encyclicas Sardicenses Concilij nomine inscriptas vulgarunt, in quibus Macedonij honorificè, utpote eiusdem farinae hominis mentionem fecere, ibi enim dicitur *Macedonius Episcopus, atque Confessor à Mopso.* Idem Macedonius primo loco legitur etiam subscriptus in memorata proximè Synodo Antiochena, in qua XXV. canones statuti sunt. At subscriptiones illæ ex Nicæna Synodo illuc fuerunt asportatæ, omnes enim, qui in eodem Antiocheno Concilio subscripti leguntur, Nicænam

nam quoque Synodum subsignarunt. Illa autem nomina ficta apparent ex subscriptione Theodori Laodiceæ. Etenim anno 341. sedebat Laodiceæ Theodori successor Georgius ex Socrate lib. 2. cap. 9. vbi ait: *Quis verò ille fuerit, docet Georgius Laodiceus, qui tum in Synodo, nempe Antiochena anno 341. praesens fuit.* Idem testatur Sozomenus lib. 3. cap. 6. In illa autem Synodo Antiochena legitur subscriptus Theodorus Laodiceæ, qui anno 341. cum illa Synodus celebraretur, è vita discesserat. Quod si veræ sunt ea subscriptiones, Concilium illud Antiochenum ante annum 341. celebratum fuit, & est diuersum à Synodo ibidem ab Eusebianis collecta, de qua loquitur Athanasius. Ante Macedonium sedit Mopsuestiae S. Auxentius, cuius memoria celebratur in Romano martyrologio die 18. Decembris. Hic cum sub Licinio militaret, ac iussus Dijs sacra facere, constanter scelus execratus fuisset, militari cingulo exutus ad sacra se transtulit, teste Suida, ac Præsul Mopsuestenus renunciatu fuit. Haftenus de Mopsuestenis Episcopis.

Recitato ergo diptycho laudato Stephanus Presbyter annos septuaginta vno minùs natus dixit: *Nullatenus scio, vel audiui Theodorum, qui olim in nostra civitate fuit Episcopus, nominatum in sacris diptychis. Cognoui autem ex quo huic connumeror Clero, quòd illo adempto ex ipsis aliquando Cyrillus Alexandrinæ civitatis Episcopus in illius loco insertus est sacris diptychis requiescentium Episcoporum, qui usque nunc pro ipso praedicatur.* Idem cæteri tum Clerici, tum nobiles ciues contestati sunt dicentes non meminisse se, quando ademptum est nomen Theodori, & insertus est pro illo Cyrillus. Itaq; Theodorus inter Olympium, & Thomam in sacris olim libris legebatur, ex quibus postea expunctus fuit. Porro hæc expunctio declarabat Theodorum mortuum fuisse in communionem Ecclesiae, post mortem verò errorum accusatum, atq; conuictum communionem priuatum fuisse. Theodoro autem substitutus est non quipiam Sanctus Episcopus è diocesi Patriarchatus Antiocheni, ad quem Cilicia vtraq; pertinebat, sed S. Cyrillus Alexandrinus, quòd hic datus ad Acacium, Rabbulam, Proclum, ac Ioannem Antiochenum literis Theodorum olim mortuum Nestorianæ doctrinae parentem detexerit, ac confutarit, nullam enim aliam huiusce subrogationis rationem video. Rasum ergo nomen Theodori è diptychis eundem hæreseos, aut schismatis reum decessisse conuincit, vnde S. Hormisdas nunquam Ioannem C-P. in Apostolicæ Sedis communionem recipere voluit, nisi priùs Acacij, eidemq; communicantium Euphemij, ac Macedonij in Constantinopolitana sede successorum nomina sacris diptychis paulò ante petentè populo inscripta iterum deleret. Rem narrat magnus Annalium concinnator Baronius ad annum 519. Itaque Synodus Mopsuestena hanc sententiam de Theodoro, causa eiusdem diligenter discussa, pronunciauit: *Nunc veritatis reuelata est ratio, & valde euidenter declarata est, Theodorum veterem, qui per istam civitatem fuit Episcopus, in antiquis temporibus extra praedicationem diuini mysterij fuisse, & sacris diptychis eiectum esse; pro illo verò alterum constitutum esse, & in illius vocabulum inscriptum esse Cyrillum sanctae memoriae.* Patres hoc ipsum Iustiniano Imperatori statim per literas significarunt, cuius etiam rei Vigilium, nam id quoque Imperator iusserat, certiozem reddidere. Extat epistola ad Vigilium collatione 5. Synodi V. in qua præfati Primæ Romanæ Sedi denuncianda omnia, quæ in causa fidei decernerentur: *Hoc benè, inquit, & Christianissimus noster Imperator*



considerans, & ad vestram scientiam quadam, quae de Theodoro quondam Mopsuestense Ecclesiae Episcopo mota sunt, iussit referre &c. Hunc exitum habuit Synodus hoc anno apud Mopsuestiam à Ciliciae Episcopis celebrata.

Succesit annus 551. Vigilio infaustus ob Iustiniani furorem, ac in Apostolicam Sedem iniurias. Theodorus Cappadox induciarum impatiens, fidem servare nescius contra tria capitula librum publicè coram plerisque Episcopis in palatio legendum curauerat. Quod ubi Vigilius accepit, hominis petulantiam execratus grauiori quidem poena eundem afficere decreuerat, sed quod ille Iustiniano carissimus erat, mitius consilium iniens, eundem accersitum datae fidei admonuit, ac patrati facinoris reprehendit. Ille, vt erat prouidendum animo, facti veniam suppliciter petijt, impetrauitque. Reddo verba Vigilij hoc ipsum postea eidem Theodoro exprobatantis: Deinde tuis, inquit, ex consuetudine incitamenti liber condemnationem capitulorum ipsorum continens in palatio te assistente, & instruente coram quibusdam Graecis Episcopis est relectus, à quibus assentionum fauorem tuis vocibus exigebas. Ex quo factotantum, quam tibi consentientes Episcopi mitius licet à nobis, quam oportuit, increpati ad promerendam ficta satisfactione veniam conuolastis. Quis autem commemorare sufficiat, quae te incitante atque exequente mala commissa sunt? Et statim: Ea, quae iurata te voce non esse facturum usque ad constitutum tempus frequentius firmaueras, conscripsisti, & sub praetextu religionis ea, quae Dei Ecclesiam diuiderent, sicut etiam rebus ipsis agnoscitur, perpetrasti. Haec quidem Vigilius in sententia lata contra eundem Caesaream Antistitem. At ingens Pontificis ad parcendum facilitas non modò Theodorum in officio non continuit, sed ad grauiora contra Vigilium facinora tentanda eundem longè promptiorem reddidit, quod ex ijs, quae hoc anno nobis describentur, ostendetur. Aduenere hoc anno Constantinopolim Episcopi Africanus Reparatus, ac Firmus, ille Proconsularis, hic Numidarum Primas, Primasius Adrumetinus, ac Verecundus Nicensis, sed pro trium capitulorum defensione obstinatissimi. In Reparatum totius Africae Primatem vehementiori impressio facta est; at ille nec gratia, nec minis inflexus est, sed tria capitula constanter propugnauit. Quare indignatus Imperator Reparatum in exilium mittit. De Victoris testimonium: Post consul. Basilij anno XII. Reparatus Archiepiscopus plurimis calumnijs impetitus pro eo, quod damnationi trium capitulorum memoratorum assensum non praebuit officio, sumptibusque priuatus Euchaita exilio relegatur. Calumnias exponit Clerus Italiae his verbis. Concinnata est causa Sancto Reparato Carthaginensi Episcopo, quasi Ariobindam Magistrum militum à Guntarite tyranno in Africa fecisset occidi. At Reparatum haud illius necis conscium fuisse disertè describit Procopius lib. 2. de bello Vandalico. Nam Gontharis Reparato mandauit, vt Areobindo in monasterium extra Carthaginem fuga dilapso fidem daret, quo tutò in suam potestatem veniret, quod Reparatus impigrè executus dato etiam per sacras baptismi vndas iuramento Areobindum ad Tyrannum deduxit, à quo conuiuio exceptus, paulò post immixtis percussoribus per summam fraudem extinctus fuit. Erat Areobindus maritus Proiectae filiae Vigilantiae Iustiniani sororis, ac Dux Africam regebat. Reparatus ergo tanquam homicidij reus Euchaitam exul deportatus est, quò ante quadraginta annos relegatus fuit Macedonius Constantinopolitanus Antistes ab haeretico Imperatore Anastasio, scribente Marcellino de Macedonio: Ab eodem Euchaita

ta in

in exilium deportatus est. Indictione IV. Secundino, & Felice Coss. anno 511. Est autem Euchaita vrbs Hellenopolis in Asia minori inter Cappadociam, & Paphlagoniam. Vixit Reparatus in exilio vsque ad annum 563. qui à Victore statuitur Post consul. Basilij XXIII. Reparatus, inquit, apud Euchaidam exul moritur die VII. Idus Ianuarij. Nunquam ille Synodum V. recipere voluit, quam Romani Pontifices subscripserant, sed in schismate mortuus fuit, si enim resipuisset, fuisset ab exilio reuocatus. Deposito Reparato iubente Iustiniano Constantinopoli electus est Antistes Carthaginensis Primasius Diaconus, & Reparati apud Imperatorem Apocrisarius, qui conceptis verbis tria capitula damnauit, antequam Episcopus consecraretur. Victor laudatus addit: Contra vota Cleri, simulque & Populi Episcopus Carthaginensis Ecclesiae ordinatur. Hic tamen haud diutius Constantinopoli moras fecit, sed paulò post Carthaginem reuersus est, eoque facilius abeundi potestatem à Principe impetrauit, quòd vniuersum populum Carthaginensem in Iustiniani sententiam se adducturum promisit. Hinc anno 553. tempore Synodi non aderat in Vrbe, sed eius vices eo in confesso agebat Sextilianus Episcopus Tunienensis.

Firmus Numidarum primas largitione Principis corruptus ad damnanda tria capitula inflexus est, praesertim cum eo pacto celerem ad suos regressum speraret; testis est Victor in Chronico P. C. Basilij anno XII. Firmus Concilij Numidici Primas donis Principis corruptus damnationi eorundem capitulorum assensum praebuit, sed ad propria remeans in nauis morte turpissima periit. Et quidem Iustinianum donis, ac largitionibus plurimos ad damnanda tria capitula induxisse testatur Liberatus Diaconus Reparati Carthaginensis in fine sui Breuiarij: Cetera verò, inquit, quae subsequenter in Episcopis, & Catholica Ecclesia ab eodem Principe facta sunt, quomodo consentientes Episcopi in trium damnationem capitulorum muneribus ditabantur, vel non consentientes depositi, in exilium missi sunt, vel aliqui fugalantes in angustijs felicem exitum susceperunt, quoniam nota sunt omnibus, puto nunc à me silenda. Scripsit sub Iustiniano, nam cap. 20. in fine ait, Theodosium Ex-episcopum Alexandrinum fuisse superstitem, dum illa scribebat, qui anno primo Iustini iunioris mortuus est ex Tunonensi. Primasius, qui tertius erat ex Africanis, quos Victor Byzantium euocatos tradit, diu contra Principem stetit; nam hoc anno die 14. Augusti subscripsit decretum contra Theodorum; rursus anno 553. die 14. Maij legitur subscriptus in Constituto Vigilij contra Synodi V. gesta. Quare à Iustiniano in Aquimetense monasterium relegatus fuit. Verum audita morte Boethij Primatis Byzaceni, vt ei succederet, damnationi capitulorum nomen dedit, & in Africam reuersus, cum rapinis, ac violentijs Ecclesiae statum turbaret, à prouincia Synodo depositus, de verba Victoris, infelici morte extinguitur, & quae conquisierat fraude, fideliter à iudicibus auferuntur. Verecundus Nicensis cum Iustiniano furenti se subduxisset, Chalcedonem fugiens ad D. Euphemiae fati concessit. Haec quidem ad hunc annum congesimus, quo illorum quatuor Episcoporum, qui à Iustiniano Byzantium euocati sunt, exitus intelligeretur; de Primasio enim etiam Victor omnia sub eodem anno posuit, licet triennio post ad minus illa euenerint, vt eiusdem subscriptionibus patet, quarum vna anno 551. altera 553. Vigilij epistolis, seu decretis adpositae leguntur. Scio Victorem ad annum 552. Reparati depositionem recitare; sed ex libello Cleri Italici colligimus, illam contigisse

F

tigisse



igisse ante illatam Vigilio vim hoc anno 551. ut mox dicemus. Rursus hoc anno Primasius subscripsit decretum contra Theodorum, nec tamen subscripsi leguntur Reparatus, aut Firmus Primates, qui si tunc Byzantij fuissent, nomina & ipsi pariter eidem decreto addidissent.

Iustinianus cum ex Occidente ad Synodum paucos accedere animaduertiret, neque Vigilius sine Occidentalibus Episcopis quicquam decerni vellet, in Placidianam domum tum Latinos, tum Græcos Episcopos venire iussos hisce admonuit: *Quicumque edictis istis consensum præbere voluerit, sciat se ab Apostolica Sedis communione suspensum.* Ita Clerus Italiæ, qui addit: *Sed & Sanctus Datus Mediolanensis Episcopus contestationem omnibus sub magna vociferatione deposuit, dicens: Ecce ego, & pars omnium Sacerdotum, inter quos Ecclesia mea constituta est, idest Gallie, Burgundie, Spanie, Liguria, Æmiliæ, atque Venetiæ, contestor, quia quicumque in edicta ista consenserit, suprascriptarum prouinciarum Pontifices communicatores habere non poterit. Quia constat apud me edicta illa sanctam Synodum Chalcedonensem, & fidem Catholicam perturbare.* At Theodorus author, ac promotor edicti Pontificis minis despectis Græcorum Antistitum cateruam secum trahens ad Ecclesiam, in qua suspensa erant edicta, se contulit, ac sacrosancta mysteria celebravit. Rem narrat Vigilius hisce Theodorum increpans: *Tu autem Sedis Apostolicæ interdicens per nos auctoritate despecta ad Ecclesiam, in qua edicta ipsa pendebant, reliquos tecum attrahens perrexisisti, ibique alijs adiectionibus missarum solemniter celebrastis, & quasi nihil tibi esset primæ Sedis Antistitem presentem, & contradicentem contempsisse, Pontificem etiam Alexandrinæ Ecclesiæ Sacerdotem fratrem nostrum Zoilum, cuius nomen usque ad memoratum diem communicatum à vobis fuerat, diptychis eximentes, Apollinarem quendam peruersorem, atque Ecclesiæ ipsius vobis adulterum sociastis, ut vestra iniquitas non solum in remouendo simplicissimo Sacerdote, sed etiam in recipiendo patefieret peruersore.* Idem verò Vigilius in epistola encyclica, quam anno sequenti Chalcedone in templo D. Euphemie conscripsit, testatur se coram diuersarum prouinciarum Episcopis, ac Constantinopolitano Clero in Placidiana domo hæc publicè dixisse: *Rogo te pijsimum Principem, ut edicta sua, quæ præcepit appendi, remouere dignetur, & constitutum commune expectare, id est, ut scandalizati Episcopi latine lingue ad Synodum veniant, aut certe remota omni violentia suas scripto declarent sententias. Quod si forte preces nostras audire noluerit, vos nulli rei præbeat assensum, quæ ad diuisionem tendit, nec contra constitutum comminatione aliqua veniatis. Quod si hoc forsitan, quod non credimus, feceritis, noueritis ex presenti die, ut præuicarios Apostoli Petri per ministerium vocis meæ haberi suspensos.* Hæc mense Iulio anni huius 551. contigisse ex sequentibus intelligitur: *Et quoniam his actis, prosequitur in encyclica Vigilius, non solum ea, quæ commissa fuerant nullo modo sunt correpta, sed etiam ex alijs causis die ipso in regularum Ecclesiasticarum præiudicium, vel iniuriam Sedis Apostolicæ peiora præsumpta sunt, nec alterius eos communionis nostræ permixtus esse participes, nec aspectus eorum post tot præuicaciones nostri oculi receperunt.* At in damnatione Theodori scripta die 14. Augusti ait: *licet ante triginta dies pro memoratis excessibus vestris ab Apostolica vos communionis remouissemus consortio.* Quare circa diem 14. Iulij edicta appensa sunt, ac Zoilus, quod nollet eidem consensum dare, eadem die depositus. Rectè scribit Tunonensis: *Post consul. Basilij anno XI. iuxta ipsum 551. Apollinarius Zoilo tria memorata capitula damnare nolenti Episcopus Alexandrinæ Ecclesiæ subrogatur, anno Episcopatus Zoili septimo iam expleto, quem anno 544. electum ostendi.*

si quis

si quis contendat, ab ipsomet Iustiniano appositam fuisse, & libros, quos ibidem appellat, fuisse rescripta data Synodis Illyrici, aut Africæ, quorum ex Iudoro superius mentionem fecimus, non contendam.

Vigilius ubi edicta Principis contra tria capitula publicè affixa intellexit, in Placidianam domum tum Latinos, tum Græcos Episcopos venire iussos hisce admonuit: *Quicumque edictis istis consensum præbere voluerit, sciat se ab Apostolica Sedis communione suspensum.* Ita Clerus Italiæ, qui addit: *Sed & Sanctus Datus Mediolanensis Episcopus contestationem omnibus sub magna vociferatione deposuit, dicens: Ecce ego, & pars omnium Sacerdotum, inter quos Ecclesia mea constituta est, idest Gallie, Burgundie, Spanie, Liguria, Æmiliæ, atque Venetiæ, contestor, quia quicumque in edicta ista consenserit, suprascriptarum prouinciarum Pontifices communicatores habere non poterit. Quia constat apud me edicta illa sanctam Synodum Chalcedonensem, & fidem Catholicam perturbare.* At Theodorus author, ac promotor edicti Pontificis minis despectis Græcorum Antistitum cateruam secum trahens ad Ecclesiam, in qua suspensa erant edicta, se contulit, ac sacrosancta mysteria celebravit. Rem narrat Vigilius hisce Theodorum increpans: *Tu autem Sedis Apostolicæ interdicens per nos auctoritate despecta ad Ecclesiam, in qua edicta ipsa pendebant, reliquos tecum attrahens perrexisisti, ibique alijs adiectionibus missarum solemniter celebrastis, & quasi nihil tibi esset primæ Sedis Antistitem presentem, & contradicentem contempsisse, Pontificem etiam Alexandrinæ Ecclesiæ Sacerdotem fratrem nostrum Zoilum, cuius nomen usque ad memoratum diem communicatum à vobis fuerat, diptychis eximentes, Apollinarem quendam peruersorem, atque Ecclesiæ ipsius vobis adulterum sociastis, ut vestra iniquitas non solum in remouendo simplicissimo Sacerdote, sed etiam in recipiendo patefieret peruersore.* Idem verò Vigilius in epistola encyclica, quam anno sequenti Chalcedone in templo D. Euphemie conscripsit, testatur se coram diuersarum prouinciarum Episcopis, ac Constantinopolitano Clero in Placidiana domo hæc publicè dixisse: *Rogo te pijsimum Principem, ut edicta sua, quæ præcepit appendi, remouere dignetur, & constitutum commune expectare, id est, ut scandalizati Episcopi latine lingue ad Synodum veniant, aut certe remota omni violentia suas scripto declarent sententias. Quod si forte preces nostras audire noluerit, vos nulli rei præbeat assensum, quæ ad diuisionem tendit, nec contra constitutum comminatione aliqua veniatis. Quod si hoc forsitan, quod non credimus, feceritis, noueritis ex presenti die, ut præuicarios Apostoli Petri per ministerium vocis meæ haberi suspensos.* Hæc mense Iulio anni huius 551. contigisse ex sequentibus intelligitur: *Et quoniam his actis, prosequitur in encyclica Vigilius, non solum ea, quæ commissa fuerant nullo modo sunt correpta, sed etiam ex alijs causis die ipso in regularum Ecclesiasticarum præiudicium, vel iniuriam Sedis Apostolicæ peiora præsumpta sunt, nec alterius eos communionis nostræ permixtus esse participes, nec aspectus eorum post tot præuicaciones nostri oculi receperunt.* At in damnatione Theodori scripta die 14. Augusti ait: *licet ante triginta dies pro memoratis excessibus vestris ab Apostolica vos communionis remouissemus consortio.* Quare circa diem 14. Iulij edicta appensa sunt, ac Zoilus, quod nollet eidem consensum dare, eadem die depositus. Rectè scribit Tunonensis: *Post consul. Basilij anno XI. iuxta ipsum 551. Apollinarius Zoilo tria memorata capitula damnare nolenti Episcopus Alexandrinæ Ecclesiæ subrogatur, anno Episcopatus Zoili septimo iam expleto, quem anno 544. electum ostendi.*

F 2

Hæc

Hæc ubi accepit Iustinianus indignatus non modò Vigilium edictis imperatoris aduersari, verùm etiam & eisdem obtemperantes ab illo Ecclesiastica communione priuari, furore, rabieque extimulante Vigilium custodiam tradi iussit, qui rebus suis timens, vnà cum Datio in Ecclesiam S. Petri in Hermisda se recepit. *Et tamen, inquit Clerus Italiæ, beatissimus Papa Vigilius in Basilica S. Petri sedes tutas habere meruit, intantum ut illuc Prætor, ad quem fures, & homicidæ tantummodò pertinent, mitteretur, qui cum multitudine militum spatibus nudatas, & arcus tenso portantes supradictam basilicam introiuit; quo viso Sanctum Papa columnas altaris amplexus est, sed ille ferocitate, & animo concitatus primo de altari Diaconos eius, & Clericos à capillis tentos eiecit, postea verò ipsum Sanctum Papam alij à pedibus, alij à capillis, & barba tentum crudeliter abstraherent. Sed cum ille altaris columnas non dimitteret, cecidit altare, & columnæ aliquæ fractæ sunt, & quantum ad ipsos, ibi super ipsum altare in partibus mitti habuit. Sed Deus, qui in talibus angustijs semper adesse dignatur, tam aliquorum ex ipsis militibus, quàm populis qui ad tumultum venerat, animos ad misericordiam prouocauit, & cœperunt voces, & stridores mittere, & sic contigit, ut iudex iniquitatis supradictus Prætor cum ministris crudelitatis suæ territus fugiendo discederet.* Vigilium in Encyclica edita ab eodem Sirmondo rem ita narrat: *Cum in eadem Ecclesia à Comitatu Prætoris cum multitudine armatorum militum veniente tanquam ad bellum instructa acie à sancto eius altari tracti pedibus traheremur, tenuimus, & super nos etiam ipsa altaris mensa ceciderat nisi Clericorum nostrorum fuisset manibus sustentata.* Theophanes scribit Vigilium ad Sergij Martyris altare, quod in Ormisdarum monasterio erectum erat, confugisse, à quo vi reuulsus ceu graui, proceroque corpore validus altare secum tractum euertit. Haud rectè tamen statuit hæc Theodora adhuc viuente accidisse anno 547. nam eo anno Sabbatum Pentecostes die 11. Maij collocatum. Ex his liquet, vnde nam Anastasius in vita Vigilij fabulas illas finxerit; nam captum eum in templo S. Euphemie, ac fune ad collum appenso per vniuersam urbem tractum, ac postremo in carcerem proiectum scribit, vbi modico pane, & aqua maceratus est, Clero ad metalla damnato. Hinc etiam patet Thomam Riuium, ac Franciscum Guinetum Æthyopem lauare, dum Iustinianum tanta barbarie contra Vigilium furentem defendere inuitis superis conantur. Riuius sanè pag. 27. sui apologetici pro Iustiniano eas Vigilio calumnias irrogat, quas cum risu potius, quàm cum indignatione lectitare libeat; etenim vocat Vigilium *foras Episcopum, intus hereticum, Romæ Catholicum, Constantinopoli Eutychianum.* Guinetus verò cap. 13. Iustinianum Vigilio indignitatem scribit, quòd vulgaretur, eundem Sacrum Chalcedonense Concilium detrectare. Constantinopoli Vigilium pro defensione Synodi Chalcedonensis eas iniurias perpeffus est, quam Synodum Eutychiani, à qua damnati fuerent, plusquam Vatiniano odio persequerentur. Hinc edictis Iustiniani repugnauit: *Quia constat apud me, dicebat, edicta illa Sanctam Synodum Chalcedonensem, & fidem Catholicam perturbare.* Ita homines illi supina rerum gestarum ignorantia laborantes, quò Iustinianum à veris criminibus defendant, falsa crimina Vigilio affricant, queis non quidem Pontifex, sed ipsimet authores, vtpotè mendaciorum loquacissimi deturpentur.

Cæterùm Vigilium omnium malorum authorem affirmabat Theodorum Cappadocem, vnde in decreto contra eundem ait: *Nam vsque ad hoc animum Christi-*

stianis-

stianissimi Principis falsis suggestionibus perduxisti, ut clementia eius, quæ in suis hostibus pia semper apparuit, contra nos grauius moueretur. Quare Vigilium vulneri non iam fomenta, sed ferrum admouendum ratus die 14. Augusti in Italorum Episcoporum congressu pluribus Theodori Cæsareensis Episcopi in Apostolicam Sedem iniurijs recensitis, quas & scripto consignauit, hanc contra eundem sententiam protulit: *Theodorum Cæsareæ Cappadociae ciuitatis quondam Episcopum sententiae promulgatione tam Sacerdotali honore, & communione Catholica, vel omni officio Episcopali, seu potestate spoliatum esse decernimus.* Mennam verò, ac consentientes Episcopos à sacra tantum communione suspendit. Hæc sententia dicitur Data XIX. Kalendas Septembris imperante Domino Iustiniano perpetuo Augusto anno XXV. Post consul. Basilij anno X. Porro cum ibidem scribat, se longanimitatem tam circa ipsum Theodorum, quàm reliquos ab eodem seductos penè hoc quinquennio elapso monstrare, haud ita accipiendum est, quasi lites anno 546. ex publicato tunc contra tria capitula priori edicto incœperint, nam edictum biennio ante emanasse ostendimus, sed ex quò Constantinopolim aduenerat habita cum Theodoro dissidia notat. Nam cum anno 547. die 25. Ianuarij in regiam Urbem Vigilium aduenerit, anno 551. die 14. Augusti iam septimus mensis quinti anni labebatur, vnde addidit particulam penè, nam ad quinquennium plenum adhuc aliquot menses requirebantur. Hoc Vigilij decretum contra Theodorum subscripsere Episcopi sequentes.

Datus Mediolanensis, qui iam à XV. annis extra Ecclesiam Mediolanensem veluti exul degebat ex literis Cleri Italici, & anno 546. obuiam iuit Vigilio in Sicilia moranti, cui quæcunq; Constantinopoli in causa trium capitulorum, vbi intererat, peracta fuerant, significauit, cum quo & in regiam Urbem ingressus eidem periculosis temporibus semper adhæsit, licet postea à sententia discesserit, si Tunonensi credendum est. Secundus ponitur *Ioannes Marsicanus.* Est insignis Marforum populus in Latio Mediterraneo, fusè agit de Marsis Cluuerius lib. 2. Italiæ Antiquæ cap. 15. Hinc supplèda sunt tabulæ Vghelli, qui tomo 1. Italiæ sacrae Marsicanæ Ecclesiæ Episcoporum seriem à Rotario incipit anno 968. Nominatur etiam in Synodo Romana Leonis IV. anno 853. ind. 2. die 8. Decembris Liuderisius Episcopus Marsensis. Tertius *Zacchæus Scyllacenus.* Est Scyllacium mediterranea ciuitas Calabriae vltioris. Idem Vghellus tomo 9. de hoc Zacchæo scribit: *Romano interfuit concilio sub Vigilio Papa anno 442.* Post illum verò Gaudentium recitat, qui Synodo Romanæ interfuit sub Hilario Papa anno 465. Est integri sæculi anacronismus, & Synodus illa, cui adfuit idem Zacchæus, non Romæ, sed Constantinopoli in domo Placidiana peracta fuit. IV. *Valentinus Syluæ Candidæ.* Erat Latij Vrbs, cuius Episcopi in pluribus Synodis Italiæ subscripti leguntur. Valentinus verò anno 546. à Vigilio Papa ex Sicilia cum nauibus frumentarijs Romam missus, ac à Gothis captus, cum Totilæ secreta quædam reuelare vel nollet, vel non posset, præcisus manibus dimissus fuit ex Procopio lib. 3. de bello Gothico. Hinc Vigilij Constitutum nomine Valentini subscripsit Zacchæus Episcopus proximè memoratus rogatus à fratre Valentino Syluæ candidæ ipso presente, & consentiente, & mihi, ait, dictante huic Constituto pro ipso subscripsi. V. *Florentius Matelicatensis.* Est Matelica insigne oppidum in Piceno, cuius meminit Plinius lib. 3. cap. 14. itemq; Frontinus in libro de colonijs. A Plinio dicuntur populi

puli Matilicates, & inter Umbros recensiti vnà cum Camertibus. Matelica nostra ætate est inter nobilia oppida Piceni, ac Ianificio celebris, subiecta tamen modò est Episcopo Camerti. VI. *Iulianus Signinus*. Signia Latij vrbs antiquissima, in quam Tarquinius coloniam deduxit ex Dionysio Halicarnasico lib. 4. VII. *Romulus Numanatensis*. Baronius ad annum 551. Num. 11. legendum putat: *Numentanensis* à Numento, seu Nomento Latij Vrbe. Sed planè antiqua codicis lectio retinenda est; etenim Numana fuit vetus Piceni vrbs ab Ancona M. P. XII. distans; hodie paruus vicus est propè Sirollum *Humanam* incolis vulgò dictus. In Synodo S. Agathonis act. 4. Sexti Concilij leguntur subscripti *Adrianus Episcopus S. Ecclesie Numanatis prouinciæ Pentapobis*, & *Paulus humilis Episcopus S. Nomentanæ Ecclesie*. Prior quidem subscribit cum Episcopis Anconæ, Auximi, Fani, & Pisauri, ex quibus quinque vrribus Pentapolitana prouincia in Piceno constabat. Extat Auximi inscriptio, quam exhibet Gruterus pagina 446.

M. OPIO CAPITONI &c.
PATRONO COL. AVXIM. ET. COL.
AESIS. ET MVNIC. NUMANAT.

Erat ergo sub Antonino Imperatore Numana Piceni municipium. Certè anno 553. Constitutum Vigilij inter ceteros subscribit *Redemptus Episcopus Ecclesie Nomentanæ*. Quare Romulus erat Episcopus Numanatensis. In Romana Synodo sub Eugenio II. anno 827. celebrata legitur subscriptus *Cosmas Episcopus Humanæ*, & in altera Synodo ibidem sub Leone IV. Papa coacta nominatur *Sergius Episcopus Humanensis*. Hæc Concilia habentur in collectione Romana Lucae Holstenij. Ex quibus Humanam ante octingentos annos ita appellatam constat, in eaque tum temporis Episcopos sedisse. VIII. *Dominicus de Calliopoli*. Est antiqua Calabriae vrbs, quæ promiscuè Calliopolis, vel Callipolis dicta est. S. Gregorius Papa lib. 2. epist. 45. indicat. 11. scribit *Ioanni Episcopo Calliopolitano* de pœna decreta Andreae Episcopo Tarentino. IX. *Primasius Adrumetinus*. Adrumetum Byzacena prouinciæ Metropolis antiquis Scriptoribus sæpius memorata, quam nouis mœnibus munitam Iustinianus de suo nomine appellauit ex Procopio lib. 6. de ædificijs Iustiniani. Baronius Num. 13. putat hunc Primasium esse eundem, qui à Casiodoro lib. de diu. lect. cap. 9. & à S. Isidoro in libro de viris Illust. commendatur, quique in epistolas Pauli, & Apocalypsim commentaria, & alia plurima scripsit. Trithemius tamen Primasium illorum commentariorum Scriptorem Vticensem ex antiquis codicibus exhibet, Vticensis verò Ecclesia non ad Byzacenam, sed ad Proconsularem prouinciam pertinebat. Ego quidem de hac re nihil iudico; hoc vnum scio, Primasium scriptorem commentariorum in epistolam Pauli ad Romanos, & ad Hebræos fuisse apprimè Augustinianum, vt alibi monstratum est, & ex operis lectione statim intelligitur, ibi enim S. Doctoris sententias, imò integra capita exscribit. X. *Verecundus Lunensis*, alij legunt *Luensis*, sed omnes planè errant, nam Verecundus iste fuit Nicensis Episcopus in Prouincia Byzacena, & à Iustiniano ad Synodum cum collega Primasio euocatus Vigilio adhæsit. Do Victorem Tunonensem *Post consul. Basilij anno XI. Reparatus Archie-*

pisco-

Piscopus Carthaginensis Ecclesie, Firmus Numidarum Episcoporum Primates, & Primasius, & Verecundus Concilij Byzaceni Episcopi pro fidei causa ad urbem regiam eiusdem præcepto Principis euocantur. Hinc colligitur falsum esse solum Primasium ex Africanis Vigilio adhæsisse, quod putauit laudatus Baronius existimans Verecundum Italiae Episcopum. XI. *Stephanus Ariminensis*. Hic planè tabulis Vghelli inferendus est, atq; inter nobilissimæ Vrbs Antistites numerandus, idem enim postea etiam Vigilij constitutum subscripsit. Hoc eò libentiùs adnoto, quòd iuuenis ea in vrbe apud Patres Societatis Rethoricæ, ac Logicæ operam nauauit, ibiq; Augustinianæ familiæ nomen dedi. XII. *Paschasius Aletrinus*. Aletrum, vel Alatrum Latij Vrbs, cuius Episcopos lege apud Vghellum tomo 1. sacra Italiae. Postremo loco subscripsit Iordanus Cortonensis, est autem Cortona Italiae vrbs in Hetruria, nonnulli apud Vghellum legunt *Crotonensis*, quatione iam ad magnam Græciam ille Episcopus pertineret. Sed de his alij viderint. Hi ergo cum Vigilio tum temporis contra Principem, eiq; adhærentes Græcos Antistites Constantinopoli pro tribus capitulis militabant.

Interea Vigilus adhuc Ecclesiasticæ concordie studens, latam depositionis contra Theodorum, & excommunicationis contra Mennam sententiam minimè publicandam duxit, veritus ne Iustinianum, cuius furorem iam expertus erat, in rabiem rursus impelleret, Theodoro præsertim omnia ex arbitrio faciente. Putauit Baronius Anno 551. in fine, Vigilium ad D. Petri basilicam parum tutam sibi moram existimantem inde Chalcedonem aufugisse. Sed ex libello Cleri Italici habemus, quòd in *Ecclesia D. Petri sacramenta accepit beatissimus Papa Vigilus, & Datus Mediolanensis, nihil vi contra ipsos actum iri, & sic interim sunt egressi.* Extat in appendice ad Codicem Theodosianum edita à Sirmondo viro eruditissimo integra Vigilij epistola encyclica, cuius tantum partem habebamus, in ea verò suarum calamitatum seriem Pontifex exponit. Cum apud D. Petri in Ormisda moraretur, Belisarius, & Cethegus, & Petrus Exconsules, ipseque Iustinus Imperatoris nepos cum Marcellino Quæstore ad Vigilium venire, quòd accepto iuramento in Placidianas ædes rediret, secus vel *sub omni violentia* è templo retrahendus. Quid consilij verò Pontifex cœperit, hisce declarat: *Indiculum dedimus, per quod dari nostræ personæ scripto petiuimus iusurandum, quod clementissimus Princeps, non quale nos voluimus, præberi concessit, sed quale ipsi placuit, per Iudices suos dandum esse dictauit. Et dum sæpè dicti Iudices posito indiculo super altare, & cataracta beati Petri Apostoli, & super crucem, quæ de ligno passionis Domini habet inclausum, sed & super clauas beati Petri Apostoli præstitissent corporale iusurandum, ad Placidianas tanquam nihil mali vltèrius patientes secundum pijsimi Principis rediuimus voluntatem.* Cæterum tam sancta fide posthabita cum in dies sæuiùs se tractari Vigilus animaduerteret, semel, iterum, ac tertio Belisarium, aliosque Iudices contestatus est, vt iusurandi religione tenerentur, *quatenus, inquit, nullas inquietudines, aut molestias, sicut nobis iuratum fuerat, pateremur.* Interea Iustinianus, veritus ne Vigilus iterum è Placidianis in templum confugeret, misso clam milite ædes sedulo custodiendas iussit, quod vbi Vigilio significatum fuit, biduo ante Natalem Domini fugam meditatus nocte intempesta ex Placidiano palatio cæcis vestigijs discedens Chalcedonem transfretauit, atq; apud D. Euphemie domicilium statuit. Libeat eiusdem verbis hoc ipsum intelligere: *Nam si circumspiciatur quale,*

quale, quantumque discrimen metu faciente despeximus, ut per parvam materiem fabricantium transire compediti dolore nimio in nocturna obscuritate positi cogereur, tunc poterit euidenter agnosci, quanta nobis fuerit temporis pro sola Ecclesie causa necessitas, aut quanta custodia, quae nos sub tali discrimine coegit discedere. Vigilium Datus Mediolanensis secutus est, alijque etiam Latini Episcopi, quos inter fuit Verecundus Nicensis in Byzacena prouincia Episcopus, quem paulò post ibidem defunctum scribit Victor: P. C. Basilij XII. (est illi annus 552.) Verecundus Ecclesie Nicensis Episcopus in defensione memoratorum perdurans Chalcedone, ubi refugium fecerat, in diuersorio gloriosae Matris (lege Martyris) Euphemie de hac vita migravit ad Dominum.

At non modò lites in causa trium capitulorum in regia vrbe, sed per totum ferè Romanum imperium ad seditionem vsque ebulliebant. Iustinianus Vlpianam Dardaniae urbem Iustinianam secundam de suo nomine nuncupandam iusserat. Praerat illius urbis sacris Paulus, qui pro tribus capitulis acerrimè depugnabat, vnde ad Synodum V. accedere recusauit, imò Vigilij postea Constitutum ita subscripsit: *Paulus humilis gratia Dei Episcopus Vlpianensis huic Constituto, quod beatissimus Papa Vigilius in causa trium capitulorum protulit, ad omnia superscripta consentiens subscripsi.* At plerique ciuium Vlpianae quò beneficentissimo Principi gratias referrent, tria capitula damnabant, cæteris cum Episcopo eadem validissimè defendentibus. Ad arma ventum est, ac plurimorum sanguine Theodori Mopsuesteni manibus parentatum. Quare Iustinianus eò cum exercitu Iustinum misit, qui seditionem comprimeret. Narrat hæc ipsa Procopius lib. 4. de bello Gothico labente iam anno belli XVII. Cæteri, inquit, hæserunt in opido Illyrici Vlpiana iussu Imperatoris ob seditionem inter indigenas ortam ex illis, quae inter Christianos disputari solent, de quibus agam libro singulari. At nulla in Illyrico controuersia, nisi de tribus capitulis, tunc agitabatur. Ad Procopium promissum volumen confecerit, incompertum est; hoc scio, Christianorum de Deo disputationes, quae sub Iustiniano ubique personabant, Procopium irreuerenter despexisse. Vnde lib. 1. operis eiusdem refert legatos missos à Iustiniano ad Pontificem ob ea, quae controuersa habebant Christiani: *Ea uerò, inquit, quae sint, quanquam percognita, memorare me tædeat; Insane enim temeritatis esse existimo naturam Dei, qualis sit, scrutari.* Suam uerò de Numine sententiam angustioribus hisce conclusam terminis exhibet: *Ipse de Deo hoc tantum, quod dicam, habeo, esse eum omnino bonum, eiusque potestate omnia contineri, qui plus scierit, plus de eo dicat, siue in Sacerdotum est ordine, siue in plebe.* Hæc ille.

At ubi in Italia illatarum Vigilio iniuriarum fama perlata est, doluere singuli Pötificis doctissimi vices. Quare cum Legati Childeberti Francorum Regis ad Iustinianum missi per Italiam transirent, Clerus Italiae eisdem libellum supplicem dedit, quo Vigilium etiam, atque etiam commendabat, significans insuper, quot ille iniurias in regia vrbe passus esset. Hos autem Clericos fuisse Mediolanenses inde colligo, quò ibidem rogant, ut Datum Iustiniano commendent postulantes, ut eum post XV. aut XVI. annos ad suam Ecclesiam redire concedat; quae Mediolanensis Ecclesiae suo ante tot annos Pastore viduatae vota fuisse crediderim. Sirmondus hunc libellum, ut aliàs dictum est, primus vulgavit, illum collocans ad annum 552. pag. 294. tomi 1. Concil. Galliae. Sed

scrip-

scriptum illum fuisse anno præsentis 551. inde patet, quò in eo nulla Vigilij fugae ad proximam Chalcedonis urbem mentio fit. Rursus in eodem libello scribitur, quò Anastasius quidam, quem S. Episcopus Aurelianus Arelatensis ciuitatis ad beatissimum Papam ante hoc biennium direxerat, ibidem in Gallijs aliqua mentiantur, quia & ipse ut Constantinopoli exire posset, promisit se omnium Gallicanorum animos contra tria capitula excitaturum, & præmijs eundem Anastasium corruerunt, nec literas Vigilij illi consignare uoluerunt. At Anastasius anno 549. pridie Idus Iulias literas Aureliani Episcopi Vigilio tradidit; quare si ante biennium idem ad Vigilium venit, libellus ille scriptus fuit anno 551. Præterea hæc ibi leguntur: *Veniens enim ibi ante sex annos istos beatissimus Papa Vigilius, magis autem, ut quò uerius est dicatur, propè uolenter deductus.* Cum Vigilius in encyclica data die 5. Februarij anno 552. ante septem annos Roma se discessisse testetur, cum à sexennio idem in eo libello ex Vrbe profectus dicatur, anno superiori 551. libellus ille exaratus fuit.

Sequitur annus 552. quo Iustinianus Vigilij constantia tot experimentis si- ANNO
bi iam satis probata, sepositis minis eundem per Legatos conuenit, legatione 552.
autem Belisarius, alijque superius nobis memorati V. Kalendas Februarias perfuncti sunt. Illi quidem cum Vigilio egerunt, ut accepta iterum publica fide Constantinopolim rediret, quibus Pontifex in hanc sententiam respondit: *Si causa Ecclesiae ordinatur, ut pacem eius, quam a uinculi sui pijsissimus Princeps fecit temporibus, & modò restituat, ego Sacramentis opus non habeo, sed statim egredior. Si autem causa Ecclesiae finita non fuerit, item Sacramentis opus non habeo, quia nunquam de S. Euphemie basilica exire dispono, nisi scandalum ab Ecclesia Dei fuerit amputatum.* Hæc ubi Iustinianus à Legatis accepit, epistolam, seu ut loquitur Vigilius, chartam ad eundem misit mandacijs, ac iniurijs refertam; eam Petrus Referendarius pridie Kalendas Februarias tulit. Cum uerò non esset Augusti manu subscripta, neque Petrus eidem nomen dare uellet, vel signare diem, quo allata fuerat, nullam illi Vigilius fidem præstandam duxit. Cæterum ne ream conscientiam silentio apud imperitos prodere uideretur, obiecta quaecunque crimina validissimè se confutasse in laudata encyclica contestatur. Sed iterum *Dominicorum die, qui fuit pridie Nonas Februarias, redijt Petrus cum Iustiniani mandatis, ut acceptis sacramentis securus in regiam urbem remearet.* Vigilius hæc reposuit: *Si directis duobus iudicibus, quorum nomina tibi in presenti prodidimus, sacramenta præstare dignetur, ut post hæc sine metu periculi fratrem nostrum Datum Episcopum Mediolanensis Ecclesiae, uel alios, quos cum eo transmiserimus, loco nostro suscipiat, parati sumus dirigere, ut per eos de Ecclesiastica causa quaecunque mandauimus, ueraciter innotescant. Siquidem Ecclesiae causa nulla sacramenta dari deposcimus, sed mox pro gratiarum actione eius occurrimus pietati.* Die uerò sequenti Vigilius encyclicam illam famosam scripsit, ita enim terminatur: *Data Nonis Februarij imperante Domino Iustiniano PP. Aug. Anno XXV. Post consulatum Basilij anno X. sed XI. reponendum est.* Ex hac encyclica quorundam errores corrigendi sunt. In primis Baronius Anno 552. Num. 15 legens in vulgatis editionibus legatos primùm ad Vigilium uenisse *Dominicorum die, idest Kalendis Februarij*, ac postea in eisdem asseri missum à Principe Petrum *pridie Kal. Februarias*, errorem uidit, atque proximum locum corrigens *postridie Kalend. Februarias* legendum dixit. Sed ex inobseruatis Baronio Cyclis error emendatur.

G

Anno

anno 552. Kalendæ Februariæ incidere in feriam V. non autem in diem Dominicum; ergo legendum est V. Kalendas Februarias, qua die festum Dominicum contigit, iterumque pridie Nonas Februarias. Fuit annus bissextilis Cyclo Solis I. Lunæ II. lit. G. F. In ea verò epistola scribit de lata in Theodorum sententia, qua ab Episcopatu amovebatur: *Pro mansuetudinis vestra intuitu, & spe conversionis eius, sicut dictum est, publicè proferre distulimus.* Vnde falsum est, quod in chronologica sinopsi in calce ad Facundum Hermianensem Sirmondus scripsit, Vigilium latam demum contra Theodorum sententiam publicasse. Insuper fallitur Bollandus tomo 1. de vitis SS. die 14. Ianuarij, scribens, ea die anno 552. S. Datium Mediolanensem obiisse, quod etiam asseruit ante Bollandum Baronius in notis ad Martyrologium ad eandem diem, etenim eo ipso anno Datus Nonis Februarij vivebat, & à Vigilio ad Augustum nuncius destinabatur.

Verùm, vt ad institutum redeam, Iustinianus Synodi peragenda cupidus, aures iam tandem Vigilio dare occœpit, videbat enim reluctante Pontifice Romano nihil solidi ea in causa statui posse. Quare non ampliùs erat alieno à Vigilio animo, quod vbi Mennas, ac aulæ Protheus Theodorus, alijque intellexerunt, libellum fidei contexuerunt, illumque Vigilio adhuc in templo D. Euphemie commoranti obtulere. In eo expedita fidei professione iuxta decreta quatuor Synodorum facti veniam à Vigilio his verbis postularunt: *De inuicem autem quacunque Beatitudini, vel Sedi vestrae factæ sunt, eas quidem non feci, sed quia pro pace Ecclesia modis est omnibus festinandum, velut si eas fecissem, veniam postulo. Quia verò tempore discordie excommunicatos, vel non receptos à Beatitudine vestra in communionem suscepi, pariter veniam postulo.* Subscripsere libellum.

Mennas Constantinopolitanus

Theodorus Casarea Cappadociae,

Andreas Ephesinus. Alijque.

Res hæc benè vertit Mennæ, nam paulò post obiit Sedi Apostolicæ conciliarius, vt dicemus. Edicta etiam Princeps reuocat, & iam Patribus Constantinopolim ad Synodum venientibus ex integro causa trium capitulorum dijudicanda dimittitur, ac Vigilius relicta Chalcedone iterum Byzantium petit. Inter cæteros, qui ad Synodum venerant, erat Eutyechius Monachus Amaseni Metropolitæ Aprocrisarius, qui in quodam priuato Episcoporum congressu orta quæstione, an mortuus ab Ecclesia damnari posset, Iosia Regis exemplo mortuorum Idolatrarum sepulchra deijcientis, ac profanos cineres ventilantis defunctos damnari posse probauit, quod mirificè Imperatori placuit. Hunc Eutyechium annos iam natum quadraginta Mennas non modò ob sanctitatis, ac doctrinæ experimenta colebat, verùm etiam illum sæpè Iustiniano commendauerat, futuri enim præscius eundem vti successorem honorabat. Author est Eustathius, qui vitam S. Eutyechij scripsit, Menna iubente Eutyechium ad Iustinianum accessisse: *Confestim autem, inquit, misit illum ad Imperatorem, apud quem cum de rebus propositis disputaretur, apparuit omni diuina, humanaque disciplina instructissimus.* cap. 18. Ineunte circiter Decembri Mennas diem obiit, magno apud Constantinopolitanos sui desiderio relicto. Consecratus fuerat ab Agapeto Papa eiecto Anthimo hæretico anno 536. Contra Acephalos Synodum in regia vrbe coegit, cuius etiamnum acta extant. Hic Origenem à

Iusti-

Iustiniano damnandum curauit, primusque Patriarcharum lata contra Origenem anathemata subscripsit. Nobilissima templa eximia Iustiniani munificentia ædificata consecrauit. Iustiniano tamen nimium indulgit, hinc semel, iterumque cum Vigilio dissidia. Hæc maculas supplex ab offenso Pontifice veniam postulans abluit, atque ipsi etiam Vigilio desideratus è vita discessit.

C A P V T VI.

Eutyechius eligitur Patriarcha Constantinopolitanus. Annus obitus S. Datij Mediolanensis statuitur, eaque occasione Procopij de annis belli Gothici anacronismus demonstratur. Origenes Pelagianorum Amasius in Synodo V. Oecumenica damnatur. Halloix ubique falsi conuictus.

Iustinianus inter plurimos candidatos Eutyechium Monachum Amasenum nihil tale cogitantem Mennæ successorem designans Petro Referendario, quem hoc anno sæpè cum mandatis ad Vigilium miserat, imponit, vt Eutyechium cum honore custodiat, eiusque curam gerat. Inde Imperator Clero, ac sacro Patrum cœtu aduocato, eosdem teste Eustathio in lib. de vita Eutyechij his allocutus est: *Cum in æde D. Petri Principis Apostolorum, in qua Senatus habebatur, me somnus complexus esset, in quiete vidi Principem Apostolorum mihi magnum Eutyechium ostendentem, dicentemque: Fac vt hic sit Episcopus.* Quo oraculo monitum se fuisse dixit, vt Eutyechium in Mennæ locum subrogaret; atque hoc pacto Eutyechius renunciatus est Patriarcha Constantinopolitanus. Baronius scribit initio anni 553. Eutyechium electum. Verùm Theophanes qui commentaria rerum Byzantarum exactè calluit, hæc tradit: *Eodem tempore Mennas Episcopus C-P. defunctus est, in cuius locum suffectus Apocrisarius Amasæ Presbyter, & monasterij ipsius Amasæ Monachus Eutyechius eo ipso die, quo Menna cadauer in sacris adytis adhuc expositum iacebat. Quare cum Baronius, & alij post ipsum asserant Mennam, mortuum anno 552. eodem quoque anno recitanda illis est electio Eutyechij. S. Nicephorus Patriarcha C-P. qui suorum decessorum chronicon scripsit, de Eutychio hæc habet: Eutyechius Presbyter, & Monachus in monasterio Amasæ annis XII. mensibus duobus. Hoc eiecto à Iustiniano Imperatore ipsius anno XXXVIII. Ioannes presbyter Antiochie ex numero Scholasticorum annis XII. mensibus septem. Eutyechius iterum sub Iustiniano (lege Iustino) restitutus confecit annos IV. menses sex.* Hanc chronologicam thesim integram recitavi, quia est exactissima, vt patebit. Eustathius, qui Eutyechij vitam, cuius lateri semper inhæsit, diligentissimè scripsit, author est Eutyechium à Iustiniano è cathedras pulsum in festo S. Timothei nempe 24. Ianuarij. Reddo eiusdem verba ex cap. 53. *Cum enim dies festus S. Timothei in Hormisda, vt ante diximus, celebraretur, illinc vir pius sacrificium faciens sublatus est, & ea pertulit, quæ passus est.* Et cap. 54. *Nam in persecutionis tempore Sabbatum, & hyems erat, vigesimo enim secundo mensis Ianuarij vir Dei Sanctus tentatus, & eiectus fuit.* Error librarij corrigendus est, & pro 22. dies 24. reponendus ex festo S. Timothei. Duodecim annos ante exilium sedisse affirmat Eustathius cap. 23. *At magnus hic vir Dei Eutyechius pari annorum numero, quot sunt Apostoli, Christi gregem pavit.* Dies 24. Ianuarij S. Timotheo sacra incidit Sabbato anno 565. Cyclo Solis XIV.

G 2

Lunæ

Lunæ XV. lit. D. ergo retrocedendo per annos duodecim menses duos erimus circa initia Decembris anni 552. Baronius putauit, exilium Eutychie accidisse anno 564. Ibidem Num. 15. In hoc eximio, ac summæ eruditionis historico Cyclorum obseruatio passim desideratur, ex cuius defectu in anacronismos lapsus est.

Eutychieus ineunte anno 553. fidei professionem ad Vigilium misit datam in festo Theophaniorum. Scribit Lupus cap. 6. comment. ad Synodum V. hanc professionem fidei traditam Pontifici etiamnum captiuo ad S. Euphemiam, ac mox Belisarium cum alijs legatis, itemque Petrum Referendarium ad eundem destinatos, vt datis denuo sacramentis Pontificem Byzantium adducerent, & tunc Vigilium scripsisse encyclicam de suis calamitatibus. Labitur vir insignis, nam ex Cyclis apertè superiùs monstrauius legationem illam contigisse die 28. Ianuarij anno 552. At Mennas decimo postea mense obiit. Vigilium verò, cum accepit professionem fidei ab Eutychieo, Constantinopolim regressum inde colligo, quòd priorem professionem fidei hoc titulo inscribit in suo Constituto: *Exemplum primæ professionis, quam ad S. Euphemiam templum fecerunt.* Posteriori autem Eutychiei hunc titulum præfigit: *Exemplum professionis, quam residui Episcopi Theophaniorum die nobis fecerunt.* Vbi vides priorem loco, alteram tempore signari. Cæterum Eutychieus laudatis quatuor Synodis, atque Leonis epistolis rogat Vigilium, vt iam tandem Concilium de tribus capitulis inchoet. Subscripsere epistolam

Eutychieus Constantinopolitanus }
 Apollinaris Alexandrinus } Patriarchæ.
 Dominus Antiochenus }
 Elias Thessalonicensis }

Vigilius VIII. Idus Ianuarij Patriarchis respondens ipsorum fidem collaudatæ petitioni verò de discutienda causa trium capitulorum hæc reponit: *Annuimus, vt de tribus capitulis, ex quibus questio nata est, factò regulari conuentu, seruata equitate, medijs sacrosanctis Euangelij collationem cum vnitatis fratribus habeamus, & finis detur placitus Deo, & conueniens ijs, quæ à Sanctis quatuor sunt definita Concilij.* At illis clausulis factò regulari conuentu, seruata equitate, ita Synodum indicit Pontifex consentiebat, vt & Latini Episcopi pari numero adessent, ne decretis postea Synodalibus aduersarentur, de qua re inferiùs iterum sermo redibit.

Hoc eodem anno 553. ineunte die 14. Ianuarij S. Datus Antistes Mediolanensis post ingentes ærumnas forti animo toleratas è viuis excessit; ea enim die eundem obiisse tabulæ sacræ Ecclesiæ Mediolanensis, ac Romanum Martyrologium testantur apud eruditissimum Bollandum. De anno verò intel Scriptores non conuenit, nam Baronius, ac Bollandus anno superiori eundem decessisse existimant, quorum sententia ex literis Vigilij datis hoc anno Nonis Februarij redarguitur, in quibus Datij tanquam superstitis mentionem facit, vt capite superiori notatum est. Ripamontius lib. 7. historiæ Ecclesiæ Mediolanensis vsque ad annum 556. illius obitum protrahit; Victor Tunonensis mortuum scribit post consulatum Basilij XIII. qui est illi annus 554. quo anno etiam tradit Totilam à Narsete victum. Certum est ex literis Pelagij Papæ ad Narsetem obiisse Datium Totila adhuc regnante, ac Narsete in Italia exercitum regente, hæc enim Pelagius scribit: *Recolere enim*

debet

debet Celsitudo vestra, quid per vos Deus fecerit tempore illo, quo Istriam, & Venetias tyranno Totila possidente, Francis etiam cuncta vastantibus, non ante tamen Mediolanensem Episcopum fieri permisistis, nisi ad clementissimum Principem exindere retulissetis, & quid fieri debuisset, eius iterum scriptis recognouissetis, & inter ubiq; furentes hostes Rauennam tamen & is, qui ordinabatur, & qui ordinaturus erat, nempe Metropolita Aquileiensis, prouidentia culminis vestri deducti sunt. Panuinius meus, Sigonius, ac cæteri Recentiores Chronologi Caluissius, Petauius, Ricciolius, alijque Narsetem anno 552. in Italiam exacta hyeme venisse, atque ætate incumbente ab eodem Totilam acie victum scribunt, quod certè etiam ex Procopio tunc viuente colligitur, qui pugnam illam refert anno labente Gothici belli decimo octauo, qui ab hyemis exitu anni 552. inchobatur. Theophanes etiam testatur hæc eodem anno contigisse. Cæterum cum euidenter, vt mox ostendam, pateat Procopium in designandis illius belli Gothici annis lapsum esse, duorumq; annorum gesta in vnicum annum perperam congeffisse, aliunde veritas petenda est. Ego quidem arbitror Gothos Regem Totila occiso anno belli decimo nono labente à Narsete primùm superatos, nempe anno 553. quod insignis illius sæculi chronologus Marius Auenticensis testatum reliquit, hæc enim scribit: *Post consulatum Basilij anno XII. Indictione I. Hoc anno Baduilla Rex Gothorum ab exercitu Reipublicæ per Narsetem Chartularium Eunuchum interficitur.* Cum verò huic Chronologo annus 542. sit Post consulatum Basilij annus I. planè anno 553. Narsetes victoriam alligat, quod etiam ex indictione prima denotatur, quæ anno eodem mense Iulio currebat. Idem verò Marius anno insequenti Teiæ occisionem refert. Procopius lib. 4. discretè scribit Totila occiso Narsetem Romam statim recuperasse, quando sextum, & vicesimum principatus annum habebat Iustinianus. At hoc ipso anno 553. Kalendaris Aprilis annum 26. imperij Iustinianus compleuit, Totila verò mense Iulio victus fuit, nam mense Augusto ex Theophane victoriæ nuncius C-P. appulit. Quare cum ex antiquis tabulis Ecclesiæ Mediolanensis constet, Datium obiisse die 14. Ianuarij, Totila adhuc superstite, nondum enim eodem occiso Vitalis Mediolanensium Præsul Rauennæ consecratus fuerat ex laudatis literis Pelagij, consequens fit, vt hoc anno 553. & Datij obitus, & Totilæ occisio contigerint. Lucas Holstenius memoratas modò Pelagij literas non quidem Narseti, sed Valeriano Patricio inscriptas edidit p. 1. collect. Rom. pag. 227. De hoc Valeriano scribit Procopius lib. 4. *Narseti autem Rauennam, vt venerat, sociati sunt Duces Valerianus, & Iustinus.* At cum Narses summam in Italia præfecturam gereret, ad eundem potius scripsisse Pelagium dixerim, & quidem de re grauisima, rogabat enim, vt Antistites Mediolani, & Aquileiæ Synodi V. obtrectatores Constantinopolim sub custodia mitteret. Ex his patet errasse Ripamontium, qui Vitalem Datij successorem à Pelagio consecratum putauit, initiatus enim fuit Episcopus Rauennæ ab Aquileiensi Metropolita Vigilio etiamnum Pontificatum tenente. Scribit Victor Tunonensis Datium anno 554. Constantinopolim venisse, ac tria capitula damnasse, eademque die percussum occubuisse. Sed cum Datij constantia in sequenda Vigilij sententia nobis constet, meritò cum meo Lupo homini Schismatico nullam fidem præstandam ducimus, præsertim cum isthac eo anno affirmet contigisse, quo iam Datus diem obierat.

Sed



Sed iam demonstrandum est Procopium in belli Gothici annis recensendū errasse, non solum quod eidem Pantinius, Sigonius, Baronius, alijq; celeberrimi Scriptores astipulati sunt (isti enim Procopio, qui cum Belisario eidem bello interfuit, ex asse fidem præstandam duxere) verum etiam quod ad nostram historiæ chronologiam exactiorem id plurimum conducit. Primus annus belli Gothici, ut ex Procopio cap. 3. probauimus, incepit anno 535. quo Siciliam Belisarius exactis Gothis recuperauit. Anno 536. cum circa Paschalis festa seditio per Africam Romanis militibus incesisset, Belisarius in Africam aduolans fugato seditioso Stortæ exercitu rem composuit. Scribit Procopius lib. 2. de bello Vandatico: *Decimus is erat annus Iustiniano imperanti; decimus verò annus eiusdem imperij inchoabatur anno 536. à Kalendis Aprilis.* Porro Belisarius in Siciliam rediens exortos ibi etiam tumultus compescuit, ac dispositis per insulam præsidij in Calabriam transmisit. Brutijs, ac Lucanis in deditioem acceptis Neapolim obsedit autumno incumbente; scribit enim Procopius, eundem veritum, ne pluuijs ad obsidium soluendum magna cum impedimentorum iactura cogeretur, vasa colligi iussisse, cum nil tale cogitanti per occultum aditum in urbem penetrandi modus iudicatus est, atq; eo pacto Neapolim occupauit. Rebus autem ea in vrbe è sententia compositis, Compias Romam versus eduxit, qua etiam feliciter sine pugna potitus est. Hec ait Procopius: *Receptaque est Roma sexagesimo anno, mense eodem postquam à barbaris incesso fuerat.* lib. 1. de bello Gothico. Captam verò à Barbaris fuisse Basilisco, & Armato Consl. nempe anno 476. testatur Marcellinus Comes in chronico; quare recuperata est anno 536. Addit Euagrius Belisarium Romam ingressum die 9. Decembris. His recensitis idem profequitur recensere, quas postea vrbes Dux Belisarius in potestatem redegit. Hic verò more solito secundum anni belli Gothici Procopio claudendus erat, nempe: *Sic hyems exijt, finemq; imposuit anno secundo belli, quod Procopius describit.* Verum huius distinctionis oblitus pergit Procopius narrare, Vitigem cum CL. millibus armatorum Rauenna egressum, ac mense Martio Romam obsidisse, ibique in plures menses protractam obsidionem cum egregijs & ciuium Romanorum, atq; hostium factis describit. Paulò post initium libri secundi ait, Euthalium circa brumalem Solis pulsum Romam cum stipendijs militum appulisse, quibusdam verò conflictationibus narratis concludit: *Sic hyems exijt, finemq; imposuit anno secundo belli, quod Procopio describitur.* Ex quibus patet, laudatum Scriptorem duorum annorum gesta ad vnicum perperam restrinxisse, neque enim Neapolim, Romamq; Belisarius occupauit eodem anno, quo Vitiges vrbi castra circumdedit, eandemque longiori obsidio oppugnauit. Hinc factum est, ut apud eundem Historicum aliorum quoque annorum gesta haud suo tempore recenseantur. Etenim lib. 3. narrata vrbs expugnatione per Totilam Gothorum Regem ait: *In his hyems se circumegit, & anni duodecimi belli huius aderat finis, quod Procopius ipse conscripsit.* Duodecimus belli Gothici annus exijt vnà cum hyeme anno 547. At Roma capta est anno belli decimo tertio hyeme iam sauiente. Auctuarium Marcellini hæc habet: *Indictione X. Post consulatum Basilij VI. Totila dolo Isaurorum ingreditur Romam XVI. kalendas Ianuarias.* Quare anno 547. die 17. Decembris Totila urbem occupauit. Marius Auenticensis eadem indictione X. Post consul. Basilij VI. ait: *Eo anno Baduila Rex Gothorum*

Roma

Roma capta, depopulauit &c. S. Gregorius Magnus lib. 2. epist. 36. disertè affirmat, Gothos urbem occupasse, postquam Vigilus in vrbe regia constitutus anathema in Acephalos publicauit, verba dedimus cap. 3. at certum est Vigilium anno 547. C-P. appulisse, quod itidem monstratum est loco proximè memorato. Ex his ergo anachronismus Procopij patet, ex quo tot insignes viri errandi occasionem acceperunt. Quare cum vnus anni additione Procopius corrigendus veniat, Datij Mediolanensis obitus, ac Narsetis in Italiam aduentus, moxq; subsecuta Totilæ occisio ad annum 553. referenda est. Baronius quidem, ut notabamus, annum 535. inter belli Gothici annos non numerauit, sed planè contra Procopium, & rei gestæ veritatem. Sigonius verò lib. 18. de imperio Occidentali ad annum 538. vniuersa reuocat, quæ Procopius duobus annis gesta affirmavit, (ut cuique legenti patebit) ne bellum Gothicum ultra decem, & octo annos extenderetur.

Sub finem anni præcedentis 552. frequentissimi Episcopi Byzantium ad Synodum aduenerant, tres enim Patriarchæ aderant, itemq; Helias Metropolitana Theffalonicensis, ut ex subscriptione libellorum ad Vigilium patet, qui tamen paulò post discessit relicto Benigno Episcopo Heracleæ Pelagoniæ, qui suas in Concilio vices ageret. Hi quidem sapius conuenientes Ecclesiasticas causas tractabant, ut ex Eustathio colligitur. In his verò congressibus ante Maium præsentis anni celebratis damnatum Origenem, & approbatum decretum Iustiniani contra eundem à decennio latum certum existimo. Cedrenus ad annum Iustiniani vigesimum sextum recitat ad verbum literas Imperatoris ad Synodum, queis Patres hortatur ad Origenem damnandum: *Vos hortamur, ait, o sanctissimi Patres, ut in vnum collecti subiectam expositionem, & singula eius capita examinetis, damnetisq; cum Origene omnes, qui idem sentiunt.* Baronius, cui etiam Lupus astipulatur, rectè monet capita à Iustiniano laudata contineri in ipsis literis ab eodem olim ad Patriarchas contra Origenem missis vnà cum anathematismis ibidem subiectis, quæ cum à Patriarchis tunc validata fuerint, publica Oecumenicæ Synodi subscriptione iterum confirmata sunt. Res grauiori consideratione non indigebat, ex literis enim encyclicis olim Origenes in vniuersa Ecclesia damnatus fuerat, & Patriarchæ antequam consecrarentur, de more Origeni anathema dicebant, hoc enim in edicto Iustiniani mandabatur, quod de cæteris alijs Episcopis etiam constabat. Hinc sessio illa, utpotè de re non semel, sed iterum iudicata, haud in plura exempla transcripta fuit, cum vnicuiq; edictum Iustiniani sufficeret. Vti verò certum est, Origenem in Synodo V. damnatum, ita incertum mihi videtur tempus, quo damnatio illa peracta fuerit, num anno 552. sub Menna, vel potius anno 553. iam inchoato sub Eutychio. At cum videam initio statim anni à Patriarchis rogari Vigilium, ut causam de tribus capitulis inchoet, existimo controuersiam de Origene paulò antea discussam.

Duo tamen hic nobis probanda sunt, Origenem in Synodo V. damnatum fuisse, & hanc damnationem priorem fuisse proscriptione trium capitulorum, video enim de hoc secundo cum eruditissimo Scriptore mihi esse luctandum, nam Petrus de Marca in parua dissertatione de Synodo V. scribit: *Ceterum cognitionem de Origene successisse trium capitulorum cognitioni, ipsa series actorum Quintæ Synodi aperte ostendit.* Quæ sanè procul à vero sunt, cum ex actis Synodi citra dubium



dubium oppositum colligatur. Synodus V. canone XI. ait: *Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, ORIGENEM cum impijs eorum conscriptis, & omnes alios hereticos, qui condemnati, & anathematizati sunt à Sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia, & à prædictis Sanctis quatuor Concilijs, & eos, qui similia prædictis hereticis sapuerunt, vel sapiunt, & usque mortem in sua impietate permanserunt, vel permanent, talis anathema sit.* Hic cano editus est collatione VIII. habita IV. Nonas Iunias, quæ cum postrema fuerit in causa trium capitulorum, colligitur antea iam Origenis causam cognitam fuisse, alias Origenem damnassent, antequam illius errores examinassent, ex consequenti per summam iniuriam Adamantius fuisset indicta causa damnatus. Sed est aliud contra Marcam argumentum prorsus ineluctabile. Theodorus Cappadox magnus ille Origenis protector probaturus, posse Theodorum Mopsuestenum licet olim mortuum iure damnari, ita Synodum allocutus est collat. 5. *Et multos quidem etiam alios inuenimus post mortem anathematizatos. Nec non etiam Origenem, & si ad tempora Theophili Sanctæ memoriæ vel superius quis recurrerit, post mortem inuenit anathematizatum, quod NVNC in ipso fecit, vestra Sanctitas, & Vigilius Papa religiosissimus antiquioris Romæ.* En fatentur Origenistarum Principe à Synodo V. & à Vigilio Papa Origenes damnatus fuit, & quidem antequam terminata esset cognitio trium capitulorum. Hoc testimonium est adeo euidens, vt rem extra dubium ponat. Sexta Synodus Oecumenica sub S. Agathone Papa actione 17. in definitione fidei laudat quatuor Synodis prioribus contestatur se recipere decreta super has, & *remane hanc Quintæ Sanctæ Synodi, quæ hic congregata est aduersus Theodorum Mopsuestenum, Origenem, Didymum, & Euagrium, & scripta Theodoretæ aduersus decem capitula laudabilis Cyrilli, & epistolam, quæ dicitur Iba ad Marin Persam scriptam.* Et in edicto fidei act. 8. *Suscipimus quoque, & quæ in temporibus Iustiniani mem. in prædicta à Deo conseruanda nostra felicissima ciuitate complosa est Synodus contra Dei impugnatores Origenem, Didymum, & Euagrium, & obscæna Theodori, & Indaica scripta &c.* His concinit Synodus VII. Oecumenica, quæ est Nicæna act. 7. *Præterea, inquit, Origenis, Euagrii, & Didymi fabulositates anathematizamus quemadmodum Synodus C-P. Quinta numero docuit.* Igitur Origenem à Synodo V. damnatum fuisse publica Ecclesiæ sententia est.

Dabo etiam Scriptores nobilissimos, qui ante Synodum VI. florere. Cyrillus Scythopolitanus S. Sabæ discipulus, qui & Magistri, & Eutymij vita diligentissimè scripsit, cap. 109. de vita Sabæ apud Surium die 5. Decembris ait: *Post hæc cum Sancta, & Oecumenica Quinta Synodus congregata fuisset Byzantijs Theodorus Mopsuestia, & Origenes, & unà cum his impia de præexistencia, & resurrectione dogmata generali fuerunt subiecta anathemati.* Idem in vita Eutymij die 20. Ianuarij apud Bollandum cap. 28. hæc scribit: *Cum præcedente autem tempore postea congregata fuisset Constantinopoli Quinta Synodus, & Origenis, & Nestorij dogmata fuissent ab ea percussa anathemate, & qui nouam Lauram tenuerant, Origenistæ illinc essent expulsi, & fideles, et Orthodoxi Patres rursus in eam migrassent, permittente mihi admirabili Ioanne Silentario, eo inquam, qui erat Episcopus, discedo è cœnobio, et ipse quoque versor in hac Laura.* Hæc ille, qui cum eo tempore vixerit depressorum per Synodum V. Origenistarum oculatus testis venit. Ex his patet Halloix hallucinatio, qui quæst. 10. S. 382. hæc scripsit. *Euagrius pri-*

mus

mus è Græcis hanc attigit controuersiam, et quem alij Scriptores Græci cæcorum more secuti sunt. Immò primus est Cyrillus omnium Græcorum Scriptorum, quos modò habemus, qui cæcus sanè non fuit, sed Origenistas ex Synodi V. decretis è noua Laura expulsos fuisset oculis vidit, atque in eadem Synodo eosdem damnatos esse perspexit. Halloix, qui isthæc non legit, cæcorum more perperam de non visis iudicauit. Sed præclaro etiam testimonio à Cosma Diacono in Synodo septima actione prima recitato iterum Halloix reijcitur, est quidem longiusculum, sed planè totum hic inferendum, ex eo enim cognoscemus exitum Origenistarum, qui tot turbas sub Nonno in noua Laura in Palæstina dederunt. *Cosmas venerabilis Diaconus & sacri Patriarchatus Cubicularius ex vita S. P. N. Sabæ legit.* Itaque cum Sancta vniuersalis Quinta Synodus Constantinopoli esset congregata communi, & generali anathemate reiecti sunt Origenes, ac Theodorus Episcopus Mopsuestias, et quæcunque ab Euagrio, et Didymo dicta sunt de præexistencia, siue *πρὸ πρὸυπαρξενος.* Probarunt autem id quatuor Patriarchæ presentes. Præterea Imperator noster Dei amatissimus acta Synodi Hierosolymam misit, in qua ciuitate coactio Episcoporum conuentu quotquot erant Palæstinorum Episcopi manibus, et pedibus, et ore sententiam, et statutum Synodi confirmarunt, nisi quod Alexander Abyles contrarium sensit, quamobrem Episcopatu exutus Byzantium se recepit, et terræ motu obrutus est, et sepultus. *Nouæ Lauræ verò Monachi se à Catholica communione separarunt.* At verò Patriarcha Eutychius (Eustochius) diuersis modis eos aggressus per octo menses illos admonuit, et cum precibus suis non valisset eis persuadere, quò Ecclesiæ Catholica communicarent, imperialibus iussionibus usus per Anastasium Ducem à noua illos Laura proiecit, prouinciamque totam ab eorum pestilentia liberauit. Hæc puto esse excerpta ex Cyrillo in libro de vita Sabæ, vnde quæ apud Surium legitur, mutilata est. Bollandus integram se inuenisse indicat in fine prolegom. ad vitam Theodosij Cœnobiarchæ die 11. Ianuarij. Audis Origenem damnatum, gesta item contra eundem Hierosolymam transmissa, & tandem Origenistas Neolaurense expulsos, vniuersamque Palæstinam Origeni maledixisse?

S. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, qui paulò post Synodum V. floruit, in epistola ad Sergium, quæ recitatur act. 11. Synodi VI. hæc scribit: *Etiam quantum præter istos, & post istos aliud Concilium vniuersaliter constitutum suscipio, quod in regia urbe etiam id celebratum est Iustiniano tunc sceptræ Romani imperij dispensante, & omnes eius præclaras definitiones, quod ad confirmationem quidem nominatissimi Chalcedonensis Concilij congregatum est.* Perimit autem, & in interitum proiecit PRINCIPALITER ORIGENEM insanum, & omnes eius pomposas somnolentias, & plena multa impietatis commenta. *Euagrii quoque cum eo, & Didymi dogmata, & omnia eorum pagana, atque prodigiosa, nec non & fabulosa deliramenta.* Post quos & Mopsuestenum auellit Theodorum Magistrum Dei rebellis Nestorij &c. Hoc ipsum testatus est Maximus Patriarcha Aquileiensis in Synodo Lateranensi coram S. Martino Papa celebrata: *Contra Theodorum, inquit secretario primo, & Origenem in Sancta Quinta Synodo accusator quidem nullus, sed tantummodò eorum conscripta ad accusationem ipsorum, & reprehensionem suffecisse noscuntur.* Claudat horum dicta Euagrius, qui lib. 4. capite 38. alias 37. hæc recitat de Synodo Quinta: *Relatum est igitur ad Iustinianum à Synodo post exclamationes contra Origenem, & eos qui pariformiter cum illo seducti erant, factas. Qua de re ista ad verbum inter cætera sunt relata.* Et recitatis quibusdam Patrum exclamationibus ait: *Istis*

H

adiun-



adiunxerunt & capita eorum, quæ cum Origene sentientes docuerunt &c. Quis autem nisi Halloix, dixerit Euagrius ista finxisse? testatur se ad verbum illa ex acta Synodi excerptisse; & quidem Iustiniani literas contra Origenem ad Synodum datas recitat Cedrenus. Sanè stultitiæ proximum est, adhuc negare Origenem in Quinta Synodo esse damnatum, & tamen non pudet Halloix, error illos arguere, qui dixere lata in Synodo V. contra Adamantium anathemata, obstinatè hæc reponere: *In Quinto Concilio, nihil prorsus de Origene tractatum est.*

Vidit Halloix anathematismum XI. Quintæ Synodi, & cum nullus superesset defensionis locus, ridiculam prorsus responsionem commentus est: *Intrusum, inquit, haud dubiè est nomen Origene in anathematismum undecimum collationis octaua. Quæst. 10. S. 23. ab homine, addit, quopiam, ut supra indicavi, saltem imprudenti nomen eius anathematismo undecimo improbè adiectum est.* Hæc probatur quia Eutychem non Origenes, sed Dioscorus proximè locandus fuerat, ita enim Patres vtrumque simul ferè vbique nominant. Rursus Gregorius Magnus lib. 2. epist. 36. indict. 10. vnã tantum personam damnatam dicit in Synodo V. nempe Theodorum Mopsuestenum, non igitur Origenes etiam proscriptus fuit, aliàs duo damnati fuissent. Denique idem anathematismus legitur in edicto Iustiniani contra tria capitula, vbi Origene nomen non apparet. Atque ex his putat Halloix insertum canoni undecimo Origenem. Hæc positus faciliem responsionem testimonijs Sextæ, & Septimæ Synodi producit nempe vtriusque Concilij Patres secutos acta Synodi V. corrupta pag. 390. vbi in margine hæc leguntur: *Sexta Synodus in errorem tracta est à Quinta, & post se traxit Septimam.* At cum in collatione V. Theodorus Origenistarum Dux factus sit, & à Synodo V. damnatum Origenem, fabulam putat dicens esse adulteratum, & suppositum locum, interiecta, & intrusa verba pag. 388. Hæc Origenem aduocatus.

Heu quò præcipitem egit hominem cæcus in Origenem amor? Si Origenem nomen ab inuida manu intrusum fuit undecimo anathematismo, tuum erat condicem cariosum quempiam alicubi gentium literatarum, vel etiam barbararum nominare, vbi canon ille Origenem inter proscriptorum capita non recenseret. Latina Ecclesia sacrorum Conciliorum codices legitimos, atque incorruptos in Ecclesiasticis scrinijs semper conseruauit, atque inter hæc sacra volumina erant getta Quintæ Synodi. Hinc cum S. Martinus Papa, qui ante Sextam Synodum Lateranense Concilium contra Monothelitas celebrauit, dixisset: *Offerantur imprimis per eos, quorum interest, reuerendissime sanctarum quinque vniuersalium Synodorum definitiones, lectis definitionibus priorum quatuor Conciliorum dictum est: Definitio Sanctæ quintæ Synodi, cuius quidem definitionis anathematismus XI. ita exhibitus est: Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychem, ORIGENEM cum impijs eorum conscriptis &c. talis anathema sit.* Vides in Ecclesiæ Romanæ legitimis codicibus Origenem in anathemate XI. cum reliquis condemnatum? Sed grauius aduersarium premo. Cum in Synodo Sexta depræhensi fuissent Monothelitæ codices Synodi V. corrupisse, & id Legati Pontificij alta voce protestarentur, Sancta Synodus dixit illos conuinci antiquis, & IMMUTILATIS eiusdem Sancti Quinti Concilij libris, qui ex archiuio Patriarchali producti publicè eo in conuentu lecti sunt; & ex authenticis codicibus hæreticorum fraude de-

recta

recta Synodus vniuersa exclamauit: *Anathema simul, qui falsificauerunt acta Sancti, & vniuersalis Quinti Concilij.* Hæc actione 14. recitantur. Non igitur Synodus sexta, vt fingis, secuta est acta V. Synodi corrupta, sed antiquos, & immutilatos eiusdem Sancti Quinti Concilij libros. Et hæc quidem plena Patrum Synodo contestante. De hoc tamen iterum capite sequenti pluribus agemus.

Hinc factum est, vt damnato in Quinta Synodo Origene ante Sextam Synodum idem etiam tum in Latina, tum in Græca Ecclesia passim anathemati subijceretur, quod, vt alia omittam, constat ex Synodo Lateranensi S. Martino Papa Præsidente celebrata, & ex Ecthesi Heraclij Imperatoris in eadem Synodo laudata: Concilij verba hic damus, Ecthesim verò paulo inferiùs adducemus. Quod verò opponit Halloix, Dioscori loco Origenem ab imprudenti homine in anathematismum undecimum Synodi V. intrusum fuisse, ridicula diuiniatio est. Non fuit ibi Dioscorus nominatus, quia damnatus fuerat in Eutychem, eadem enim omnia, quæ Eutychem delirauit, Alexandrinus ille Pseudo-Antistes etiam asseruit, vnde Synodus Chalcedonensis act. 3. in literis ad S. Leonem Papam de Dioscoro scribit: *Quod Eutychem pro impietate damnatum sue tyrannidis decretis innoxium statuit, & dignitatem, quæ à vestra illi ablata fuerat Sanctitate (quippe vt ab eo, qui hac gratia erat indignus) illi restituit.* Sed Dioscorus non modò Eutychem, sed & Hæreticorum omnium Magistri Origenis discipulus fuit, vnde idem Dioscorus in libello supplici Theodori Diaconi apud Synodum Chalcedonensem act. 1. accusatur, vt *semper quæ Origenis sunt sapiens.* Inere ergo canoni illi etiam, si ita lubet, Dioscorum, ita tamen ne loco pellat Origenem. At si scire cupis, qualis inter hæreticos locus Origeni, qualis Dioscoro statuatur, lege canonem 18. Sanctæ Synodi Lateranensis non pleno sæculo post Quintum Concilium à S. Martino Pontifice celebratæ: *Si quis, inquit, secundum Sanctos Patres consonanter nobis, pariterque fide non respuit, & anathematizat anima, & ore omnes, quos respuit, & anathematizat nefandissimos hæreticos cum omnibus impijs eorum conscriptis vsque ad vnũ apicem Sancta Dei Ecclesia Catholica, & Apostolica, hoc est sancta, & vniuersales quinque Synodi, et consonanter omnes probabiles Ecclesiæ Patres, idest Sabellium, Arium, Eunomium, Macedonium Apollinarem, Polemonem, Eutychem, DIOSCORUM, Timotheum Ælurum &c. ORIGENEM, Didymum, Euagrius, et compendiosè omnes reliquos hæreticos, qui à Catholica Ecclesia reprobati, atque abiecti sunt etc. huiusmodi condemnatus sit.* Vides Origenem cum Euagrio, ac Didymo, qui actione 11. Sextæ Synodi ita nominantur *Didymus, et Euagrius Origenianæ vanitatis primi secretarij fædissimi,* hæreticorum agmen claudere? reponi inter nefandissimos hæreticos? damnari illius impia conscripta? Rursus in magna Synodo Nicæna II. quæ est Septima Oecumenica leges supparem Eutychem Dioscorum datum, atque his proximum Origenem, eiusque secretarios fœdissimos. Illa quidem act. 7. in definitione fidei ait se anathematizare: *Arij insaniam, Macedonij rabiem, Apollinarij dementiam, Nestorij idolatriam in homine, Eutychem & Dioscori conspirantem vanitatem, & horum multorum capitum hydram, ORIGENIS, Didymi, et Euagrii nugas, fabulasque.* Ita Dioscorus cum Magistro Eutychem eadem infamiæ nota insignitur, nigrumque theta etiam Origeni præfigitur. Ergone & Lateranensis Synodus ante VI. & VII. Concilium tracta est in errorem à corrupto V. Synodi codice? Nullusne Patrum Latinorum, vel



Græcorum germana, ac legitima Synodi V. acta nancisci potuit, vt Origenem tantæ infamiæ subduceret, ac collegas admoneret intrusi in anathematismum XI. Origenis? Nullusne ex sexcentis, & ampliùs Patribus pro Origene aduocatus surrexit? Nullus erga Adamantium miseratione aliqua inflexus fuit? Quis porrò ex his non intelligat, quo loco fuerit apud Catholicam Ecclesiam Origenes? Eadem facilitate refutantur, quæ de intruso periodo collationis quintæ Halloix fingit, vti enim ista sine teste proferuntur contra signatas antiquitus tabulas, de quarum fide nullus huc vsque dubitauit, ita veluti somnia in fumum abeunt.

Quod addit asseri à Magno Gregorio, vnam tantummodò Personam damnatam fuisse in Synodo V. Origeni non fauet, nam Pontifex hæc scribit: *In Synodo, in qua de tribus capitulis actum est etc. de quibusdam illic solummodò Personis actitatum, quarum vna, cuius scripta euidenter à rectitudine Catholice fidei deuiauerunt, non iniuste damnata est.* Loquitur de controuersia ibi agitata de Theodoro Theodoreto Cyri, & Iba Edeffeno, & rectè pronunciat, primum quidem cum suis scriptis fuisse damnatum, Theodoretum verò, & Iba scripta tantummodò non personas. De Origene non loquitur, quia hic ante Synodum de tribus capitulis damnatus fuerat, neque de illo Schismatici, quos ibi alloquitur Gregorius, fuere aliquando solliciti. Verùm si quæretur ab Apostolica Sede, num à Patribus Synodi V. solus Theodorus damnatus fuerit, respondebit Nicolaus Primus in epistola ad Michaelem Imperatorem: *Quinta præterea Synodus etiam iam mortuos Origenem, atque Theodorum per eorum damnanda scripta non rectè sapuisse repertos anathemate perculit.* Sed & ante ducentos annos hæc ipsa dicta sunt in Synodo Lateranensi à Maximo Patriarcha Aquileiensi, cuius dicta superius laudauimus. Neque Halloix postremum illud iuvat, nempe intrusum esse canoni vndecimo Origenem, quòd hic non legitur in edicto Iustiniani contra tria capitula. Rem, vti erat summa eruditione instructus, Baronius vidit. Edictum illud Iustiniani compositum fuit opera Theodori Episcopi Cæsareæ Cappadocum; hoc enim testatur Vigilus Papa in epistola contra eundem Theodorum: *Tuis, inquit, ex consuetudine incitamentis liber condemnationem capitulorum ipsorum continens in palatio te assistente, et instruente coram quibusdam Græcis Episcopis est relectus.* At Theodorus ex Liberato cap. vltimo Breuiarij erat Origenis defensor acerrimus. Cur ergo Cæsareensis suum Origenem inter damnata capita collocasset? Scito ergo Origenem Theodori fraude in Iustiniani anathematismo omisum à Synodi V. Patribus suo, vti decebat hominem, loco inter hæreticos repositum.

Reclamat Halloix quæst. 10. S. 2. *Certè si ad aliquod vnum generale Concilium spectauit perquirere de Origene, maximè omnium spectauit ad Nicenum, vtpote Origenis ætati vicinissimum.* At concilium, addit, *Nicenum simul antiquissimum, et sanctissimum nihil aduersus Origenem protulit.* Veterem Origenistarum crambent reponit. *Quomodò, aiebant, damnabimus, quem Synodus Nicæna non tetigit?* Reddam ex integro voces Hieronymi epist. 65. *Scilicet vno medicamine omnes similes morbos debere curari; Et idcirco Spiritus Sancti neganda maiestas est, quia in illa Synodo super substantia eius silentium fuit? De Ario tunc, non de Origene quæstio fuit, de Filio, non de Spiritu Sancto. Confessi sunt, quod negabatur, tacuerunt, de quo nemo quærebat. Quamquam latenter Origenem fontem Arii percusserunt, damnantes enim eos,*

qui

qui filium negant de Patris esse substantia, illum pariter, Ariumque damnarunt. Alioquin hoc argumento neque Valentinus, neque Marcion, nec Cataphryges, neque Manicheus damnari debent, quia Nicæna Synodus eos non nominat, quos certè ante Synodum fuisse non dubium est. Hæc ille. At non solùm in Ario Origenes per Nicænos Patres damnatus est, sed & Ephesi cum Nestorianis proscriptus fuit. Illi dicebant ex Photio cod. 54. & Cassiano in libris contra eosdem editis, *hominem ex meritis habuisse unionem cum Verbo.* At hoc ipsum olim tradiderat Origenes lib. 2. Peri-archon; verba dedimus lib. 1. hist. Pelag. cap. 1. Idem in Eutyche te damnatus est, itemque cum Dioscoro in maxima Chalcedonensi Synodo; etenim teste S. Leone epist. 11. ad Iulianum Coensem erratum Eutychetis de haustu venenatorum dogmatum Origenis apparebat effusum, nempe quòd anima Christi, vt dixit Origenes, priùs fuisset in cœlis commorata, additque: *Vnde quod in Origene meritò damnatum est, qui animarum antequam corporibus insererentur, non solum vitas, sed & diuersas fuisse asseruit actiones, neceesse est, vt etiam in isto, nisi maluerit sententiam abdicare, plectatur.* In eadem etiam Synodo, vt notauimus, Dioscorus accusatus est, tanquam *semper quæ Origenis sunt sapiens.* Sed in Synodo etiam Constantinopolitana Oecumenica II. Origenes in Macedonianis, qui Spiritum S. adorandum vt Deum negabant, damnatus fuit. Nam Origenes testibus Sanctis Epiphano, & Hieronymo Spiritum S. creaturam esse asseruit. S. Augustinus lib. de hæres. cap. 43. scribit nonnullos negare illum dixisse. *Spiritum Sanctum creaturam;* additque: *sed qui eius plura legerunt, contradicunt.* Legatur epistola Hieronymi ad Auitum. Igitur non in sola Quinta Synodo, sed & in quatuor prioribus Origenis doctrina damnata est cum Ario, Macedonio, Nestorio, & Eutyche te, vt mirum non sit, si magnus ille maximi Nepotis S. Cyrilli Alexandrini decessor Theophilus pronunciarit epistola 1. Paschali fuisse Origenem *Hydrum omnium hæreseon.* Hinc factum est, vt in Synodis nunquam cum Patribus Origenes nominatus fuerit, imò neque Hæretici Nestorius, Eutyches, Monothelita, alijque vllum ab Origene suffragium petierint, sciebant enim illius testimonium infamia apud omnes laborare. Objicit Halloix magnum Athanasium ostendisse in lib. de decretis Nicænae Synodi contra Eusebium, Origenem procul esse ab Arii insania. Sed notare etiam debebat aduersarius, quæ ibidem Athanasius præmiserat de Origene: *Nam quæ veluti querens, & ingenium exercens scripsit, hæc non tanquam ipsius ita sentientis sint, accipiat quisquam.* Est enim doctum pharmacum Athanasij. Origenes more solito in vtramque partem disputauit, de quo nolim cum quopiam contentionis funem ducere.

Vnum hic subijciam, Sanctissimos Monachos, & Antistites, qui Iustiniano imperante florere, Origenis scripta semper damnasse. S. Sabas pro Origenistis compescendis legationem ad Iustinianum suscepit, de qua re pluribus cap. 1. dictum est. S. Theodosius, cuius memoria die 11. Ianuarij agitur, Origenem supra cæteros detestabatur. Scriptor vitæ eiusdem cap. 13. apud Bolandum ait: *Maximè autem, ostendebat se auersari Origenem, qui existimauit suum in hoc ponendum studium, vt diuina Apostolorum prædicationi nugas contexeret gentiliū, & luderet in rebus minimè ludicris.* Honoris gratia ita ab ipso Halloix initio quæstionis 10. pag. 343. appellatur S. Theodosius Cœnobiarcha *vir fide, & pietate, & prodigiorum multitudine clarissimus.* Origenis hostem eundem fuisse igno-

se igno-

Se ignoravit. Tertius est S. Iohannes Silentarius Episcopus, qui aduersus Origenistas acerrimè decertavit. Author vitæ eiusdem apud Surium die 13. Maii ita fatur cap. 23. *Mittens narrare eius de fide certamina, quæ suscipit aduersus Origenem, & Theodori Mopsuestiæ dogmata, et eorum, qui ea defendebant.* Hic à sede sua fugiens inter Monachos Palæstinos centenarius vltra annum 554. vixit. Huic iungendus est S. Quiriacus, cuius festum celebratur 29. Septembris; legimus apud Surium illius res gestas breuitate, ac diligentia pari descriptas, de illo autem inibi hæc scribuntur: *Vehementissimè decertavit aduersus eos, qui eadem sentiebant, quæ Origenes.* Capite 10. sequenti verò vndecimo Origenis errores recensentur. Halloix Monachos illos Palæstinos, qui contra Origenem libellos Iustiniano Imperatori obtulerunt, carpit scribens Iustinianum *auditis quorundam rudium Monachorum contra Origenistas querimonijs edictum de damnando Origenem scripsisse.* Itane, si superis placet, veluti ex *rudium Monachorum* cœtu Sabas, Theodosius, Quiriacus, Iohannes Silentarius despicientur, quos & Imperatores, & Patriarchæ ad vsque sydera extulere, laudandi verò venient Nonnus, Leontius, ac cæteri Neo-Lauritæ Origenis studiosissimi? Sanctus Eutyechius Patriarcha Constantinopolitanus Origenem, eiusque primarios sectatores Didymum, & Euagrium damnauit, vnde Victor Tunonensis vocat Eutyechium damnatorem *Euagrii Eremitæ Diaconi, et Didymi Monachi, et Confessoris Alexandrini.* Hic autem Eutyechius in exilium à Iustiniano missus fuit falsis delationibus eorum, qui *execranda nugacis Origenis, et Euagrii, et Didymi dogmata defendebant* teste Eustathio cap. 25. de vita Eutyechij. Ex his liquet, quàm procul à vero sit Baronij de Eutychio nostro suspicio, nempe cum constet acta Synodi V. ab Origenistis, ac præcipuè Theodoro Cæsareæ mutilata fuisse, Eutyechium quoque cum Theodoro eam in rem operam associasse, vnde ait ad annum 553. pag. 440. *Sed et in non leuem suspicionem Origenismi induci potuit Eutyechius Constantinopolitanus Episcopus.* Cum tamen S. Eutyechius inter præcipuos Origenistarum persecutores ab illius ætatis scriptoribus numeretur.

CAPVT VII.

Synodus V. contra tria capitula celebratur. De anno Synodi singularis opinio Christiani Lupi V. C. confutatur. Vigilius Papa Concilij acta scripto Constituto reprobatur. Euagrius, ac Didymus Origenistæ in eadem Synodo damnantur, Halloix perperam negante.

Cum aduersarius ea, quæ de intruso ab inuidis inter hæreticos Origenem in anathematismum vndecimum, ac de eiusdem damnatione per dolum collationi quintæ inserta ne simpliciores quidem vnquam credituros satis intelligeret, omnes enim sacratoris antiquitatis tabulæ ipsius somnia procul expellunt, ingenti prorsus audacia; in ipsam Sacrosanctam Quintam Synodum impetum collegit, & quod veteres Origenistæ tentare extimuerunt, tot fulminibus deiectum Origenem rursus erigere nixus ea contra Synodum dictè protulit, quæ initio quidem libri recitata iterum hic repetere religioni duco. Sanè non possum non ridere, considerans novum hunc Origenis aduocatum à veterum Origenistarum decretis rebellantem Synodum V. quam Theodorus

Orige-

Origenis sectator præcipuus conuocandam curauit, mille maledictis lacessente. Etenim illi ad *ultionem eorum, quæ contra Origenem gesta sunt*, inquit Liberatus cap. 24. damnationem trium capitulorum in Synodo V. conflarunt, vnde rectè summus Ecclesiæ historicus Baronius ad annum 553. pag. 440. obseruauit *Quintæ Synodi Coryphæos Origenis errores ex parte sectatos.* Et quod mirere, Theodorum Mopsuestenum Halloix totis lacertis defendit, qui teste laudato Carthaginensi Diacono *cum multa opuscula edidisset contra Origenem, exosus, & accusabilis habebatur ab Origenistis.* Quæ quidem si Halloix obseruasset, profectò tam nobilem, tam vehementem, tam operosam Theodoro Origenomacho aduocationem non commodasset.

Peracta in Quinta Synodo Origenis damnatione, in quam vel ipse Theodorus Cappadox aulae Protheus Iustiniani sui adulandi gratia consensit, Imperator instare cœpit Vigilio, vt & causam de tribus capitulis in Synodo discuteret. At Vigilius cum Occidentales Episcopos timore Iustiniani adesse nolle intelligeret, se cum paucis Italis, atq; Illyricis rem ita definire posse negabat, vt nulla deinceps ab Occidentis Episcopis contradictio fieret. Ea tandem sententia placuit, vt pari Latinorum, ac Græcorum numero Synodus componeretur, quod ante festum Paschæ, quod hoc anno 553. contigit 20. Aprilis statutum fuit. Audiatur ipsemet Vigilius in Constituto ad Iustinianum: *Postea verò hoc magis cum consensu Fratrum nostrorum nostrarum partium Episcoporum nuper ante Sanctum Pasche diem pietas vestra constituit, vt exæquato numero his Pontificibus, qui in Constantinopolitana Vrbe presentes sunt, de tribus capitulis, ex quibus quæstio vertitur, secundum superius designatum Fratrum nostrorum Episcoporum professionem deberemus inire tractatum.* Cæterum Græci Patres his intellectis tumultuari, venisse se ex longinquis prouincijs Synodi Oecumenicæ causa, huius authoritatem, ac nomen deprimi, si à paucissimis celebretur, plurimos Sapientissimos excludendos, si pari cum Latinis numero coeundum sit. Synodos frequentissimàs à solis Græcis celebratas; in Chalcedonensi sexcentorum, & triginta Patrum conuentu legatos tantum Leonis Papæ ex Latinis interfuisse. Nicænam omnibus venerabilem Synodum ex Græcis tantum conflantam. Notam esse Occidentalium in tribus capitulis defensandis obstinationem, cum quibus si exæquato numero Orientales disputationem ineant, paribus hinc inde suffragijs re infecta Concilium dimissum iri. Iustinianus his acceptis à priori sententia discedens diem Synodo dixit IV. Nonas Maias, nempe Dominica secunda post Pascha.

Sed de anno Synodi singularis opinio eximij viri Christiani Lupi Professoris Louaniensis nouam nobis quæstionem ingerit. Veniam dabit eruditissimus, meiq; amantissimus Scriptor, si veritati hoc loco illum postponendum duxero. Hic igitur cap. 6. commentariorum in Synodum V. ait acta Synodalia præferre in titulo annum Iustiniani XXVII. *At credendum, inquit, Victori Tunonensi dicenti fuisse decimum tertium Christi Domini quingentesimum quartum, in quem omnino incidit vigesimus septimus Iustiniani.* Idem repetit cap. 9. initio. *Labitur vir doctissimus, nam acta Synodalia rectè præfixum habent annum post consulatum Basilij XII. nec contrarium docuit Victor, qui cum eo tempore acerrimè pro tribus capitulis decertaret, haud in anno Synodi statuendo errasse dicendus est.* Anno Epochæ Christianæ vulgaris 541. Basilij solus consul fuit.

inde



inde verò vsque ad annum primum Iustini iunioris nulli amplius consules à Iustiniano designati fuere. Detur id ambitioni huius Imperatoris, qui, vt solent in omnibus subscriptionibus signaretur, omisso antiquissimo creandorum consulum more, qui annos suis nominibus distinguebant, ab annis sui imperii tempora statui voluit. Igitur cum annum, quo consules noui non creabantur, à præteriti anni consulibus designari mos esset, annus 542. Post consulatum Basilij dictus fuit, annus verò 543. Iterum Post consulatum Basilij fuit nuncupatus vel Post consulatum Basilij II. seu Anno II. Hoc patet ex legum imperialium, Synodorum, ac Lapidum subscriptionibus. Veronæ nostræ S. Valentis Episcopi sepulchro inscriptum epitaphium legitur: RECESSIT SVB. VIII. KAL. AVGVSTI POST CONSVLATVM LAMPADII ET ORESTIS. Indictione IX. nempe anno 531. Eodem anno celebrata Synodus Romana sub Bonifacio II. incipit: Post consulatum Lampadij, & Orestis VV. CC. sub die VII. Idum Decembrium. Annus verò sequens 532. apud Basilicam S. Petri ad vincula Romæ lapidi inscriptus fuit ET IT. P.C. LAMPADI ET ORESTIS. Inscriptionem integram dedimus lib. 2. hist. Pelag. cap. 19. Præterea Synodi anno 536. tum Constantinopoli à Menna, tum Hierosolymis à Petro celebratæ ita inchoantur: Post consulatum Fl. Belisarij V. C. Eundem consularem caracterem post consulatum Basilij seruarunt Iustinianus in edictis, ac rescriptis, Vigilius Papa in epistolis, Synodus V. item & Mopsuestena, vt sæpius exposuimus. Cæterum nonnulli Chronologi ab vsitato fastorum condendorum more communiter recepto recedentes, alio caractere fastos consulares digessere. Nam annus 542. ita signarunt: Post consulatum Basilij V. C. Anno II. Eodem modo etiam notarunt annum 531. Post consulatum Lampadij, & Orestis anno II. item annum 536. Post consulatum Belisarij V. C. Anno II. Victor Tunonensis hoc pacto annos carentes consulibus signauit. A. 541. Basilio V. C. Cos. postea verò immediate annum 542. hac consulari nota inscribit: Post consulatum Basilij Anno II. Chronicon Alexandrinum annum post Belisarij consulatum ita exhibet, Indictione XIV. Belisario II. Consule. Indict. XV. Belisario III. Consule. Qui modus fastos describendi minùs proprius est, videtur enim innuere, Belisarium alterum, & tertium consulatum gessisse, neq; alio modo Tacitus, & Dio iteratos Imperatorum consulatus designarunt. Chronologi omnium nobilissimi Panuinius, ac Sigonius, quos veluti Principes in fastis digerendis veneramus, priorem modum tradidere. Marius Auenticensis in suo Chronico, quod habetur tomo 1. Historiarum Francorum collectarum ab Andrea Du-Chesne viro eruditissimo, ita scribit: Post consulatum Basilij anno I. est annus 542.

Ex his colligitur, Patrem Lupum peculiarem Victoris Chronici modum non aduertisse, in quo etiam lapsus est Sirmundus in chronica Synopsi ad libros Facundi. Cum enim annus 542. dicatur à Victore Post consulatum Basilij anno II. eidem annus 553. est Post consulatum Basilij XIII. qui cæteris Chronologis est XII. Quod verò addit ille Scriptor de anno 27. Iustiniani, illum non iuuat. Iustinianus anno 527. Kalendis Aprilis feria V. in Cœna Domini ex Procopio in arcana historia iniit imperium, quare anno 553. IV. Nonas Maias, quando incepta est Synodus de tribus capitulis, currebat annus 27. Iustiniani; si verò Synodus anno 554. IV. Nonas Maij coacta fuisset, 28. annus Iustiniani scribendus fuisset à Kalendis Aprilis inchoatus. Sed & caractere

tere indictionis primæ Synodi tempus exprimitur; nam Maio mense anni 553. labebatur prima indictio vsq; ad Septembrem, anno verò 554. fuit Indictio secunda. Est egregium testimonium Pelagij Papæ, qui tunc aderat Diaconus Byzantij, in epistola ad Narsetem scribentis: Si quid eos de iudicio vniuersalis Synodi, quod Constantinopoli per PRIMAM nuper elapsam INDICTIONEM actum est, fortè mouebat etc. Quæ addidi, quòd Lupus mendum designationi temporis habit Synodi irreplisse contendit. Hinc Cyrillus Scythopolitanus in vita Sabæ rectè dicit expulsis post octo menses à Quinta Synodo peracta ex noua Laura Origenistis quietem datam Monachis S. Sabæ, & vniuersæ Prouinciæ anno vigesimo tertio à morte Sabæ. Hic decessit anno 531. Indictione X. die 5. Decembris, adde 22. annos, habebis annum 553. si verò octo insuper post Synodum menses apponas, quibus elapsis noua Laura ab Origenistis vindicata fuit, eris ad annum 554. qui est vigesimus tertius à morte Sabæ. Hæc fusiùs profecutus sum, vt clarior fastorum notitia haberetur, non quòd opinio Lupi tantam à nobis operam exposceret. Nam duo scripta Vigilij hoc anno emissa litem dirimunt. Certum est Constitutum editum esse à Vigilio inter ipsamet gesta synodalia; at illud dicitur Datum pridie Idus Maij imperante D. N. Iustiniano perpetuo Augusto anno 27. Post consulatum Basilij V. C. anno XII. in Constantinopolitana ciuitate. Rursus literæ ad Eutyrium, & præiacentem Synodum, queis Vigilius adprobat Concilium V. datæ sunt VI. Idus Decembris imperij D. N. Iustiniani aeterni Augusti anno vigesimo septimo Post consulatum Basilij V. C. Anno XII. Ex quibus palam fit, hoc anno 553. Synodum Quintam celebratam. Ex subscriptione verò Constituti colligitur tempore Synodi Vigilium fuisse in Constantinopolitana ciuitate; vnde idem Lupus iterum lapsus est cap. 9. scribens, Pontificem post datas ad Eutyrium literas mense Ianuario iterum Chalcedonem se recepisse, ibiq; tempore Synodi moratum.

Anno igitur 553. die 4. Maij Dominica II. post Pascha celebrata est prima collatio, adfuere tres Patriarchæ; erant Patres CLXV. Lecta est sacra Diualis Iustiniani, qua Imperator significabat nihil antiquius sibi fuisse, quàm hæresibus eliminatis quietem Ecclesiæ dare post excitatos ab Acephalis tumultus. Addit: Fecimus prædicari eandem Sanctam Synodum cum tribus alijs Sanctis Concilijs in Dei Ecclesia. Ex quibus patet, quam falsò Halloix dicat, Iustinianum hæc pronunciasse: Chalcedonense Concilium in tribus peccasse, & in quarto minus sapuisse. pag. 345. De Vigilio verò scribit Augustus: Et Vigilio etiam religiosissimo Papæ antiquioris Romæ, cum peruensset ad hanc regiam ciuitatem, de tribus Capitulis subtiliter omnia manifestauimus, & interrogauimus eum, quid sapie de hoc, & ipse non semel, nec bis, sed etiam sæpius in scriptis, & sine scriptis anathematizauit semet ipsum faciens porriget nobis. Testatur sequi se Sanctos Patres, ex Latinis verò laudat Hilarium, Ambrosium, & Augustinum. At cum probè scirent Græci Patres Synodum nõ præsentem Pontifice Romano nihili haberi apud Occidentales, nobilissima ad eundem destinata legatione rogarunt, vt Synodo interesset. Misi sunt tres Patriarchæ, omnes Primates autocephali, nempe Theodorus Cæsareæ Primas Cappadociæ, & totius Ponti, Andreas Ephesus totius Asiæ, Megethius Heracleæ in Thracia. Cum his erat etiam Benignus Heracleæ in Pelagonia Vicarius Eliæ Thessalonicensis, aliq; Antistites;



Et hi quidem non citatoria mandata, sed preces Vigilio detulerunt: Peruenientes, inquit, ad sanctissimum Papam senioris Romae, petiuimus eius Beatitudinem, conuenire, & disputare nobiscum de tribus capitulis. Ille verò reposuit: propter corporis infirmitatem non posse ad hanc petitionem respondere, in postero autem die pollicetur est manifestare, quidei de tali conuentu placuerit. Atq; ita prima dies Synodi abiit.

Post biduū pridie Nonas Maias iidem Patriarchæ, Primates, atq; Episcopi Vigilium conuenere enixè postulant, vt ad Synodum accederet, quibus ille respondit: Non posse et nā conuenire eò, quòd plurimi hic quidem sunt Orientales Episcopi, pauci verò cum eo, facere autem per semet ipsum in scriptis suam sententiam, & offerre p̄simo Domino, ideo enim, & inducias postulasse ab eius Serenitate, vt intra eas voluntatem suam manifestaret. At Iustinianus viginti dierum inducias, quas Vigilius postulauerat, concedere recusauit, cæteris Episcopis longioris apud regiam urbem moræ incommoda causantibus. Quare gloriosissimi Iudices mandarunt Episcopis, vt etiam Vigilio absente Synodum haberent, cuius collatio secunda peracta est VIII. Idus Maias. Patres Episcopos ad Vigilij Patriarchalem iurisdictionem spectantes ad Synodum inuitarunt, qui constanter adesse sine Vigilio pernegarunt. Sequenti die iterum simul Græci Antifites coeuntes quatuor Synodorum fidem professi sunt, earumq; definitiones, nec non doctrinam Sanctorum Patrum, quos ceu Magistros Ecclesie veneratur; repræhensa est etiam nimium in plerisq; radicata opinio sine Chalcedonensis Synodi iniuria damnari non posse tria capitula. Triduo post, nempe die 12. Maij collatione quarta Synodus causam ipsam discutere inceperunt. Lectæ sunt plures sententiæ ex libris Theodori excerptæ, itemq; symbolum Iudaicum, quod Theodoro olim à Charisio Philadelphienfis in Lydia Ecclesie Presbytero adscriptum fuerat, & Marius Mercator fusiùs circa annum 431. impugauerat tanquam ab eodem Theodoro compositum, cuius opusculum legitur inter MSS. in Bibl. Palat. Num. 234. Dicitur in eas blasphemias anathema à Patribus, additumque: Anathema Theodoro Mopsuesteno: Iste euangelia reprobauit: Iste dispensationem iniuriauit. Anathema illis, qui non anathematizant illum. Tertio Idus Maias collatio V. habita est. Lecta sunt plurima Sanctorum Patrum legum imperialium, & Ecclesiasticarum in Theodorum Mopsuestenum scripta, præcipuè vero plures S. Cyrilli Episcopi literæ, in quibus Theodori doctrina validè confutatur. Recitata sunt acta Synodi Mopsuestenæ ante triennium iussu Iustiniani celebratæ, in qua probatum fuerat Theodorum è sacris diptychis illius Ecclesie erasum fuisse, substituto in illius locum S. Cyrillo Alexandrino. Exinde Synodus aggressa est secundum capitulum, nempe Theodoretum Cyrensis causam, qui in Ephesina Synodo Nestorio adhæserat, & duodecim capitula S. Cyrilli aduersarijs scriptis confutauerat. Lecta sunt pleraq; excerpta Theodoretum contra laudata capitula, itemq; eiusdem epistolæ, quibus & Synodum sacrosanctam Ephesinam, & Theodorum ipsum culpat, periclitari dicit fidem, & omnem Ecclesiam, iniquè damnatum Nestorium.

Inter cætera autem lecta est epistola Theodoretum ad Ioannem Antiochenum de morte Cyrilli Alexandrini, quem per summam impudentiam varijs contumelijs excipit. Fictam illam epistolam, ac Synodo à nebulone quodam assu-

tam

tam scribit Baronius ad annum 553. Num. 42. Lupus cap. 3. comment. in Synodum V. eandem epistolam vocat probrosam, & infernalem, opus pessimi scurræ prostrubuli, nebulonis. Hinc culpari posse præsentem Synodum idem asseruit. Neque enim, inquit, Theodoretus de morte S. Cyrilli scribere poterat ad Ioannem, qui quadriennio ante Cyrillum mortuus fuerat, vt in hoc ipso opere monstramus, & act. 14. Synodi Chalcedonensis recitantur literæ Cyrilli ad Domnum Ioannis successorem. Ego quidem doctissimorum Scriptorum iudicia veneror, sed neminem ex 165. Episcopis sciuisse, Cyrillum Ioanni superuixisse, vix ausim affirmare. Puto errorem codici irrepsisse, ac loco Ioannis huius successorem Domnum reponendum. Nam post illam epistolam hæc recitantur in eadem Synodo: Et iterum post mortem Beati Cyrilli idem Theodoretus in allocutione dicta Antiochiæ, presente Domino insultans morti eius &c. Patet ex actis Synodi sedente Damno mortuum fuisse Cyrillum, cuius morti, quæ recens contigerat, publicè Antiochiæ declamans Cyrensis insultauit. Ergo error codicis est, ac pro Ioanne Domnus reponendus. Scribuntur hæc in illa epistola de Cyrillo. Maiora, & peiora pertentans defunctus est. Somniauit enim, sicut dicunt, & regiam urbem perturbare, & tuam Sanctitatem accusare, ut pote ea colentem. Et postea. Quidam verò & tuam reuerentiam proficisci dicunt ad Comitatum &c. Certè Cyrillus circa annum 444. quo mortuus est, fuit Constantinopoli, nam ex regia vrbe vnà cum Proclo literas dedit ad Domnum Antiochenum pro Athanasio Parenorum Episcopo, quæ habentur actione 14. Synodi Chalcedonensis, quas Domnum accepisse anno 444. quo mortuus est Cyrillus, aperte monstrauimus superius ad annum 550. cap. 5. vbi de eraso è diptychis Theodoro differebamus. Quare vel inde etiam arbitror illam epistolam fuisse à Theodoro ad Domnum missam. Quantum verò Capitula Cyrilli etiam post initam pacem Theodoretus auersaretur, patet ex eiusdem epistola 112. ad Domnum, cum hic ad Synodum Ephesinam II. profecturus esset: Infelix, inquit, anima mea suspirat, lugetque nihil expectans boni; Neque enim insitum in duodecim capitibus venenum norunt, qui aliarum sunt diæceson, sed eius, qui illa scripsit, claritatem attendentes, nihil sinistrum suspicantur. Certè in epistola, quam ad eundem Domnum inscribendam diximus, Cyrillum non nominat, licet eundem pessimè calumnietur, illius enim nouerat claritatem. Cum ergo etiam anno 449. amaro esset animo in mortuum ante quinquennium Cyrillum, cur & anno eodem 444. quo Sanctus ille Alexandria Præsul obiit, mitiori erga eundem mente fuisse Theodoretus nobis dicendus est? Ego quidem retenti diutius contra Cyrillum liuoris Theodoretum malo accusare, id eiusdem memoratis modò literis præsertim contestantibus, quàm doctissimos Synodi V. Patres inscitæ, atque hallucinationis arguere. Et in hac quidem nostra sententia fuit etiam doctissimus Marca in dissertatione laudata tom. 12. Concil. edit. regie pag. 432.

Die 19. Maij collatione quarta tertium capitulum discussum est, nempe Iba epistola ad Marin Perfam, in qua accusat Cyrillum Apollinarismi, obijcit corruptos per ipsum muneribus Ephesinos Patres, citra examen Nestorium præcipiti sententia damnatum pronunciat, & eximie ibidem commendatur Theodorus Mopsuestiæ. Dicitur est eundem Ibam ex libris Theodori hæreticas sententias in linguam Syriacam traductas ad plures Ecclesias destinasse, quas

I 2

S. Pro.



S. Proclus Constantinopolitanus Antistes damnauerat. Sæpè Ibam ob illa accusatum, & in Berytensi Synodo agrè purgatum. Relecta sunt pleraque acta Ephesinæ Synodi, Symbolum Nicænum, ac Constantinopolitanum, gesta Synodica Chalcedone, Capitula S. Cyrilli, aliaue, ex quibus Iba epistola errorum arguebatur. Quibus auditis acclamatum est à Patribus: *Iba epistola heretica est: epistolam, quæ dicitur Iba, omnes condemnamus: istam omnes anathematizamus &c.* Die 26. Maij collatio VII. peracta est. Ad tria capitula damnanda ex sessionibus præcedentibus omnia parata erant, Romani Pontificis auctoritas obesse videbatur. Etenim Vigilius non modò suam Synodo præsentiam denegarat, sed scripto Constituto ad Iustinianum tempore ipsius Synodi eiusdem gesta omnia exauctorauerat. Porro in eo Constituto Vigilius paucis exponit antea abs se ea in causa gesta, conqueritur contra pactas condiciones non expectatis Occidentalibus, vel non pari Græcorum, ac Latinorum Patrum numero Synodum constatam. Aggreditur deinde disputationem de tribus capitulis. Recitat diffusius plurimas sententias, nempe LX. quæ Theodoretum esse dicebantur, easque erroribus ferè omnes scaterere docet. Negat tamen Theodorum, etiamsi illa pessima dogmata asseruisse conuinceretur, damnari posse, quòd in pace Ecclesiæ obijt. Nihil in causa Theodoretum, vel Ibae innovandum, qui in magna Chalcedonensi Synodo absoluti, ac dignitate pristina decorati novum examen subire iterum non debebant; imò nullam de Theodoretum eiusdem libris, vel Ibae epistola censuram efformandam, de quibus Patres Chalcedonenses iudicare recusauerant. His autem verbis Constitutum Vigilium conclusit: *Statuimus, & decernimus nulli ad ordines, & dignitates Ecclesiasticas pertinenti licere quicquam contrarium his, quæ præsentem asseruimus, vel statuimus Constituto, de sæpè dictis tribus capitulis aut conscribere, vel proferre, aut componere, vel docere, aut aliquam post præsentem definitionem mouere ulterius questionem. Si quæ uero de iisdem tribus capitulis contra hæc, quæ hic asseruimus, vel statuimus, nomine cuiusque ad ordines, & dignitates Ecclesiasticas pertinentis factum, dictum, atque conscriptum est, vel fuerit, & à quolibet ubique repertum, hoc modis omnibus, & auctoritate Sedis Apostolicæ, cui per gratiam Dei præsidemus, refutamus.* Datum est Constitutum die 14. Maij, cum pridie celebrata fuisset sessio quinta. Sexdecim Episcopi Vigilianum illud Constitutum subscripserunt, & quidem illi ferè omnes quilibet eiusdem contra Theodorum subscripserunt, tres Diocesis Illyricianæ, ex Græcis uero Pastor Metropolitæ Iconij in Lycaonia, & Vincentius Metropolitæ Claudiopolitanus prouinciæ Ponticæ Honoriadis.

Vtrum uero hoc Constitutum, quod Vigilium ad Iustinianum misit, acceptum ab isto fuerit ante finem Synodi, vel acceptum quidem, sed occultatum Patribus, ne tribus capitulis damnandis impedimento esset, res satis dubia est. Illud certum est, collatione septima Vigilij contra tria capitula publicè tam in iudicato sententiam expositam fuisse, recitatum anathema latum contra Romanos Diaconos Rusticum, & Sebastianum iudicati impugnatores, lectas epistolas Vigilij ad Valentinianum, & Aurelianum Episcopos, ex quibus omnibus patebat, Vigilium non semel tria capitula condemnasse. Cæterum licet in iudicato Vigilium tria capitula condemnasset, illo tamen recepto dubia causa remanserat usque ad futuram Synodum, quæ contra pacta collata haud adprobata censeretur poterat. Profectò Vigilium postrema sententia,

quic

quicquid abs se antea ea in causa actitatum fuerat, abrogauerat. Octaua denique collatio celebrata est IV. Nonas Iunias, & definitiua sententià à Synodo tria capitula damnata sunt, promulgato decreto, quod Christianus Lupus non immeritò vocat elegans, eruditumque. In hoc sanè decreto S. Augustini sententiam sequi se Patres contestati sunt: *Augustini, inquit, religiosa memoria, qui inter Africanos Episcopos resplenduit, diuersæ epistolæ recitæ sunt, significantes, quòd oportet hereticos, & post mortem anathematizari.* Ea testimonia adduxerat in Synodo Sextilianus Tunientis in Africa Episcopus, ac Primosi, seu Primasij noui Carthaginensis Antistitis Legatus, quæ lecta grandi præconio excepit Benignus Heracleæ Pelagoniæ in Macedonia Episcopus, ac Vicarius Eliæ Metropolitæ Thesalonicensis, addens hanc esse perpetuam Ecclesiæ traditionem.

Damnatis tribus capitulis rursus Origenis causa resumpta est, nam licet de Origene ante tria capitula statutum fuerat, sectatores tamen Origenis negotium facebant. Euagrius, ac Didymus in defendendo Adamantio plurimè absurda commenti erant, nec meliora docuerat Theodorus Cappadox. Aderant Byzantij plures Archimandritæ contra Origenistas libellos ad Synodum deferentes. Hos inter eminebant Conon Præfectus Lauræ S. Sabæ, ac Rufus Abbas monasterij S. Theodosij; erat uterque ex Palæstina, & hi quidem Origenistas Didymum, & Euagrium, nec non Theodorum Cæsareæ accusabant. Halloix uocat hosce viros *rudes Monachos*. De Conone hæc scribit Cyrillus Scythopolitanus cap. 18. de vita Sabæ: *Cononi post ipsum mandant Monachi præfecturam: Mandant uero Deo, ut arbitror, Monachorum animos ad hoc mouente, fuit uir ille summè resplendens, & rectis dogmatibus, & omni uirtute, & rectè factis.* Euagrius lib. 4. cap. 37. narrat, Monachos Origenistas expulsos ab Eustochio Patriarcha Hierosolymitano Byzantium profectos Theodori patrocini implorasse, addit etiam, à Monachis rectoris dogmatis professoribus Cononem, ac Rufum contra Neo-Lauritas missos, ex quorum diffidijs exortales Synodo V. occasionem dederunt. At non assentior; nam Cyrillus, qui eiectis ab Eustochio è noua Laura Origenistas in eandem Lauram ingressus est, scribit post octo menses à celebrata Synodo V. Origenistas è noua Laura expulsos ab Eustochio per Anastasium Ducem; uerba superius dedimus ex actione 1. Synodi VII. lege Cyrillum cap. 28. de uita Eutymij apud Bollandum. Iustinianus per nuncios Synodum interrogauit, quid de Origenis sectatoribus statuendum duceret. Euagrius, qui gesta Synodalia perlegit, hæc habet loco proximè indicato: *Qua de re ista ad uerbum inter cetera sunt relata. Animum supernæ nobilitatis participem fortite Imperator Christianissime &c. & aliquanto post: Fugimus igitur, fugimus illam, quam ignoramus externam uocem, & tanquam furem, atque prædonem eiusmodi hominem anathematis laqueis arctè districtum, ac suffocatum extra Sacra Ecclesiæ mœnia abiiecimus, & post pauca: Actorum uero nostrorum ex eorum lectione uim cognoscetis. Hisce coniunxerunt capitula, quæcumque Origenis sectatores professi sunt, &c. Ex quibus patet hallucinari eos, quos inter est Halloix, pag. 383. qui putarunt, Euagrium asseruisse post cognitionem trium capitulorum Origenem fuisse in Synodo V. damnatum. Nam Patres ibi proponunt Imperatori lectionem actorum, contestati se iam Origenem abiiecisse extra Ecclesiam, ubique ut*

de re



de re iam præterita prælocuti. Cum verò noua quæstio orta fuisset de Euagrio, ac Didymo, scribit Epiphaniensis adiunxisse de nouo Patres capitula erronea sectatorum Origenis, quorum quintum erat Theodori Cappadocis. Retulerunt, inquit, & multas alias Didymi, Euagrii, & Theodori blasphemias, quas admodum diligenter deprehensas collegerant. Cyrillus Scythopolitanus, qui absq; dubio gesta Synodi V. ad Eustochium ab Imperatore transmissa legit, apud actionem primam Syuodi VII. ordinem gestorum in hoc Quinto Concilio cæteris exactius ita describit: *Itaq; cum Sancta vniuersalis Quinta Synodus Constantinopoli esset congregata communi, & generali anathemate reiecti sunt Origenes, Theodorus Episcopus Mopsuestenus, & quæcunq; ab Euagrio, & Didymo dicta sunt de præexistentia &c.* Quare primùm Origenes, dein Theodorus, postremò Origenista in Synodo damnati sunt, quæ planè nostra sententia est.

Antequam tamen ad alia transeamus, castiganda est Halloix, vt miriùs loquar, hallucinatio, atq; temeritas, qui inscitia duas sacrosanctas Oecumenicas Synodos accusare ausus est, contendens Euagrium, & Didymum non fuisse à Synodo V. damnatos, vti asseruere Synodi Sexta, ac Septima. Verba illius in indice verbo *Didymus* sunt: *Falsum est, cum fuisse condemnatum in Synodo V. generali, quod PERPERAM supposuerunt Synodi Sexta, & Septima.* Et quæst. 10. pag. 390. in margine: *Sextum Concilium generale FALSO dicit Euagrium, & Didymum à Quinto generali condemnatos.* Nempe quia in octo collationibus Synodi V. nec semel illi nominantur. Insulsè: In illis octo collationibus agitur tantùm de tribus capitulis, post quæ de Euagrio, ac Didymo quæstio mota est. Euagrius producit gesta Synodalia, eaq; se legisse testatur, in quibus post trium capitulorum cognitionem Euagrium, ac Didymum damnatos fuisse se pronunciat. Cyrillus, qui tunc viuebat, proximè adductus asseruit; idem Dabo alterum oculatum testem Victorem Tunonensem, qui circa finem sui chronici ait: *Trigesimo nono imperij sui anno Iustinianus Eutychium Constantinopolitanum Episcopum damnatorem trium capitulorum, & Euagrii Ermitæ Diaconi, & Didymi Monachi, & Confessoris Alexandrini, quorum laudes supra illustrium virorum ex auctoritate protulimus, exilio dirigit.* Est planè aureum testimonium. Præmiserat Victor se sub custodia Constantinopolim adductum ex Ægypto, vbi exulabat; ac disputasse cum Eutychio Patriarcha Constantinopolitano, qui in Synodo primus omnium anathema contra Euagrium, ac Didymum publicarat, vnde eundem damnatorem trium capitulorum, & Euagrii, ac Didymi appellat. Ex his palam fit, Africanos Patres non fuisse vnquam sollicitos de Origene, quem iam olim in Ecclesia pessimè audiuisse sciebant, sed de personis Euagrii, & Didymi, quos sicuti nec Theodorum damnari posse post mortem obstinatissimè inficiabantur, nam sententias Origenistarum Africanis semper exhorruerant, personas ergo damnari ægrè ferebant. Ita semel Theodora licèt mortuo in pace Ecclesiæ postea tamen damnato, haud difficile fuit alias etiam personas eadem omnino pœna mulctare. Heraclius Imperator, qui anno 57. à peracta Synodo V. imperium adeptus est, in sua Ecthesi recitata coram S. Martino Papa in Synodo Lateranensi consultatione 3. post commendatas quinque Synodos ait: *Et hæc in omnibus sequentes, & diuina eorum subscripientes dogmata, omnes quos exceperunt, excipimus, & quos eiecerunt, eijcimus, & anathematizamus, præcipue Nouatum, Arium, Eunomium, Macedonium, Apollin-*

narem,

narem, ORIGENEM, EVAGRIVM, DIDYVM, THEODORVM MOPSUESTENVM, Nestorium, Eutychen, Dioscorum, Seuerum, & impia conscripta Theodoriti, quæ contra rectam fidem, & Ephesinam primam Synodum, & duodecim capitula S. Cyrilli, & quanta pro Theodoro, & Nestorio conscripserunt, & nuncupatam Ibe epistolam, & hortamur omnes Christianos sic sapere, et sic glorificare, nihil addentes his, nihil subtrahentes etc. Erat Professio fidei, seu edictum fidei, quod Romanæ Ecclesiæ probatum fuerat, & Theophilactus Primicerius Notariorum testatus est, eandem Ecthesim seruari in Apostolico scrinio. Heraclius verò longè ante Sextam Synodum ad imperium euasit. Synodus Lateranensis in decreto fidei hæc habet: *Si quis secundum Sanctos Patres consonanter nobis, pariterq; fide non respuit, et anathematizat anima, et ore omnes, quos respuit, et anathematizat nefandissimos hæreticos cum omnibus impijs eorum conscriptis vsq; ad unum apicem Sancta Dei Ecclesia Catholica, et Apostolica, hoc est Sancta, et vniuersales Quinque Synodi, et consonanter omnes probabiles Ecclesiæ Patres, idest Sabellium, Arium, Eunomium &c. ORIGENEM, DIDYVM, EVAGRIVM, et compendiosè omnes reliquos hæreticos, qui à Catholica Ecclesia reprobati, atq; abiecti sunt etc. huiusmodi condemnatus sit.* Euagrius igitur, ac collega Didymus damnati sunt à Catholica Ecclesia S. Martino cum Synodo vniuersa contestante, immò & condemnante eos, qui Euagrium, ac Didymum non anathematizant. Sanctus Sophronius, cuius annua dies colitur V. Idus Martij, in epistola Synodica hæc recitat de Synodo V. *Perimit autem, et in interitum proijcit principaliter quidem Origenem insanum, et omnes eius pomposas somnolentias, et plena multa impietatis commenta. EVAGRII quoq; cum eo, et DIDYMI dogmata, et omnia eorum pagana, atq; prodigiosa, nec non et fabulosa deliramenta.* Postea verò addit: *Et vt nihil desit ad vestram satisfactionem ipsas quoq; personas exprimo, quas anathematizo, et condemnatas efficio non lingua tantùm, et ore, sed corde, et spiritu, utpote quæ Sancta Catholica nostra fidei in omnibus insidiantes ostense sunt. Anathema itaq; in perpetuum, et catathema à Sancta, et consubstantiali adoranda Trinitate Patris, et Filij, et Spiritus S. primùm quidem Simon Magnus etc. recitatur catalogus Hæreticorum, quos inter nominantur à S. Sophronio Origenes, qui et Adamantius, Didymus, et Euagrius Origeniana vanitatis primi secretarij sædissimi.* Hæc Synodica epistola recepta est à Synodo VI. Oecumenica act. 11. Iam vides ante Sextam Synodum apud Ecclesiam Catholicam inter hæreticos recensitos Euagrium, ac Didymum. Sophronius enim ex sensu Ecclesiæ locutus est, floruitq; & ipse sub Heraclio Imperatore, qui anno ante Sextam Synodum septuagesimo Imperator ab exercitu salutatus fuit.

Rectè ergo Sexta Synodus, ac dein Septima pronunciarunt, Euagrium, ac Didymum à Quinta Synodo anathemate percussos fuisse; neq; citra indignationem audiri possunt, quæ pag. 390. scribit Halloix: *Sextam, ac Septimam Synodum incidisse in acta corrupta Synodi V. quibus intrusum fuerat nomen Origenis vnà cum Euagrio, ac Didymo.* Etenim cum acta Synodi V. falsata fuissent à Monothelitis, in Synodo VI. tota actione 14. falsariorum doli discussi sunt. Vndenam verò conuinci illi poterant, nisi inuentis, ac productis à Synodo VI. actis germanis, ac legitimis, nullaq; ex parte corruptis eiusdem Concilij quinti? Atque hoc pacto res euenit. Georgius Diaconus Constantinopolitanus, & Cartophylax cum videret duos codices, aliumque insuper continen-

inentes gesta V. Synodi falsitatis accusari: *Subtilius*, inquit, in bibliotheca venerabilis Patriarchij scrutatus, inueni & alium chartaceum librum eiusdem sancti Concilij, quem & defero. At hoc volumen authenticum, ac legitimum ex collatione cum alijs antiquioribus probatum fuit, simulq; codicum hereticorum fraus detecta, eò quòd, inquit Synodus actione laudata, neque in nunc prolatis antiquis, immutatis libris eiusdem Sancti quinti Concilij, neque in chartaceo libro, qui recens inuentus est apud bibliothecam venerabilis Patriarchij, quæ ab Hæreticis citabantur inuenta sunt.

Hinc facta diligenti inquisitione etiam falsatores illorum codicum deprehensi, ac nominati sunt coram Patribus, quæ actione illa 14. sic narrantur: Chartaceum quidem volumen, quòd falsatum est, decernimus cassari in locis, in quibus adiectiones factæ sunt. Verùm libros etiam eos obelis obduci in locis, in quibus deprauata sunt, & cassari eos. Illos autem, qui falsauerunt, anathemati submitti. Et tamen Halloix audet coram Orbe Christiano clamare Patres Concilij VI. secutos acta Synodi V. corrupta, cum Synodus VI. falsatos codices cognouerit, ficta testimonia, ac sententias expunxerit, atque deprauata loca obelis obduxerit, quod est, eosdem Patres abhorruisse acta Synodi V. corrupta, eaque prudentissimè correxisse, ne in posterum quempiam in errorem inducerent. Sed non hic stant Halloix falsitates, scribit enim eadem pag. 390. lib. 4. q. 10. Patres Synodi VI. omnia sub Iustiniano gesta comprehendisse nomine V. Concilij, nempe Synodum contra Anthimum, & Acephalos sub Menna, rursus editam Iustiniani contra Originem, denique gesta sub Eutychio contra tria capitula, & cum Sexta Synodus ex corruptis actis V. Concilij produxisset sermonem Mennæ, admonitam à Legatis Pontificijs non spectare ad V. Synodum, quæ sub Eutychio inchoata est anno XXVI. Iustiniani. Omnia perpèram, Gestas Synodalia præscriptum habebant tempus, quo peracta erant. Ita etiam nunc acta Synodi contra Acephalos incipiunt: Post consulatum Belisarij viri clarissimi indictione XIV. qui est annus 536. ibi nominantur etiam Episcopi, qui Synodo illi adfuere. At gesta V. Synodi longè plures Episcopos exhibent, annus etiam 553. indicatur; qui igitur fieri potuit, vt gesta sub Menna cum actis V. Synodi Patres VI. & VII. Concilij supina nimium hallucinatione confuderint? Præterea cum Constantinus Imperator iussisset rei totius veritatem à sanctis vniuersalibus Synodis petendam, ex Bibliotheca Patriarchali Georgius Chartophylax codices sanctarum vniuersalium Synodorum statim produxit act. 1. qui cum actione tertia recitasset quintæ Synodi acta corrupta, & falsata, à Legatis Apostolicæ Sedis erroris illi codices accusati sunt. Quare in ea Synodo Sexta recitata est tantum Synodus V. Oecumenica ex præcepto Principis, neque quicquam aliud sub Iustiniano gestum relectum fuit. Hinc falsò etiam addit: Cum Sexta Synodus ex illis actis V. Synodi corruptis produxisset sermonem Mennæ &c. Nam illum codicem ex Bibliotheca Patriarchali produxit Georgius Chartophylax, qui vnus vtrum Sexta Synodus dici possit? aduersarium ipsum appello. Certè Imperator, Gloriosissimi Iudices, ac plerique Episcopi codicem inspicientes falsitatem appositam cognouere, ac de libro iudicium habitum postea fuit act. 14. Colligitur tamen Quintam Synodum in libros digestam fuisse, nam ibidem liber primus, itemque secundus nominantur, & septima actio in secundo contenta fuisse ibidem dicitur; acta verò, quæ modò habemus,

uemus, in octo tantum collationes digesta sunt, vnde integrum ad nos Concilium illud non peruenit. Sextum tamen Concilium legitima illius gesta adueterinis explosis adprobauit, cuius etiam testimonio, immò & voluminibus integre fidei Septima Synodus inhæsit, vnde ab vtraque ex Synodi V. gestis cum Origene proscripti fuere Euagrius, ac Didymus, vt inani profus commiseratione fulguritos homines Halloix erigere pertentariit dicens verbo, *Origenes in indice: Origenes, Euagrius, & Didymus iniquissimè anathematizantur in Septima Synodo generali nitente mendacio, quod anathematizati fuerint in Quinta generali, cum ibi nihil de illis tractatum sit.* Etenim ex Synodi tabulis, ex testium oculatorum assertione, ex totius Ecclesiæ communi sensu oppositum ostendimus, vt si aduersarius isthæc legere posset, priorem opinionem veluti stultissimam certè deponeret, stultum enim est Synodos, Pontifices Romanos, Imperatores, Ecclesiam vniuersam erroris arguere, ac de Synodi V. actis id temporis viuentibus, & proximè superstites Scriptores communi consensu miserimè falsa commentos fuisse, vera autem docere nuperum Originis aduocatum post vndecim sæcula noua scripturientem, & quidem omnium veterum monumentorum cognitione destitutum, vel eadem dissimulantem, quò supra deiectas Synodas suus Origenes attollatur.

CAPVT VIII.

Vigilius Synodum V. approbat. Eiusdem exilium improbat. De anno obitus Vigiliij Tunonensis, Sirmondi, aliorumque opiniones reiectæ. Halloix ubique falsitatis conuictus.

AD arcem veluti causæ ventum est, num Vigilius, qui edito Constituto Synodi V. acta infirmauit, eadem postea re diligentius considerata approbarit. Etenim vbi semel euicerimus, Vigilium ad Synodi sententiam accessisse, statim Halloix temeritas apparebit, qui Concilium Oecumenicum à Romano Pontifice confirmatum pessimè tractarit dicens S. 12. pag. 355. *Illam Synodum magis ab Ecclesia toleratam esse, ac permissam, quàm grato, & volenti animo admissam, ac receptam.* Et S. 12. *Quomodo enim Iustiniani Conciliabulum instigante Diabolo concitatum, & confectum potest vlla veneratione esse dignum?* S. 7. pag. 346. *Nullum extare, ait, scriptum, quo ostendatur Vigilium aut præsens verbo, aut absens scripto consensum postea dedisse Concilio.* Vigilium nec statim approbasse Concilium, & ob id in exilium pulsum omnes Scriptores Latini Anastasium secuti memoriæ prodiderunt, addentes eundem Romanæ sedis repetendæ desiderio ad subscriptionem tandem inflexum. At modò certum est, Vigilium eodem anno Synodum confirmasse, imò existimo neque eundem in exilium deportatum. Euagrius illius sæculi scriptor, qui acta Synodi legit, lib. 4. cap. 37. scribit: *Vigilius per literas consensit Concilio, non tamen interesse voluit.* Hæc literæ tandem inuentæ sunt, quas vir eruditissimus Petrus de Marca nobili dissertatione de Synodo V. præmissa publicauit. Ita illæ inscribuntur: *Epistola Vigiliij Archiepiscopi Romæ ad Eutyrium Archiepiscopum Constantinopoleos, & ad omnem præiacentem Sanctam Synodum.* Legitur hæc epistola Vigiliij tom. 12. edit. regie Conciliorum. In hac sanè epistola Vigilium sui Constituti sententiam retrahere,



at, & cum S. Augustini exemplum secutum se dicat, illius voces hic nobis reddendæ sunt: *Si in omni, inquit, negotio sapientiæ ratio postulat, ut id, de quo queritur, retractetur, neq; pudori esse debet, cum ea, quæ ab initio omisa studio diligentius veritatis inveniuntur, in publicum eduntur, quanto magis Ecclesiasticis disceptationibus convenit eandem rationem in illis quoq; observari; præcipue cum manifestum sit, Patrum nostros, et maxime beatissimum Augustinum, qui in divinis Scripturis claruit, Romæ eloquentiæ Magistrum propria scripta retractasse, dictaq; sua correxisse, atq; illa quæ omiserat, ac deinde inuenerat, addidisse.* Nos quoq; similiter illis exemplis inuitati in controversia trium capitulorum supra memoratorum nunquam destitimus, quin inuigilaremus, quid de prædictis tribus capitulis in Patrum nostrorum literis verius inueniri posset. Dein recitatis pluribus erroribus librorum Theodori, necnon scriptorum Theodoretæ contra S. Cyrilli, itemq; epistolæ Iba Edesseni, ita definit: *Prædicta itaq; tria impia capitula anathematizamus, et condemnamus, scilicet impium Theodorum Mopsuestiæ una cum impijs eius scriptis, et quæcunq; impie Theodoretus scripsit, atq; etiam epistolam, quæ dicitur ab Iba scripta fuisse, quæ superius dicta et profane blasphemie comprehenduntur.* Postea verò antiquat Constitutum, et alia, quæ pro tribus capitulis antea scripserat: *Quæ verò, inquit, aut à me aut ab alijs ad defensionem trium prædictorum capitulorum facta sunt presentis huiusmodi scripti nostri definitione euacuamus.* Subscribitur verò epistola: *Data ante VI. Idibus Decembris imperij Domini Nostri Iustiniani Æterni Augusti anno XXVII. Post consulatum Basilij V. C. Anno XII.* Itaq; Vigilus ante finem anni Synodum confirmavit. Lupus Louaniensis Academiæ Doctor, quem bibliothecam deambulantiem appellare soleo, in notis ad V. Synodum cap. 6. putat mendam subscriptioni irrepsisse, repõnendumq; annum post Basilij consulatum XVII. Id probat ex Victore Tunonensi, qui ait eo anno Vigilio tandem ab Imperatore Romano redeundi facultatem concessam, eumq; in itinere mortuum. In eadem opinione fuit Sirmondus in sinopsi chronologica ad libros Facundi, & Hallo pag. 349. §. 7. idest, inquit, anno Christi 558. Quare his authoribus Vigilii exilium pleno quinquennio duravit.

Hæc tamen opinio prorsus falsa est. Habemus sanctionem Iustiniani Imperatoris post eiusdem Nouellas recitatam, quæ ita incipit: *Pro petitione Vigilii venerabilis antiquioris Romæ Episcopi quædam disponenda censuimus ad utilitatem omnium pertinentia, qui per Occidentales partes habitare noscuntur &c.* subscripta est sanctio: *Idibus Augusti anno Iustiniani XXVIII. Post consul. Basilij V. C. anno XIII.* Ergo anno 554. mense Augusto Iustinianus amico erat erga Vigilium animo, in cuius gratiam plurima Romanis post Gothos Italia exactos libentissimè concessit. Profectò in eâ sanctione cap. 19. ait: *Iubemus in illis mensuris, et ponderibus species, vel pecunias dari, vel suscipi, quæ beatissimo Papæ, vel amplissimo Senatui nostra pietas in presenti tradidit.* Itaq; tum temporis Vigilus præfens aderat Constantinopoli propediem venturus in Italiam deferens secum metensuras, ad quarum normam Itali Gothorum eò vsq; ponderibus vsi se conformarent. Quis enim dixerit mensuras illas fuisse tunc à Iustiniano missas ad Vigilium procul exulantem in Proconeso, eumq; in exilij miserijs beatissimum nuncupatum? Præterea habemus non vnam, sed plures epistolas Pelagij Vigilij successoris ad Childebertum Regem Francorum, ad Sepaudum Arelatensem, ad Episcopos Tusciæ, quæ datæ sunt Post consulatum Basilij XV. anno 556.

Longum igitur illud Vigilij exilium fictum est, nam ante annum 556. fati concesserat. Tunonensis Chronicon, quòd ad annorum designationem pertinet, plenum mendis est, non Victoris, vt arbitror, sed corruptoris cuiuspiam ignorantia.

Sed nec paucos illos menses, qui ab absoluta Synodo de tribus capitulis ad laudatam Vigilij subscriptionem sex intercessere, Vigilium exulasse tum ex Græcis, tum ex Latinis, qui id temporis superstites erant, Scriptoribus euidenter euincam, vt monstro simile videatur, quod Anastasio exilium illud affirmanti tantam ceteri fidem habuerint. Eustathius Presbyter Constantinopolitanus, qui tunc Eutychie Patriarchæ familiaritate gaudebat, cap. 23. de vita Eutychie, cum præmisisset quatuor Patriarchas Vigilium Romanum, Eutychie C. P. Dominum Antiochenum, & Apollinarem Alexandrinum tempore Synodi in regia Vrbe fuisse addit: *Cum igitur ex quatuor Pastorum concordia, rectoq; sensu factum esset veluti vnus ouile, atq; vnus Pastor, & omnis disciplinæ moderatio per Sacerdotes, et Sacerdotum Prasules conuiuisset, discesserunt ad suas singuli ciuitates, et populos magno cum gaudio.* Quæ verò fuisset hominis Constantinopoli scribentis temeritas tale, tantumq; de Vigilio mendacium fingere, cuius à tribus Patriarchis dissensio ex secuto illius exilio vel vilissimis regiæ vrbis fœminis nota fuisset? Cyrillus Scythopolitanus in libro de vita S. Sabæ apud Septimam Synodum act. 1. scribit: *Itaq; cum Sancta vniuersalis Quinta Synodus Constantinopoli esset congregata, communi, & generali anathemate reiecti sunt Origenes, Theodorus Episcopus Mopsuestias, & quæcunq; ab Euagrio, & Didymo dicta sunt de præexistentiæ πρὸ προυαίσεως. Probarunt autem id quatuor Patriarchæ presentes.* Non ergo Vigilus in exilium ob non subscriptam Synodum detrusus fuit. Ille verò Scriptor ait, gesta Synodi missa esse ab Imperatore Hierosolymam, vt exilij Vigiliani nulla eidem ignorantia obijci possit.

Porro hoc ipsum ex Latinis Scriptoribus suadet. Liberatus Diaconus Carthaginensis sub Reparato Romana legatione functus, ac vir insignis cap. 22. in fine hæc scribit: *Ab ipsa hæresi afflictus Vigilus, nec coronatus, qualem vicia terminum habuerit, notum est omnibus.* Ita Homo Africanus, ac trium capitulorum defensor hæresim vocat Iustiniani factionem, quæ Vigilium memoratis nobis iniurijs affecit; dum verò negat Vigilium coronatum, perseuerantiam eidem defuisse notat, quem profectò, si in Constituti sententia vsq; ad exilium perstitisset, non vno encomio celebrasset. Sed hoc ipsum ex Victore Tunonensi ostenditur, cui (quòd rerum gestarum veritatem spectat) totam fidem præsto, qui cum anno post consulatum Basilij XIII. coactam Synodum V. dixisset, atq; adfuisse tunc Constantinopoli primarum Sedium Antistites, Vigilium, Eutychie, Apollinarem, ac Dominum, statim subdit: *Ibi tria sæpe fata capitula cum defendentibus ea damnationi subiiciunt, sibiq; ipsis penitentia regressum pœnaliter intercludunt tali se perpetuo anathemate obstringentes &c.* Quorum decretis Russicus Romæ Ecclesiæ Diaconus, & Felix Guillensis monasterij prouinciæ Africanæ Hegumenus contradicentes scripto Tebaida in exilium cum socijs transmittuntur. Hæc alter obstinatissimus Capitulorum ex Africa defensor. Ex quibus mihi solidè probatur, Vigilium Synodum subscripsisse, neq; deportatum in Proconesum; cur enim Victor vnus Diaconi, & alterius Monachi exilium nominasset, & non potius ipsum Summum Pontificem Vigilium in exilium



missum scripsisset, quod ad propriae causae decorem, & Iustiniani crudelitatem alius exaggerandam plurimum conducebat? Sed est aliud firmissimum argumentum. Episcopi, qui tria capitula non damnabant, ab Episcopatu remouebantur in eorum locum ijs subrogatis, qui tria capitula anathemati subiciebant. Hoc sane seuerè executus est Iustinianus; ita Zoilo Alexandrino eiectione suffecit Apollinarem, expulso in exilium Reparato Carthaginensi elegit Primosum totius Africae Primatem; alios lege apud Chronicon Tunonensis Episcopi. Hinc Liberatus in fine sui Breuiarij ait: *Consentientes Episcopi in trium damnationem capitulorum muneribus ditabantur, vel non consentientes depositi, in exilium missi sunt.* Hanc sane poenam contra trium capitulorum defensores Synodus V. statuerat collat. VIII. *Si quidem est Episcopus &c. denudabitur ab Episcopatu.* Neq; Vigilium diutius Synodo refragantem deponere Iustiniano in religionem venisset, qui Zoilum Alexandrinum, Macarium Hierosolymitanum, Eutyrium Constantinopolitanum alijs substitutis sedibus eiecit. Certe eo regnante Siluerius expulsus fuit Apostolicam Sedem Vigilio vsurpante.

Lego in Actuario Marcellini Comitibus: *Indictione II. P. C. Basil. V. C. XIII. Vigilium Papa tandem ab Imperatoribus Romanis, & à Narsete de exilio relaxatus, cum Romam redire cepisset, in Sicilia morbo calculi tactus decessit.* Verum imperita manu id infatum est. Qui enim tunc Romani Imperatores? vnus certe sine Augusta Iustinianus rerum potiebatur. Exilium fortè nuncupauit longiores à Romana Sede moras Constantinopoli peractas. Sed neque Vigilium ob preces Narsetis, sed ob consensum per literas Synodo datum Romam redeundi potestatem impetrauit: & licet exeunte anno 553. Synodum subscripserit, vsque ad Augustum anni 554. Byzantij moratum fuisse deduximus ex laudata sanctione Iustiniani ad Narsetem, & Antiochum. Neq; reponi potest, Iustinianum in exilium quidem Vigilium misisse, non ausum tamen neq; ipsum, neq; Synodum successorem eligere, vti in Patriarcha Alexandrino fecerant, Sedis Romanae primam dignitatè reueritos. Nam Vigilio pro tribus capitulis acerrime Constantinopoli litigante, *missi sunt, inquit Clerus Mediolanensis in libello supplici, etiam aliqui in prouincias Italiae, vt si possent mentiando aliqua de nomine ipsorum Papae, & Datij in illis partibus eos in odium trahant, & alios in locum eorum suadeant ordinari, qui nouitatibus studeant; Et Notarium quemdam sollicitarunt, qui manum Vigilij imitatus chartas sparsit, quas Stephanus in Italiam detulit cum Legatione Gothorum, vt tumultum contra Papam concitarent.* Huius Stephani à Totila ad Iustinianum missi meminit Procopius lib. 3. belli Gothici pag. 398. edit. Gronouij. Petrus de Marca in dissertatione de Synodo V. laudat verba ex M. S. Arabico historiae Ecclesiasticae Ibn Patric, qui sapius adducitur à Georgio Elmacin in historia Saracenicā, ea autem sunt: *Romanus Patriarcha praesens Synodum nec adiuuit, nec legatum misit, sed consensum praebuit, dictaq; Patrum suscepit.* Idem de Vigilio testatur Photius in libro de septem Synodis. Quae quidem adduxi, non vt confirmatam à Vigilio Synodum ostenderem, id enim ipsiusmet litera nuper inuenta fatis, superq; declarant, sed vt pateat, nullam apud antiquos Scriptores Vigiliani exilij mentionem haberi. Anastasius non solum Vigilium in exilium deportatum tradit, verum etiam Clerum Romanum Vigilio assistentem haec scribens: *Clerus autem Romanus, qui cum eo erat, missus est in exilium ad diuersa metalla incidenda.* Quibus non assentior, nam licet Clerus

cos Romanos in exilium Iustinianus miserit, quod de Pelagio, ac Rustico Romanis Diaconis Victor affirmat in Chronico, eos tamen non ad metalla damnauit, sed procul in monasteria exules deportauit, vt de pluribus idem testatur.

Ceterum Halloix Vigilium à Iustiniano Romam dimissum scribit, non quod ille ad Synodi sententiam accessit, sed quia Narsete Totila Gothorum Rege occiso victor Romam ingressus, ac Populi Vigilium reposcentis precibus motus, id enixè ab Imperatore postulauit: *Iustinianus autem inquit S. 6. pag. 347. tanta, ac tam recentis victoriae dulci fortuna ebrius, & quid Narseti Italiae restitutori excusso Gothorum iugo rependeret nescius Vigilio redeundi facultatem permisit.* At S. 18. pag. 361. dicit: *Sustinuit autem Vigilius fortiter exilium annos aliquot, donec ea, quam supra exposui, Narsetis victoriae occasione, atque causa reuocatus est.* Exulasse verò illum integro quinquennio scribit cum suo Sirmondo S. 7. pag. 349. nempe ex Victore vsque ad annum 558. Risum teneatis amici. Narsete Totilam occidit, ac Romam recuperauit anno imperij Iustiniani vigesimo sexto, & quidem ante tres menses exacto ex Procopio lib. 4. Victoriae verò nuntius Byzantium venit mense Augusto ex Theophane, fuit annus 553. vt superius nobis monstratum est. Ex sanctione laudata Iustiniani anno 554. Totilas mortuus erat, itemque Teias successor, ac Gothorum regnum euersum. Itane ergo anno 558. (ut idem ex Tunonensi colligit) petente Narsete Iustinianus superato Totila tanta, ac tam recentis victoriae dulci fortuna ebrius Vigilium dimisit? Victoria à quinquennio obtenta, nempe anno 553. anno demum 558. tam recens tibi est à Halloix? Longiori integri quinquennij ebrietate obrutum Principem ea Narseti concessisse ebrijs tantum impones, nemo enim sobria mente fidem fabulae praestabit.

Exactis Italiae Gothis anno 554. cum Imperatore serio à Pontifice actum anno 554. est, de vniuersae prouinciae, ac Romae praesertim regimine meliorem in formam reducendo. Iustinianus Vigilij petitioni morem gerens nobilem sanctionem edidit Idibus Augusti, qua Italiam plurima indulgebat, illorumque fortunas diuturno bello depressas erigebat. Hanc cum Vigilium iam tandem in Italiam redux deferret, calculi dolore oppressus in Sicilia diem obiit. Quo anno Vigilium decesserit, non vna est Scriptorum opinio. In Chronico Victoris Tunonensis illius mors recensetur anno XVII. post Basilij consulatum, nempe 557. non 558. vt Sirmondus, Lupus, & Halloix existimarunt, quos superius impugnauimus. Baronius scribit Vigilium mortuum anno 555. nescire verò se quo mense, vel die eiusdem obitus contigerit. Inferius tamen narrat, Pelagium Vigilij successorem mortuum esse anno 559. IV. Nonas Martij, cum sedisset annos IV. menses X. dies XVIII. Lapsus est vir eruditus, nam si à IV. Nonas Martij anni 559. per annos IV. menses X. dies XVIII. retrocedimus, venimus ad Aprilem anni 554. Et hoc sane anno Chiffletius Vigilium obiisse scribit; sed hic etiam errat, nam Idibus Augusti ex Iustiniani sanctione vivebat. Sigonius lib. 20. operis laudati 5. kal. Ianuar. A. 554. obiisse illum dicit; consonat Actuarius Marcellini ponens eiusdem mortem anno post consulatum Basilij XIII. Onuphrius Panuinus tredecim dies addit scribens Vigilium migrasse è vita IV. Idus Ianuarias, cui subscribit Holstenius in diagrammate chronologica in notis ad Romanam Synodum sub Bonifacio Secundo. Quae sententia etiam

etiam à nobis cæteris præfertur. Hunc vitæ exitum habuit Vigilus anno Pontificatus XVIII. Ille uti per fraudem summam dignitatem expulso Siluerio usurpauit, ita eandem ex Cleri consensu postea obtentam, cum procul à sua sede per nouennium quasi precario vixisset, illam denique in Sicilia cum vita amisit. Fuit Vigilus Pontificiæ authoritatis vsque ad Principis contemptum tenacissimus asertor, ut ex rebus ab eo gestis inclaruit. Animi inconstantia, mutandæque sententiæ facilitas vitio eidem vertitur; nam in causa trium capitulorum varius, atque à se ipso diuersus non semel apparuit. Initio quidem, cum adhuc in Sicilia esset, tria capitula defendebat, at illa se damnaturum dum Theodoræ Augustæ promiserat, si Victori fides est. Cum Byzantium aduenisset, ob damnata tria capitula Mennam sacris interdixit; at paulò post Mennæ conciliatus eadem & ipse in Iudicato damnauit. Deinde post triennium à sententia Iudicati discedens emisso nouo Constituto eadem damnari posse negauit. Sed paucis mensibus in hac sententia stetit, nam data ad Eutyrium epistola vim Constituti infregit, atque ad Synodum accedens tria capitula proscripsit. Vir doctissimus Petrus de Marca lib. 3. de concordia Sacerd. & Imper. cap. 13. hanc Vigilij inconstantiam à doctis prudentiam appellari testatur, quam ipse dispensationem vocat, qua nunc iuris, & canonum rigore agebat, nunc illorum remissione fidei, ac publicæ quietis studio. Hoc tamen illi gloriæ detur, quòd primus Romanorum Pontificum post Origenem Theodorum Mopsuestenum insignem Pelagianorum magistrum cum sectatoribus definitiua sententia damnauit, cæterisque successoribus eo in stadio lampadem tulit.

CAPVT IX.

Romanos Pontifices Vigilij successores Synodum V. approbasse contra Halloix ostenditur, & Aquileiense Schisma describitur.

S. I.

De Pelagio Primo.

Extra Origenis causam excurro contra V. Synodum inuehentem Origenis defensorem infecutus, sed Synodi Pelagianorum pessimum Theodorum damnantis authoritas facta tecta stabilienda est. Cum verò quid Romani Præfules Vigilij successores in causa trium capitulorum statuerint, dicendum sit, haud abs re fore censui, si Venetiæ, atque Istria Schisma exactius describerem; meæ enim patriæ Episcopi cum reliquis Prouinciæ Collegis diu contra V. Synodum depugnarunt. Hæc verò eò libentiùs inserui, quòd vidi celeberrimos Scriptores in ijs enarrandis pleraque à veritate aliena literis consignasse. Baronius nonnulla tradidit de Synodo V. quæ probare non possumus, in quibus tamen Halloix sibi triumphum canit. In primis hæc scribit de V. Synodo aduersarius: *Aliæ Synodi Ecclesijs pacem, ac tranquillitatem, & multa similia bona sedatis discordijs attulerunt. Hæc autem, quæ à multis Quinta nominabatur, magis, quam erat, & à multo pluribus rejiciebatur, pro pace bellum, pro unitate diuisionem,*

tionem, pro bonorum cornucopia malorum myriadem importauit. S. 12. pag. 355. Horum testem appellat Baronium ad annum 553. scribentem: Etenim ipsa Synodo absoluta, tantum abest, ut pax reddita sit Ecclesijs, ut maius bellum exarserit, intestinaque discordia magis saeuierit Orthodoxis inter se altercantibus &c. Sed quis nesciat post Nicenam Synodum ingentes tumultus ab Eusebianis, & Meletianis excitatos? Post Chalcedonensem, quas turbas Ecclesiæ Acephali non dedere? Quid igitur mirum, si post Quintam quoque Synodum non statim pax Ecclesiæ reddita est? Hanc sanè pacem se donaturum Orbi Catholico per illam Synodum Iustinianus existimauerat, vnde eundem Augustum initio sui Constituti Vigilus commendauit: *Laudabile, inquit, Clementiæ vestræ cognouimus esse propositum, per quod summotis omnibus discordiæ seminibus &c.* Et S. Agatho circa finem epistolæ ad Constantinum, quæ habetur act. 4. VI. Synodi ait: *Extremi quidem, præstantissimi tamen omnium Magni illius Iustiniani, cuius ut virtus, ita & pietas omnia in meliorem ordinem restaurauit &c.* Nam breui Occidentalis Ecclesiæ Synodum V. recepit, ut mox dicam. Quam rectum verò fuerit Iustiniani consilium, lege apud Leontium in lib. de Sectis actione 6.

Vigilio successor datus est Pelagius I. Romanæ Sedis apud Iustinianum quondam Apocrifarius, quem tria capitula non damnasse fingit aduersarius dicens S. 10. *Liquidò, ut opinor, apparet & Pelagium I. non recipere Concilium V.* Sed etiam si hoc veritati consonum esset, haud illius suffragium pro tuo Origenis ostentabis; ille, ille est, qui Iustinianum ad Origenis damnationem hortatus fuerat, Theodoro Cæsareæ in Cappadocia Episcopo Origenistæ hostis infensus, vnde sicuti Theodorus hic contra tria capitula bellum accendit, ita Pelagius excitatæ in Origenistas tragœdiæ author fuit, quæ quidem oborta diffidia cum mente volueret Theodorus semel exclamasse fertur: *Se, & Pelagium viuos incendendos, per quos hoc scandalum introiuit in mundum.* Quibus verbis suum Breuiarum conclusit Liberatus. At Deus Optimus Maximus duorum hominum æmulatione vsus est, ut profana hinc inde dogmata profligerentur, ut Euagrius rectè adnotauit lib. 4. cap. 38. Pelagius non solum, quòd Theodori Cappadocis studia abhorrebat, sed etiam quia Latina Ecclesiæ capitula defendebat, in hanc & ipse sententiam consentiebat, & initio ferè agitatæ controuersiæ ad Ferrandum Diaconum Carthaginensem literas dedit, queis doctissimi viri sententiam rogauit; extat etiamnum Ferrandi ad Pelagium responsio. A Vigilio Roma Constantinopolim euocatus fuit, ut sibi in difficili causa auxilio esset, sub quo etiam constanter pro tribus capitulis decertauit. Legitur subscriptus Constituto Vigiliano his verbis: *Pelagius miserante Deo Diaconus Sanctæ Ecclesiæ Romanæ huic constituto consentiens subscripsi.* Cum nollet Synodum V. subscribere in exilium missus est, teste Tunonensi, cuius verba mox referam. Cum verò Vigilus in exilium non fuerit deportatus, consequens est, ut pro tribus capitulis propugnandis ipso Pontifice obstinatio fuerit. Quod autem scribit Anastasius Vigilio in custodiam detruso, Clerum Romanum missum in exilium ad diuersa metalla incidenda, planè falsum est; constat enim ex Victore, ut superius notauimus eos, qui tria capitula defendebant, ab Imperatore in longinqua monasteria ablegatos. Iustinianus Vigilij morte intellecta Pelagium ab exilio reuocauit, qui Principi morem gerens tria capitula damnauit, eoque pacto ad Romanam Sedem euectus est. Tunonensis hæc



hæc scribit: *Post consul. Basilij anno XVIII. Pelagius Romanus Archidiaconus trium præfatorum defensor capitulorum Iustiniani Principis persuasione de exilio redit, & condemnans ea, quæ dudum constantissimè defendebat, Romanæ Ecclesiæ Episcopus à præuaricatoribus ordinatur. Cum Romæ innotuisset Pelagium tria capitula condemnasse, singuli quique tum sacri, tum laici homines ab eius communione se separabant, neque in tota Italia tertius Episcopus inueniri potuit, à quo consecraretur; illum enim ut Chalcedonensis Synodi præuaricatorem detestabantur. Quare à Perusino, & Ferentino Episcopo, ac Andrea Presbytero Ostiensi consecratus fuit. Narses tamen iubente Imperatore omnem operam Pelagio præstitit. Anastasius, quem Baronius initio anni 555. alijque secuti sunt, populum Romanum inde Pelagio infensum dicit, quod author publicaretur malorum, quæ Vigilus Constantinopoli perpeffus fuerat, additque Lupus in appendice ad notas in Canonem IV. Nicænum: *Aduersum tria Concilij Chalcedonensis capitula, eorumque defensorem Vigilium Papam truculentam passum à Iustiniano Augusto egerat in V. Synodo Pelagius adhuc Diaconus. Sed hæc procul à vero sunt; nam Pelagius cum Vigilio, & pro Vigilio stetit, Synodi Quintæ congressus fugit, ac subscripsit Constitutum Vigilij, quo Synodus V. cassabatur, indeque in exilium expulsus fuit, & tria capitula, ut ait Tunonensis, tempore Synodi constantissimè defendebat. Sed audiatur idem Pelagius epist. 12. ad Childebertum Regem, *Vt autem nos diu tribulationes Constantinopoli pateremur, illa res fecit, quam breuiter supra tetigimus &c.* Non ergo Vigilij persecutionum author publicari poterat, sed socius. Quare coram populo in ambone nihil abs se contra Vigilium tentatum iureiurando haud affirmavit, sed quod nihil contra Synodi Chalcedonensis fidem in trium capitulorum damnatione abs se statutum fuisset. Ignorantia controuersiæ de tribus capitulis Anastasium veterem alioqui Scriptorem in eas fabulas impexit, queis cæteri scriptores fidem habuere.**

Interim Pelagius ubique veluti Chalcedonensis Concilij proditor traducebatur, & Episcopi Tusciæ illius nomen, uti moris erat, inter sacrosancta mysteria recitare recusabant. Quare horum contumaciam graui epistola perstrinxit anno 556. *Diuisionem vestram, inquit, à generali Ecclesia, quam tolerabiliter ferre non potero, uehementer stupeo. Dedit & literas ad Childebertum Regem Francorum, itemque encyclicas ad omnes Orthodoxos, in quibus se quatuor Conciliorum fidem tenere protestatus est, in quibus V. Synodum non nominauit; tacitam tamen illius mentionem fecit in epistola encyclica dicens: *Possimus quidem totius causæ rationem ad sedandos rumores hominum diuina nobis cooperante misericordia fiducialiter explicare, nihilque contra fidem Patrum, contra quatuor Synodorum firmitatem vllatenus esse tentandum (tentatum legendum est) lucidissimis approbationibus demonstrare, magisque id actum (in quinta Synodo) ut memoratarum Synodorum firmitas contra omnes inimicos immobili soliditate consisteret. Etenim Concilium V. ut inquit S. Sophronius, ad confirmationem quidem nominatissimi Chalcedonensis Concilij congregatum est, quod Hæsitantium sectæ omnes diuerticuli præcluderentur, de quo videndus est superiùs laudatus Leontius. Magnæ verò gloriæ vertitur Pelagio, quod illo Pontifice vniuersa Italia præter paucos Episcopos, Africa, ac tandem Illyricum tria capitula condemnauit. Vidimus supra Africanos Præsules coacta Synodo pro tribus capitulis conspirasse,**

se, quod & de Illyricis notauimus, unde contra utrosque rescriptum edidit Iustinianus ex Isidoro cap. 18. At anno 554. inquit Tunonensis: *Post consul. Basil. XIV. Proconsularis Concilij prouinciæ Africanæ Sacerdotes Ruffini, & Vini Reparati Archiepiscopi obtrectatorum arte delusi tanq; fidei defensoribus occurrunt, & Primasij præuaricatoris Carthaginiensis Ecclesiæ communionem præter paucissimos polluunt. Anno vero sequenti 555. in eandem sententiam Numidiæ Patres venerunt: Post consul. Basil. XV. Concilij Numidiæ Episcopi ad instar Proconsularium Sacerdotum collecti Carthaginem veniunt, & Primasij eiusdem Ecclesiæ incubatoris communionem polluti, præuaricatoresq; effecti ad propria redeunt. Nec diu fuere pertinaces Illyrici, nam de his scribit idem Victor. Post consul. Basil. XIX. *Illyriciani Episcopi præter paucam monasteria, paruosq; fideles, persecutiones passi consentiunt, pristinam fidem in irritum deducentes. Igitur teste maximo capitulorum defensore Tunonensi in Africa paucissimi, in Illyrico pauci Synodum V. recipere detrectarunt: tantum Romani Pontificis exemplum ponderis habuit. Baronius, qui Tunonensis Chronicon non vidit, Occidentalem Ecclesiam ex V. Synodo dissidijs repletam affirmavit, quasi contra hanc obstinatè pro tribus capitulis longo tempore depugnaret, sed ubi in causa trium capitulorum ante Synodum Orientis, & Occidentis Ecclesiæ in contrarias partes abibant, per Synodum Quintam isthæc illi conciliata fuit, vnaq; vtriusq; sententia euasit, parua tantum Italiæ portione repugnante. Unde cadit Halloix calumnia dicentis: *Quinta Synodus pro pace bellum, pro vniuersitate diuisionem, pro bonorum cornucopiæ malorum myriadem importauit. S. 12. pag. 355. Sanè in Oriente per Synodum V. omnia dissidia composita, duo oculati testes memoriæ prodidere. Eustathius cap. 22. de vita S. Euthymij ait, post V. Synodum summa pax, & magna tranquillitas in Dei Ecclesia est consecuta. Et Cyrillus Scythopolitanus cap. 109. de vita S. Sabæ scribit: *Post hæc cum Sancta, & Oecumenica V. Synodus congregata fuisset Byzantijs, Theodorus Mopuestia, & Origenes, & vnâ cum his impia de præexistentiâ, & restitutione dogmatum generali fuerunt subiecta anathemati, & sic hereticis deinceps omni ablata libertate loquendi diuini Sabæ Laura, & vniuersa ferè cum eis Palæstina vigesimo tertio anno post illius mortem à grauibus heresibus, & temporis acerbitate, & iniquitate respirarunt, & quietam deinceps, & tranquillam vitam egerunt. Cum verò S. Saba mortuus sit anno 531. vniuersam Palæstinam, in qua à tempore Ioannis Hierosolymitani, Rufini, ac Melaniæ per 160. annos Origenistæ ingentes turbas concuerant, pacem tandem sortitam scribit anno primo post Synodum V. nempe 554. Sed instat doctissimus Baronius, nec eo pacto Acephalos ad vniuersam Ecclesiæ reductos. At non Synodus, sed ipsorum malitia in causa fuit, trium enim capitulorum dimissa à Synodo Chalcedonensi proscriptio non vnum erat argumentum, quo ad contradicendum Acephali, seu Hæsitantes mouebantur, erant pleraque alia, quæ recenset, & soluit Leontius in libro de sectis.****

Vniuerso itaq; Catholico Orbe ad Synodum V. accedente, soli Veneriarum, ac Istriæ Episcopi refragabantur. Pelagius Schismati indignatus datis ad Narsetem literis eundem hortatus est, ut repugnantes vi cogeret ad recipiendam Synodum. At illi Narsetem ipsum licet Italicarum rerum summam cum potestate præfecturam gerentem ab ecclesiastica communione suspendit, ut testatur Pelagius in alijs literis, quas eadem de re ad eundem Ducem

perscripsit: *Nec enim, inquit, sine illius providentia factum esse credendum est, insensati, & peruersi homines ad hoc usque profilerent, ut suam diuisionem Catholicam esse credentes Ecclesiam à sua uos pollutione prohiberent.* Ita Pontifex Synodi V. aduersarios insensatos, peruersos, & pollutos appellabat.

Schismatici Episcopi Paulino Aquileiensi Metropolita inuentore aduersus V. Synodum prouincialem conuentum habuere, in quo tria capitula à Chalcedonensibus Patribus non damnata à quoquam proscribi posse negarunt, inquam sententiam dato sacramento pedibus ab omnibus itum est. Nomina Episcoporum inferius ex vetustissimo Chronico Aquileiensi dabimus. Pelagius rei indignitate commotus egit cum Narsete, ut Paulinus Antistes Synodi obtrectator captiuus ad Iustinianum Byzantium mitteretur, quod tamen, cum meliora de ipso sperarentur, minime factum est. De illorum verò conciliabulo hæc scribit ad Narsetem: *Cum si quid eos de iudicio VNIVERSALIS SYNODI, quod Constantinopoli per primam nuper elapsam indictionem actum est, forte mouebat, ad sedem Apostolicam, quomodo semper factum est, electis aliquibus de suis, qui darent, & accipere rationem possent, dirigere debuerunt, & non clausis oculis corpus Christi Dei nostri, hoc est Sanctam Ecclesiam lacerare.* Et tamen tanta est Halloix confidentia, ut dicere non dubitet S. II. pag. 352. *Qui ex Pelagij literis ad Narsetem probari putant receptum à Pelagio quintum istud Concilium, nã ipsi admodum errant.* Adiditque: *Hoc enim agebat Pelagius, non ut Concilium reciperetur, sed ut ipse.* At oppositum adeo manifestè ex Pelagij literis patet, ut id nec ipsum aduersarium fugisse existimem, nam Pelagius *uniuersalem Synodum* vocat, motos ad Schisma Istros Episcopos ob iudicium Synodi V. asserit, eosdemque arguit, quòd Synodi statuta discutere, & examinare ausi fuerint, quod tantum ad Apostolicam Sedem spectabat, à qua sola oborta circa Oecumenica Concilia dubitationes resolui possunt. Cur verò Pelagio obedientiam negabant Istri? eadem sanè de causa, qua Tuscia Episcopi, nempe tanquam Synodi Chalcedonensis prauaricatorem abhorrebant, quòd patet ex literis Pontificis ad eosdem. Idem Pelagius epist. 5. ait: *Nec licuit alicui aliquando, nec licebit particulari Synodum congregare, sed quoties aliqua de VNIVERSALI SYNODO aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendam de eo, quod non intelligunt, rationem, aut spontè y, qui salutem animæ suæ desiderant, ad Apostolicam sedem pro recipienda ratione conueniant, aut si forte, sicut de talibus scriptum est: Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnit, ita obstinati, & contumaces extiterint, ut doceri non velint, eos ab ipsa Apostolicis Sedibus aut attrahi ad salutem quoquo modo necesse est, aut ne aliorum perditio esse possint, secundum canones per seculares comprimere potestates.* Ex quibus citra dubium constat, Episcopos Istriæ in sua Synodo non de Pelagij electione, sed de *uniuersali Synodo*, & quidem Quinta dubitasse, nimiamque ac prorsus intolerabilem, non ignorantiam dicam, sed dissimulationem fuisse aduersarij id audacter pernegantis.

De hac Aquileiensi Synodo diuersi pleraque à veritate aberrantia literis prodidere. Beda in Chronico ad annos imperij Tiberij Absimari ait: *Synodus Aquileiæ facta ob imperitiam fidei Quintum uniuersale concilium suscipere diffidit, donec salutaribus B. Sergij Papæ monitis, & ipsa huic cum ceteris Ecclesijs annuere consentit.* Baronijs ad annum 553. ait: *Hincque accidit, ut Venetæ, & ei adiacentium regionum Episcopi, qui cum essent sub Francorum dominio, Franci enim tunc illis domina-*

ban-

bantur prouincijs, contra V. Synodum cogent Concilium Aquileiæ, cuius meminit Beda. At Bollandus ad diem octauam Februarij in notis ad vitam S. Honorati S. 2. Baronium reprehendit, qui Synodum factam, teste Beda, Imperatore Tiberio Absimaro, (ab exercitu electus est anno 699.) cum illa confuderit, quæ sub Pelagio Primo circa annum 557. habita fuit. Certè Paulus Diaconus lib. 6. de gestis Longobardorum cap. 14. illam Synodum ad tempora Tiberij refert, sed hic ad verbum ex Beda illa recitauit. Difficile enim visum est Bollando, à Sergio Papa illam Synodum corrigi, quæ habita fuerat ante centum quinquaginta, & amplius annos. Palladius iunior in historia Foro-iulienfi Italicè scripta par. 1. lib. 1. ad annum 554. loco Sergij *Pelagium* ponit, sed hoc præter fidem omnium autographorum Bedæ, & Pauli Diaconi. Fallitur sanè Bollandus, dum Sergio Pontifice Aquileiensem Synodum de V. Concilio dubitasse putat, nam sub S. Agathone Papa, qui quinque tantum annis ante Sergium Pontificatus, ac vitæ finem fecit, in Synodo Romana adfuerit cum Agathone Patriarcha Aquileiensi ceteri suffraganei, ac literas subscripsere, in quibus hæc habentur: *Hoc idem etiam & Sancta Synodus, quæ sub Augustæ memoria Iustiniano Principe in Constantinopoli congregata est in septimo definitionum capitulo prædicat.* Quare iam ante Sergium Episcopi Veneti, atque Istri cum Metropolita Aquileiensi Synodum V. receperant, neque contra eandem Synodum postea coegisse dicendi sunt. Eorum nomina habentur actione 4. Synodi VI. Fortè Sergius ad Aquileiensem Antistitem literas dedit, quæ schisma in nonnullis adhuc radicatum euelleret, at non ex Episcopis illi erant, sed è plebe. Et quidem Bedam Concilium à Paulino Aquileiensi contra V. Synodum celebratum significasse, ex illo aduerbio *donec* non obscure colligitur, eò quòd ille error, ac prauum de Synodo V. iudicium diu ante Sergium apud Aquileienses inualuerat. Idem Bollandus num. 10. ait, quòd cum celebraretur Synodus Aquileiæ à Paulino, est *habita eodem ferè tempore in Illyrico Synodus (nisi eadem sit latius sumpto Illyrici nomine) pro tribus capitulis, cuius meminit Isidorus.* Sed Synodus Illyrica teste Tunonensi coacta fuit post consulatum Basilij anno nono, nempe anno apud Victorem 549. At ista Aquileiensis mortuo Vigilio sub Pelagio habita fuit post Conciliū V. cuius auctoritatem illa negauit. Illyricos verò omnes Episcopos eam Synodum Oecumenicam paulò post recepisse, idem Scriptor affirmat.

Pelagius Paulino Aquileiensi indignatus fuerat, quòd contra Apostolicæ Sedis decretum à Vitali Archiepiscopo Mediolanensi consecratus erat. Etenim Pontifex cum ubiq; in Italia contra Synodum V. schisma conflare intelligeret, omnem nauauit operam, ut glissentim malo remedium afferret. Optimum factu iudicauit eos, qui in Urbium Antistites consecrabantur, ad Synodum V. tuendam sacramento adigere. Huius rei testis est S. Gregorius, qui cum Constantio Antistiti Mediolanensi scriberet, eius decessorem Laurentiū *districte* *cautionem Sedi Apostolicæ* remisisse, qua tria capitula se damnare protestabatur, hæc ait: *Quia postquam, talis scissura pronullare facta est, iustum fuit, ut Sedes Apostolica curam gereret, quatenus unitatem uniuersalis Ecclesiæ in Sacerdotum mentibus per omnia custodiret.* Ast Paulinus ab Antistite Mediolanensi consecratus fuerat vllò absq; iuramento ad Apostolicam Sedem transmissio, à cuius insuper communione se Veneti, atque Istri Episcopi separauerant. Præterea cum

L 2

Aqui-



Aquileiensis Ecclesia subiecta esset iuri Patriarchico Romani Præfulis, defuncto Episcopo Metropolita à Romano Pontifice vir delegabatur, qui suo nomine electioni noui Sacerdotis adesset. Audiatur Gregorius Magnus scribens Exarcho Italiae de Constantio in demortui Laurentij Mediolanensis locum subrogando: *Necefse fuit pro feruanda consuetudine militem Ecclesie nostræ dirigere, qui cum, in quo omnium voluntates, atque consensum concorditer conuenire cognouerit, a suis Episcopis, sicut uetus mos exigit, cum nostro tamen assensu faciat consecrari.* Lib. 2. epist. 31. Paulinus inauguratus fuit absque præuio Romani Pontificis consensu, qui eo tempore non dabatur nisi ijs, qui prius concepto iuramento tria capitula condemnassent. Hinc Pelagius Paulinum Pseudo-episcopum esse dixit, atque *Aquileiensis Ecclesie inuasorem, qui & in schismate maledictus, nec honorem Episcopi poterit retinere, nec meritum.* Epist. 4. At Palladius l. p. lib. 1. rerum Foroiulienfium Paulinum à Vitali Archiepiscopo Mediolanense dignè in Aquileiensi Sede collocatum scribit, cuius tamen oppositum ex Pelagio ostendimus. Idem asserit Synodum Aquileiensem pro tribus capitulis celebratam fuisse à Macedonio Antistite Paulini decessore anno 554. cuius rei fides fit penes Authorem.

Obijt Pelagius anno 560. die 2. Martij, in cuius sepulchro tempus, quo Pontificatum gessit, signatum est: refertur ex Manlio à Paulo Aringho lib. 2. Romæ subter. cap. 8. *Hic requiescit Pelagius Papa, qui sedit annos IIII. Menses X. dies XVIII. Depositus IIII. Nonas Martij.* Ille tamen Scriptor eundem lapidem post Baronium offendit, qui Pelagium anno 555. electum, anno verò 559. mortuum tradit, quod fieri non potest à IV. Nonas Martij per annos quatuor, ac menses decem retrocedendo. Panuinius in Chronico, cui adhæret in diagraphmate Chronologico Holstenius, ait Pelagium decessisse anno 561. huius autem electionem ille non rectè refert A. 555. nam sedisset A. 5. M. 4. At Panuinius scribit, Pelagium electum non quidem A. 555, vt superius Holstenij auctoritate ductus asserui, sed A. 556. Hæc carmina, quæ schismaticos ab eodem correctos designant, Pelagij tumulo insculpta arguunt Halloix manifestæ falsitatis, qui contendit, Pontificem illum non approbasse Quintam Synodum: Ea verò sunt.

*Doctor Apostolicæ fidei ueneranda reuexit
Dogmata, quæ clarè constituere Patres.
Eloquio curans errorum schismate lapsos,
Vt ueram teneant corda pacata fidem.*

S. II.

Ioannes IIII. Synodum V. adprobat. Iustinianus Imperator moritur. De anno obitus eiusdem differitur. Panuinij, ac plurimum Scriptorum fasti corriguntur. Iustinus successor contra schismaticos mitius agit. Hispani defendunt tria Capitula.

Pergit aduersarius aliorum Pontificum, qui Pelagio successere, suffragia nostræ Synodo V. per summam iniuriam surripere. Scribit S. II. pag. 354. *Fit probabile tam Ioannem, quam Benedictum in eadem cum Vigilio, & Pelagio suis*

suis Antecessoribus fuisse sententia, nec approbasse, nec recepisse V. Concilium. Errat; uterque enim Synodum V. recepit cum antecessoribus Pelagio, ac Vigilio. De Ioanne III. qui Pelagio I. successit, dicendum hic est, postea de Benedicti sententia differemus. Pelagius II. qui quintus à Vigilio Pontifex sedit, in literis ad Heliam, & Episcopos Istriæ testatus est, ipsius decessores Synodum V. approbasse, ac tria capitula condemnasse: *Debet ergo, inquit, perpendere uersa dilectio, quia Prædecessorum nostrorum in hac causa consensus tantò post inanis non fuit, quantò prius diris contradictionum laboribus insudauit.* Quibus notat Vigilij molestias pro trium capitulorum defensione Constantinopoli toleratas. Habuit ergo Pelagius II. secum contra tria capitula prædecessores fœderatos, quorum consensum ibidem appellat. Præterea cum anno 590. vt dicemus, Sanctus Gregorius Romam euocasset cum asseclis schismaticis Metropolitam Aquileiensem Seuerum, illi ad Mauricium Imperatorem supplicem libellum transmisere, quo apertè contestati sunt, sese iam ferè ab initio motæ in Occidente quæstionis de tribus capitulis Sedis Apostolicæ communionem abhorruisse, nempe post Iudicatum à Vigilio emissum. Reddo hæc illorum uerba: *Contriti, atque luctu grauissimo sauciati ad ultimam desperationem peruenimus, ut ad illius iudicium Metropolita noster cogeretur occurrere, cum quo causa ipsa esse dinoscitur, & cuius communionem ab initio motionis cause huius usque nunc decessores nostri, & nos cum omni populo euitamus.* Hunc libellum integrum lege apud Baronium. Itaque à Paulini Aquileiense tempore Veneti, atque Istri Episcopi Romanos Pontifices uti trium capitulorum damnatores usque ad annum 590. ab Ecclesiastica communione secluserant. Ex quibus constat, omnes Romanos Antistites à mota trium Capitulorum controuersia postremam, ac definitiuam Vigilij sententiam secutos pro Synodo V. stetisse. At quibus Apostolicæ Sedis Præfulum sententia notior fuisse putanda est, Pelagio II. illorum immediato successori, ac Schismaticis iisdem, qui ea de re cum ipsis Pontificibus litigarunt, an homini cuidam post mille, & amplius annos de eadem scripturienti?

Certè qui Iustiniani fixam contra tria capitula sententiam considerauerit, is certè eo in Italia dominante Romanos Pontifices contra Principem pro capitulis pugnasse, minimè asseuerabit. Non enim Pelagium, nisi priori sententia deposita, Pontificem inaugurari permisit, quod idem, etiamsi relata testimonia non extarent, de Ioanne sentiendum foret. Quo anno decesserit Iustinianus ex fastorum confusione incertum plerisque fuit; gratum posteris me facturum spero, si controuersiam clara, & ni mea me fallit opinio, euidenti dissertatione exposuero, video enim fastos vel apud illorum Patrem (ita enim honoris gratia Panuinium Lipsius nuncupauit) perturbatos. Communis sententia fuit Iustinianum decessisse anno 565. Idibus Nouembris media nocte sequenti, vt Corippus canit. Sed obiisse illum anno 566. scribit Victor Tunonensis: *Quadragesimo, ait, imperij sui anno Iustinianus uite suscepit finem indicatione XV.* Certum est Iustinianum anno 527. Kal. Aprilis Imperium indeptum fuisse, quod omnes affirmant, & patet ex eiusdem Principis Nouella 47. ubi ait: *Nunc quidem annum XI. nostri scribunt imperij, inchoante uerò Aprili mense, & prima die, in qua nos Deus Romanorum superposuit rebus, XII. annum scribent.* Data est Nouella Post consulatum Belisarij anno 11. qui est annus 537. & quidem ante



Aprilem scripta est, id etiam ex pluribus Iustiniani literis, legibus, Synodis sub ipso celebratis patet. Rursus indictio XV. qua Victor mortuum affirmat Iustinianum, incipit anno 566. mense Septembri. Victor verò non solum tunc aderat Constantinopoli, sed quòd tria capitula defendebat, iussu Principis ibidem sub custodia detinebatur, vt nulli melius, quàm illi non annus tantum, vel mensis, sed dies obitus Iustiniani numeratus videatur. Ioannes Biclariensis, qui sub id temporis Byzantij morabatur teste S. Isidoro cap. 31. de Eccles. Script. initio sui Chronici ait: *Quintadecima ergo indictione, vt dictum est, Iustiniano mortuo Iustinus iunior nepos eius Romanorum efficitur Imperator.* Ioannes Epiphaniensis tunc viuens laudatus ab Euagrio lib. 5. cap. vlt. mortuum dicit Iustinianum: *Novem & triginta integros annos cum Romanum imperium tenuerit.* Refert, & sequitur Alemannus in notis ad Historiam arcanam Procopij pag. 108. Et hi tres Scriptores Euagrio, Cedreno, Zonara, alijsque posterioribus longè præferendi videntur. Accedit Chronicon Alexandrinum, in quo hæc leguntur: *Hoc anno 14. Nouembris indictione XV. Iustinianus vita defungitur.*

Errasse tamen hosce Scriptores euidenter ostendo ex inscriptione lapidis in Vaticano reperti, quæ habetur lib. 2. Romæ subter. cap. 10. illamque ego anno 1671. Romæ in Suburbio D. Petri in cella ad læuam maioris aræ Ecclesiæ S. Angeli parieti affixam legi, ex qua cum plurium authorum errores emendari possint, eandem exhibeo omiſſis carminibus, quæ ibi leguntur.

✠ DEP. EST BOETIVS CL. P. OCT. KAL. NOBR. INDICT. XI. IMP. DOM. N̄ IVSTINO PP. AVG. ANN. XII. TIBERIO CONST. CAER. ANN. III. DEP. EST IN PAC. ARGENTEA MAT. SS. XIII. KAL. DECEMBR. QVI SS. BOETIVS VIXIT ANN. XI. M. VIII. D. XXIII. ET MAT. EIVS VIXIT ANN. XXXVI. M. II. D. XII.

Quare si die 25. Octobris indictionis vndecimæ, nempe anno 577. labebatur annus XII. Iustini iunioris, primus eiusdem Imperatoris annus incoepit die 14. Nouembris anno 565. Est aureum in marmore testimonium. Sed ex rescriptis Iustini hoc ipsum euincitur. Extat sanctio ad Iulianum P. Vrbi de dissoluedo ex mutuo consensu matrimonio *Data XVIII. Kal. Octob. Chalcedone Imp. Domino nostro Iustino PP. Aug. Anno primo indictione quintadecima.* Labuntur ergo Victor, Biclariensis, ac Chronicon Alexandrinum, & qui secuti sunt Recentiores eruditi Alemannus, Valesius, alijque, dum indictione XV. die 14. Nouembris Iustinianum defunctum scribunt. Confirmat hoc ipsum altera sanctio eiusdem Iustini de filijs liberarum ad Theodorum *Data Kalendis Martij Imp. Domini nostri PP. Aug. Iustini anno V. indictione tertia.* Si mense Martio anni 570. currente indictione tertia labebatur annus quintus Iustini, rectè ab Idibus Nouembris anni 565. eiusdem imperij initium desumendum venit.

Facti plerique circa annum 566. errarunt. Nam appendix Marcellini Comitum ponit. *Indict. XIV. XXV. Post consularum Basilij V. C.* quo anno illud actuarium terminatur. Sed planè expungendus est character ille consularis. Nam anno 566. Iustinus novus Imperator consularum II. gessit, priori enim functus fuerat

fuerat anno 546. Hoc probatur testimonio irrefragabili Corippi Grammatici Africani lib. 1. de laudibus Iustini, vbi cum narraſſet Iustiniani mortem, & Iustini inaugurationem, novum Principem ad populum hæc cætera inter verba dicentem inducit.

— nomenq; negatum
Consulibus Consul post tempora cuncta nouabo.
Gaudeat, vt totus Iustini munere mundus,
Dona Kalendarum properant vicina mearum.
Vos vestris adstate locis, properate, parate,
Promissaq; die nostras sperate curules.
Expauit gaudens inopino nomine vulgus
Consulis audito.

Nempe quia ab anno 541. nullus amplius fuerat Consul. Do alterum insignem testem; est Menander Protector, qui sub Iustino II. vixit. Scribit hic Zemarichum legationem suscepisse ad Turcos circa finem quarti anni imperij Iustini indictione secunda initio mensis Augusti. Tom. 1. Hist. Byzantinae. Henricus Valesius in notis ait: *valde notandus est hic locus, qui insignes continet temporum characteres.* Optimè meherclè notandus venit. Indictio II. mense Augusto signat annum 569. quo tempore, si labebatur quartus annus Iustini, Menandro Authore Iustinus post Iustinianum anno 565. die 14. Nouembris imperium indeptus est. Vidit ista Valesius, qui cum 46. annos imperij Iustiniano tribuat pag. 215. pagina sequenti 216. Menandri textum corrigit, legendumq; ait pro *δουτίπο πριτω.* Sed non tertium, sed planè quartum annum cum Menandro retinendum ex superius dictis satis apparet. Ex his palam est, annum primum Iustini 566. non esse signandum cum Panuino lib. 3. Factorum *Post consul. Basilij XXV.* Noto etiam lapsum esse Baronium, qui annum 564. ita inchoauit: *Qui sequitur annus Christi quingentesimus sexagesimus quartus, idem vltimus est Iustiniani Imperatoris, atq; postremus, qui post consularum Basilij numeretur vigesimus tertius.* Neq; enim ille est vltimus Iustiniani, neq; postremus, qui post consularum Basilij nominetur. Et quidem annum insequentem his auspiciatur: *Quingentesimus sexagesimus quintus, idemq; Iustiniani Imperatoris nouissimus indictionis decimæ tertiæ incipit annus.* Ita in vasto opere memoria magnos quandoque viros deficit.

Scribit Biclariensis Abbas initio sui Chronici: *Romanorum LIII. Iustinus iunior annis XI. qui Iustinus anno primo regni sui ea, quæ contra Synodum Chalcedonensem fuerant commenta, destruxit.* Quæ verba suo Chronico inseruit S. Isidorus. Si Halloix ista legisset, certè in ijs triumphum suo Origeni cecinisset, videtur enim Iustinus abrogasse V. Synodum, quæ, vt vulgò ferebatur, Chalcedonensem Synodum correxerat. Iustinus cum videret ob tria capitula proscripta Africam, atq; Occidentales prouincias dissensionibus laceratas, edictum fidei publicauit, in quo nullius Synodi mentionem faciens, quæ credenda cuiq; essent, proposuit. Arii, Sabellij, ac Nestorij, itemq; Eutychetis hæreses ibidem damnauit, at tria capitula non solum non nominauit, sed inter dogmata adiaphora numerandam esse quæstionem de tribus capitulis visus est innuere in fine edicti, dum ait, se illa credenda proposuisse, vt *deinceps nemo vlllo prætextu propter personas, aut syllabas rixetur.* Quibus Theodori personam,

nam, itemq; scripta Theodoretis, atq; Iba fortè intellexit, nec non quæstionem nuperrimè exortam de corpore Christi corruptibili, vel incorruptibili, vna enim Syllaba Romani imperij Antistites nobilissimos in exilium procul à suis Sedibus deportauerat, quos inter eminebat Eutyechius C-P. Nihil autem boni per illud edictum illatum Catholicæ Reipublicæ fuisse scribit Euagrius lib. 5. cap. 4. vbi edictum illud ad verbum recitat. Certum enim erat, Synodum V. non dogma recens de fide credendum proponere, sed de personis tantum quædam statuere, vt notat Gregorius Magnus inferius adducendus. Africani autem cum mitius secum agere nouum Principem cernerent, neq; in edicto nominata tria capitula legerentur, publicarunt reuocata per Iustinum acta Synodalia V. Concilij statuta aduersus Synodum Chalcedonensem. Et licet hi pauci essent, nam ex superius dictis Episcopi Africani ad Iustiniani, ac Synodi sententiam accesserant, vicinos Hispanos hac sinistra opinione imbuerant, vnde non solum ea dixit Biclariensis, sed & S. Isidorus in Chronico Iustinianum ob tria capitula damnata reprehendit, & in catalogo Scriptorum Ecclesie vbi de Theodoro Mopsuesteno, Hunc, ait, *Acephalorum Episcopi in præiudicio Chalcedonensis Concilij Iustiniano Principe compellente, damnare post mortem cum Iba, & Theodoro Episcopis censuerunt, dum constet eum laudabilium virorum testimonij clarissimum Ecclesie Doctorem fuisse.* In Chronico verò, vbi de Iustiniano agit: *Iste, inquit, Acephalorum hæresim suscipiens omnes in regno suo Episcopos tria Chalcedonensis Concilij capitula damnare compellit.* Hinc in Synodis Hispaniæ, quæ eodem, & sequenti sæculo celebratæ sunt, nulla Synodi V. mentio facta est, vt eruditè notauit Lupus in comment. V. Synodi cap. 6. quæst. 3. Nunquam tamen Hispani ob illam controuersiam ab Apostolicæ Sedis communionem se separarunt. Iustinus licet plures Episcopos, quos Constantinopolim ad dicendam causam Iustinianus euocarat, dimiserit, eam tamen auctori decretis reuerentiam exhibuit, vt Antistites, quos Iustinianus in exilium iusserat deportari, suis sedibus minimè restituerit. Eutyechius enim vsq; ad annum 577. exul apud Amasenum monasterium vitam degit. S. Isidorus scribit Victorem Tunonensem trium Capitulorum defensorem acerrimum in exilio mortuum: *Hic, inquit, pro defensione trium capitulorum à Iustiniano Augusto exilio in Ægyptum est transportatus, vnde rursus Constantinopolim euocatus, dum Iustiniano Imperatori, & Eutychio Constantinopolitane Vrbis Episcopo eorundem trium capitulorum obtreccatoribus resisteret, rursus in monasterium eiusdem ciuitatis mittitur custodiendus, atq; in eadem damnatione, vt dicitur, permanens moritur.* Victor vsque ad annum primum Iustini suum Chronicon perduxit, vbi ait: *Iustinus iunior Vigilantiæ sororis Iustiniani Augusti filius Patre Dulcissimo natus cum tranquillitate populi magna imperij sumit sceptrum.* Isidorus autem, vt alias notauimus, Tunonensis Chronicon exscripsit, quod Ioannes Abbas Biclariensis, & Episcopus Gerundensis vsque ad Mauricij imperium deduxerat.

Iustinus Narsetem ex Italia reuocat. Schismatici Italia sub Longobardis obstinatores contra Synodum Quintam. Benedictus Papa pro Synodo pugnat. Iustino mortuo succedit Tiberius. De tempore imperij Iustini, Tiberij, ac Mauricij, itemq; Prætura Urbana, & Monachatus S. Gregorij Papæ disputatur.

Interea pessimo Iustini consilio Narses Italiae reparator Constantinopolim reuocatur. Vnde non solum barbaris, sed & Venetis schismaticis animus creuit, ac paulò post nobilissima prouincia & Longobardorum bello, & Schismaticorum dissidijs afflictæ pessum iuit. Marius Auenticensis, qui sub id temporis viuebat, audiendus est in Chronico: *Anno secundo, inquit, consulatus Iustini iunioris Augusti Indictione prima. Hoc anno Narses ex Præposito, & Patricio post tantos prostratos tyrannos, idest Baduillam, & Teiam Reges Gothorum, & Bucelenum Ducem Francorum, nec non & Sineualem Erolum, Mediolanum, vel reliquas ciuitates, quas Gothi destruxerant, laudabiliter reparatas, de ipsa Italia à superscripto Augusto remotus est.* Ex his liquet, minùs rectè Baronium existimasse, ante Iustini initia Narsetem ex Italia à Iustiniano reuocatum, quòd in Corippo legerat, sub initia imperantis Iustini Narsetem Ducem celeberrimum vna cum Tiberio, alijsque Constantinopoli adfuisse. Canit Corippus describens inaugurationem Iustini.

*Armiger interea Domini vestigia lustrans
Eminet excelsus super omnia vertice Narses
Agmina, & augustam cultu præfulgurat aulam.*

Et non sit dubium, infert vir insignis ad annum 568. Num. 11. ipsum iam antea fuisse Constantinopolim reuocatum. Sed Mario illius temporis Scriptori credendum est. Porro Narses, de quo Corippus loquitur, erat Armenus, & ab Eunucho Narsete diuersus. Extat de utroq; Narsete egregium testimonium Procopij lib. 2. belli Got. *Erat is, inquit, Narses spado, & sacrarum largitionum Comes &c. Militum quatuor millia eum sequebantur, quibus sui in cohortes præfecti summe præerant, Iustinus Dux Illyricorum, & Narses alter, qui ex Armenijs Persæ subditis ad Romanos transfugerat olim cum Aratio fratre.* Hic postea Romanos exercitus summo cum imperio rexit sub Mauricio ex lib. 5. Simocætæ.

Anno 568. Italicæ quieti infestis Numinibus Longobardi à Narsete, vt nobiles Scriptores prodidere, inuitati, Alboino Rege ductore in Italiam descendentes Aquileiam, ac vicina Venetiæ oppida vno ferè impetu occuparunt. Ita illarum urbium Antistites à Romano imperio separati securiùs, atq; insolentiùs Synodum V. deinceps impugnarunt. Ceterùm periculosis temporibus Ioannes Pontifex animum non despondit, sed & Romanæ rei labenti opem ab Imperatore petijt, & Synodum V. defendit. Etenim ij, qui urbium Antistites consecrabantur, in Synodi Quintæ decreta iurabant, ac fidei datæ chirographum ad Apostolicam Sedem transmittabant. Horum testis venit Gregorius lib. 3. epist. 2. ad Constantium: *Et quidem, inquit, si quid de tribus capitulis in quocunq; vel verbo, vel scripto nominatum est, bene fraternitas tua reminiscitur, quamuis decessor fraternitatis tuæ Laurentius districtissimam cautionem Sedi*

Apostolica remiserit, in qua viri nobilissimi ex legitimo numero subscripserunt, inter quos ego quoque tunc Urbanam præturam gerens pariter subscripsi. Et inferius epist. 37. ad eundem, cum accepisset ciues Brixiae à Constantio exigere iuramentum, quo testaretur, se tria capitula minimè condemnasse, hæc scribit: Quod si decesserit fraternitatis vestra Laurentius non fecit, à vobis queri non debet: Si autem fecit, cum vniuersali Ecclesia non fecit, & cautionis sua iuramenta transcendit. Sed quia eundem virum sua credimus sacramenta seruasse &c. Hæc quidem contingere Gregorio vrbana præturam gerente, qua Iustino iuniori imperante ille perfunctus est. In Menologio Græco iussu Basilij Imperatoris edito hæc leguntur de Gregorio: *Imperante Iustiniano factus est hic S. Gregorius Monachus in monasterio prope Romam. Hæc sanè falsò asseruntur; nam cum Longobardi Mediolanum cepere nondum Laurentius Mediolanensem Ecclesiam regebat. Paulus Diaconus lib. 2. hist. Longob. cap. 25. scribit: Alboin igitur Liguriam inuadens in dictione ingrediente tertia tertio Nonas Septembris sub temporibus Honorati Archiepiscopi Mediolanum ingressus est. Indictio tertia inchoata est mense Septembri anno 569. At Gregorius sub Laurentij Episcopi initijs se Prætorem Urbis fuisse testatus est. Honoratus Genuam cum plurimis clericis, ac ciuibus se recipiens paulò post diem obiit. Tunc duo electi sunt Mediolanensium Antistites; et enim exules apud Genuam Laurentium nominarunt circa annum 571. Mediolani verò meliori, ac maiori parte ciuium exulante, Fronto quidam veluti vacuam sedem occupauit, de qua re Ripamontius lib. 8. hist. Eccles. Mediolanensium & Vghellus in tabulis illius Urbis Episcoporum. Tanta verò Mediolanensium multitudo Genuæ morabatur, vt postea Laurentio etiam mortuo S. Gregorius illis inconsultis nouum Præsulem eligi noluerit. Scribit lib. 2. epist. 30. Ioanni Subdiacono, qui nomine Sedis Apostolicæ noui Episcopi electioni interesse debebat: Genuam te proficisci necesse est; Et quia multi illic Mediolanensium coacti barbarica feritate consistunt, eorum te voluntates oportet conuocatis Clericis in communi perscrutari &c.* Quare anno 571. Laurentius ad Ioannem Papam cautionem transmisit, qua tria se capitula damnare iureiurando affirmabat, quam syngrapham cum alijs nobilissimis viris Gregorius tunc Prætor Urbanus subscripsit. Summus Ecclesiasticorum annalium conditor in alienam prorsus sententiam iuit de tempore, quo Gregorius Urbanam præturam obiit; vnde respondere facillè posset, Laurentium anno demum 581. mortuo æmulo Episcopo, cum solus Mediolanensium sacra regeret, cautionem ad Apostolicam Sedem transmisisse. Quæ sanè illius opinio est. Sed Laurentium, qui aduersus schismaticum Episcopum Apostolicæ Sedis fauorem quouis officio demerere studebat, adeo tardè cautionem Romam transmisisse, mihi nullatenus probatur?

Iustinus Imperator barbarorum exercitibus vndiq; laceffitus, aduersarij valetudine conflictatus, cum de successore cogitaret, neminem Tiberio viro strenuo, ac religioso imperio digniorem putauit. Quare Idibus Nouembris anni 574. Tiberium Cæsarem designauit, qui dies Iustino natalitius erat, eo enim post Iustinianum ad imperium euectus fuerat. Ita sentit magnus Chronologus Panuinius. At Chronicon Alexandrinum hæc habet: *Hoc octauo imperij sui anno Septembri mense die VII. Octaua indictione morbo correptus Iustinus Augustus Tiberium Cæsarem creauit, nominauitq; illum Constantinum, & vixit cum eo quatuor*

quatuor annos. Sed ex sanctione ad Theodorum de filijs colonorum &c. post Nouellas Iustiniani adhuc vno mense prior Tiberij electio adstruitur, nam scribitur *Data Tertio Idus Augusti Constantinopoli Imp. D. N. Tiberij Constantini PP. Aug. anno VIII. & post consulatum eius anno tertio, & Nob. Fl. Tiberij Mauricij felicissimi Cesaris anno primo.* Verùm Panuiniij sententia potior est, nam ex lapide Vaticano paragrapho superiori exhibito die 25. Octobris anno 577. erat Iustini XII. & Tiberij Cæsaris annus tertius. Præterea in antiquissimo codice relato à Dandulo in Synodo Aquileiensi apud Gradi insulam coacta scribitur: *Imperante Serenissimo Tiberio Constantino Augusto anno imperij eius quinto eodem Consule sub die tertio Nonarum Nouembrium Indictione 13.* Quare Idibus Nouembris anni 579. quo Tiberius erat Consul Indictione labente decimatertia, idem annum sextum inchoabat, vnde anno 574. mense Nouembri, vt rectè meus conciuus Panuinius docuit, Tiberius Cæsar appellatus est.

Ioanne Tertio defuncto Benedictus successerat, quo Pontifice Gregorium Præturam vrbana gessisse ante Pelagij II. initia satis solidè probatur. Baronius verò ex corrupto Euagrii textu Iustini, ac Tiberij annos vltra quadrennium auget, vnde & in chronologia Gregorij lapsus est. Quare Principum illorum tempora nobis statuenda sunt, nam & Synodi schismaticorum inde melius illustrabuntur, de quibus in sequentibus sermo instituendus est. Iustinum anno undecimo regni sui diem extremum clausisse scribit Biclariensis in Chronico, vt iam mirari desinam magnos viros Panuinium, & Sigonium obitum illius Imperatoris recitare ad annum 576. si qui tunc vivebant, minùs rectè annum obitus Iustini designarunt. Certum est anno 577. Iustinum superstitem fuisse. Narrat Eustathius Presbyter C-P. Sanctum Eutychium Patriarcham, mortuo Ioanne Scholastico à Iustiniano intruso, ab Imperatoribus Iustino, & Tiberio iterum Constantinopolim summo cum honore reuocatum, cum duodecim annorum spatio, atque eo ampliùs in monasterio à se constituto mansisset. Cap. 44. vitæ eiusdem. Quare cum anno 565. die 24. Ianuarij expulsus fuerit, anno 577. sedi restituitur; sed annum nobile caractere idem Scriptor designat cap. 54. *Reuocatus autem est, inquit, die tertia mensis Octobris, quæ erat Dominica.* Fuit annus 577. Cyclo Solis XXVI. Lunæ VIII. lit. C. quo anno tertia die Octobris Dominicum festum contigit. Ex his Baronij chronologia labitur, qui Eutychium ab exilio reuocatum scribit anno 578. Corrigendus etiam Panuinius, qui in Chronico Ecclesiastico putat, Eutychium anno 576. rediisse. At eo anno reuocati Eutychij vixisse adhuc Iustinum affirmat Eustathius testis oculatus cap. 53. *Illic enim erant, ait, pij Imperatores Iustinus, & Tiberius, qui hilariter vultu & magno cum honore Sanctum virum suscipientes, quæ temporarij conueniebant, collocuti sunt &c.* Mortuus verò est Iustinus anno sequenti die 5. Octobris ex Chronico Alexandrino, & Theophane. Marius Auenticensis illorum annorum Scriptor ait: *A. XIII. consulatus Iustini Augusti Indict. XII. Eo anno mortuus est Iustinus Augustus, & successit Tiberius in loco eius.* Indictio XII. incepit mense Septembri anno 578.

Cardinalis Baronius scribit Iustinum imperasse annos sexdecim, ac decessisse anno 582. Ibidem initio. Tiberium autem successorem solum imperasse annos quatuor, atque demum obiisse anno 586. Euagrius, qui sub Tiberio quæstoratum gessit, illum in hanc sententiam traxit, libro enim 5. cap. 23. hæc tradit:

tradit: *Sciendum est Iustinum iuniorem imperasse solum annos duodecim, menses decem cum dimidio. Cum Tiberio vero annos tres, menses undecim, in uniuersum annos sedecim menses nouem cum dimidio. Imperauit autem Tiberius solus annos quatuor. Sed planè corruptus est textus Euagrii, nunquam enim crediderim, Scriptorem insignem quadrienniij integri metachronismo lapsum, cum suæ præsertim ætatis res literis mandarit. Tiberium anno 582. mortuum esse euidentibus testimonijs probatur, nam ex characteribus cœlestibus, ac Paschalibus, qui certissimi sunt, hoc apertissimè demonstratur. Theophylactus Simocatta, qui Mauricij Imperatoris gesta descripsit, lib. 5. cap. 16. *Eo die, inquit, Sol penitus est obscuratus. Annum imperij nonum (completum) agebat. Nempe cum Mauricius per se ipsum vere ineunte exercitum in Auares duceret. Accidit hæc eclipsis die 19. Martij anno 592. Cyclo Solis XIII. lit. F. E. Nouilunium contigit Constantinopoli hora 10. 12. post mediam noctem; eam verò eruditè describit Petauus lib. 8. doctrinæ temporum num. 44. Quare si eo anno 592. die 19. Martij lapsus erat IX. annus Mauricij, cum mense Augusto idem Tiberius successerit, consequens est, ut initium eiusdem imperij contigerit anno 582. die V. Augusti ex Chronico Alexandrino. Hoc ipsum ex caractere Paschali demonstratur. Eustathius superius laudatus cap. 67. de vita Eutychie Patriarchæ scribit, eundem festo die Paschatis sacra mysteria in Ecclesia celebrasse, & vespertinas etiam ibidem preces soluisse; & statim addit: *Reuersus igitur in Episcopium in lectulo suo decubuit, vehementique febre circa mediam noctem correptus est, atque ita mansit septem dies assidue precibus incumbens.* Postea cap. 69. ait circa nonam, aut decimam noctis horam obiisse. Græci in Menologio die 6. Aprilis S. Eutychie festum celebrant, eo etiam die Surius eiusdem vitam describit ex Eustathio, atque eo die obiisse dicit Theophanes: *Hoc anno die 6. Aprilis indiætionis XV. Eutychie Patriarcha diem ultimum obiit, & post dies sex Ioannes magna Ecclesiæ Diaconus, qui Ieiunator dictus, consecratus est.* Anno 582. Paschatis festum contigit die 29. Martij Aureo numero XIII. Cyclo Solis III. lit. D. ergo eo die decumbens S. Eutychie septem dies ægrotans nocte sequenti iam illucescente die 6. Aprilis ad Superos transijt. Addit cap. 68. Eustathius: *Quatuor post mensibus à vita discessit Christi amantissimus Imperator. Quod Tiberio, cum ægrotum inuiseret, S. Patriarcha prædixerat. Quare anno 582. mense Augusto obiit Tiberius teste Eustathio, qui tunc Constantinopoli degerebat. Ex quibus constat falsò Holstenium scripsisse in diagrammate chronologico Pelagium II. misisse literas ad Aunacharium Antisiodorensem die 5. Octobris anno 582. Tiberij Augusti anno septimo, etenim ante duos menses iam Tiberius ad plures transierat. Rursus idem cap. 62. de S. Eutychie scribit: *Vixit posteaquam reuocatus est, & in sublimem sedem restitutus annos quatuor, & menses sex, ut omnes vite ipsius anni fuerint septuaginta.* Capite verò 20. tradit eundem anno ætatis quadragesimo electum Antistitem. At Eutychie reuocatus est anno 577. die 3. Octobris ex dictis superius, quare moritur anno 582. mense Aprili. Denique cum anno 552. Mennæ successerit anno ætatis 40. moritur anno 582. ætatis septuagesimo.***

Hic castiganda est palmaris hallucinatio Ricciolij, qui tomo 2. suæ Chronologiæ, ut vocat, Reformatæ in magno Chronico scribit: *Anno 582. Tiberius Imperator hoc anno, ut contra Baronium, & alios ostendimus lib. 4. chron. Ref. c. 13.*

n. 4. mortuus est die 14. Augusti, eique successit statim Mauricius. At in eadem uersa pagina postea subdit: *Anno 586. Sanctus Eutychie moritur 6. Aprilis Dominica in Albis prædicta Tiberio Imperatori cum inuisenti morte post quatuor menses, in eiusque locum successit est Ioannes Monachus cognomento Ieiunator &c. Moritur deinde Tiberius Imp. post quatuor menses circa medium Augusti, eique successit statim Mauricius. Quæ si vera essent, Scriptoris chronologiam non tantum Reformatam, sed Theomathurgam dixerim, quæ hominem à quadriennio mortuum in vitam reuocat. In hanc tamen antilogiam Ricciolius incidit, quia alienis oculis, ac manibus posterius dicta è Baronij annalibus excerptis. Quod addit anno 586. Dominicam in Albis incidisse in diem 6. Aprilis, falsum est, accidit die 21. eiusdem mensis Cyclo Solis VII. lit. F. Sed nec mors Eutychie contigit Dominica in Albis, quæ fuit 5. Aprilis anno 582. sed post dimidium noctis post Dominicam in Albis hora 9. vel 10. Quare in Menologio die 6. Aprilis eius dies anniuersaria colitur; quæ enim à media nocte accidunt, sequenti diei deputantur ex A. Gellio lib. 3. Noct. Attic. cap. 2. Corrigendus est etiam meus Panuinius, qui Eutychie mortem succedente Ioanne Ieiunatore recitat anno 580. Tiberij verò mortem anno 583. cum vterque anno 582. obierit, ille 6. Aprilis, hic 14. Augusti ex Chronico Alexandrino, & Eustathio nobis sæpius laudato.*

Hæc quidem abundè probant, Tiberium anno 578. Iustino successisse, anno verò 582. & imperium, & vitam reliquisse. Sed quia Baronius ad annum 602. in fine sexdecim tantum annos Mauricio tribuit, quem certum est anno 602. occisum fuisse à Phoca ex Gregorio Magno, Abbate Biclariensi, tunc uiuentibus, & Theophylacto Simocatta, qui familiariter usus est ijs, qui sub Mauricio fuerunt, atque octo libris huius Imperatoris gesta ad posteros transmissit, hoc ipsum ostenditur. Simocatta lib. 8. cap. 4. scribit: *Anno imperij Mauricij decimo nono nihil inter Romanos, & Barbaros gestum est. Vicesimo Petrum Præterem Europæ declarauit. Biclariensis verò in chronico hæc habet: Mauricius regnat annos XX. Ergo Baronij chronologia quadriennium Mauricij Imperio aufert. Rursus lib. 2. epist. S. Gregorij mense Septembrio indiætionis X. est annus 591. narratur depositio Laurentij Archidiaconi Romani his verbis: *Temporibus Pape Gregorij consulatus Mauricij Augusti anno septimo depositus est Laurentius. Baronius initio anni 590. scribit: Gregorius sui Pontificatus anno secundo septimum numerat annum imperij Mauricij. Annos consulatus pro imperij annis ille usurpauit. Caterum Mauricius anno tantum imperij altero inchoato consulatum accepit. Reddo laudati Simocattæ verba lib. 1. cap. 12. *Agebatur annus Mauricij secundus, cum hyeme consul creatus conscenso curru imperatorio summe conspicuus erat. Anno itaque 583. Consul fuit Mauricius, annus 584. dictus est Post consulatum Mauricij, sequens iterum post consulatum Mauricij; vnde VII. Post consulatum eiusdem est character proprius anni 591. quo & secundus Gregorij, & indiætionis decima concurrunt à mense Septembri. Gregorius iniit Pontificatum anno 590. mense Septembri indiætionis 9. At si Mauricius anno 586. mense Augusto Tiberio successisset, septimus Imperatoris annus laboreretur mense Septembri indiætionis 11. anno 592. Laurentius verò dicitur depositus: *Mense Septembrio indiætionis decima, qui est annus 591. ac iuxta opinionem Baronij sextus Mauricij, vnde nec annos consulatus pro annis imperij accipiendos****

quicquam fundamenti habet in Gregorio Baronij opinio. Legō tamen eundem ad annum 591. Num. 17. hæc scribentem: *Quod autem audis id factum septimo Mauricij anno, intellige illum inchoatum hoc anno 591. mense Augusto.* Certè ab anno 586. ad annum 591. quinque tantum anni numerantur; non ergo septimus Mauricij anno 591. inchoari poterat. Rursus lib. 4. epist. 44. recitatur Synodus Romana sub Gregorio Papa, cuius est hocce exordium: *Regnante in perpetuum Domino Nostro Iesu Christo: Temporibus pijs simorum, ac Serenissimorum Dominorum Mauricij Tiberij, & Theodosij Augustorum, eiusdem Domini imperatoris Mauricij anno tertiodécimo, indiétione tertiadécima, quinto die mensis Iulij: Gregorius Papa &c. Indiétio XIII. mense Iulio labelatur anno 595. qui cum decimus tertius numeretur Mauricij, palam fit, hunc anno 582. Imperium suscepisse.*

Eosdem verò annos imperij Mauricij inchoari ab anno 582. ex ipso Euagrio ostendo, nam vnum Euagrium cæteris omnibus tum Græcis, tum Latinis Scriptoribus vir Illustris præferendum dixit, quòd ille sub Tiberio, & Mauricio vixit, atq; summa diligentia annos Iustini, ac Tiberij computare se pronunciauit. Is anno 594. opus in libros sex digestum terminauit. Libro tertio cap. 33. ait, se illa literis mandare *anno sexcentesimo quadragesimo primo.* Loquitur iuxta epocham Antiochenam, quæ æram Christianam annis 48. anticipat, quibus à dato numero detractis, habes annum 593. quo Euagrius librum tertium scribebat. Rursus lib. 4. cap. 29. tradit biennio post captam à Persis Antiochiam sub Iustiniano ea in vrbe pestiferum morbum exortum. Porro à Cosirhoe anno 540. capta est Antiochia, vnde anno 542. morbus erupit, durans, inquit Euagrius *annos quinquaginta duos. Quæ futura sint incertum est, at tamen eo tendent, quòd placita Dei destinauerint.* Scribebat ergo illa anno 594. At in fine historiae ait: *Hic esto mihi presentis historiae finis anno duodecimo Mauricij Tiberij Romani Imperatoris.* Anno igitur 582. imperium ex Euagrio Mauricius obrinuit. Baronius ex Photij codice XXIX. *anno decimo* legendum contendit. Sed Photius apertè scribit, *τὸν Βασιλέως Μαυρικίου ἔτος δωδέκατον, imperij Mauricij anno duodecimo*; neq; enim *δεκάτον*, nempe decimum scripsit. Præterea testatur se finem libris illis imponere Ioanne Episcopo nouæ Romæ, Anastasio post annos 23. Antiochiæ restituto, & Ioanne Hierosolymitano mortuo vacante Sede. At Ioannes Constantinopolitanus Patriarcha mortuus est, non anno 596. vt putant Baronius, & Panuinius, sed anno 595. quarto Nonas Septembris ex Menologio Græco, quod legere potes in fine tomi 6. Italiae Vghelli, cum sacram Ecclesiam ad annos tredecim menses quinque integerrimè gubernasset. Electus fuerat anno 582. die 12. Aprilis. Quare epistola 15. quam indiétione 14. lib. 5. Gregorius Papa ad Ioannem mense Septembri perscripsit, mortuum eundem inuenit. Idem verò Gregorius anno 594. mense Iunio literas gratulatorias Anastasio Antiocheno ob reditum in urbem misit: Lib. 4. indiét. 13. epist. 37. Quare Euagrius neq; ante annum 594. opus terminauit, cum Anastasium Sedi suæ redditum narret; neq; post Septembrem anni 595. quo tempore obiit Ioannes Ieiunator, quo tamen viuo ille scribebat. Ex Euagrio ergo habemus Mauricius anno 582. Tiberio successisse, qui cum solus annos quatuor eodem authore imperauerit, incœpit regnare mortuo Iustino anno 578. quæ est recta, & vera illorum Imperatorum chronologia. Ex his ab indocto quodam corruptum fuisse textum illum Euagrii intelligimus,

atq;

atq; expugenda hæc de tempore imperij Iustini: *In vniuersum annos sexdecim menses nouem cum dimidio.* Vel si eiusdem Euagrii integra supputatio est, semet correctore emendetur. Hæc fusius prosecuti sumus, vt posita semel Principum chronologia annus Synodi Aquileiensis, & tempus, quo Gregorius Magnus Vrbanam præturam gessit, ac dein Monachum induit, exactius statuere tur, ex quibus Romanam Sedem vel ante Pelagij II. Pontificatum tria capitula proscripsisse contra Halloix clarissimè demonstrabitur.

Indagandum iam tandem remanet tempus, quo S. Gregorius præturam Vrbanam gerens contra tria capitula iurauit. Anno 581. id contigisse docet Baronius A. eodem num. 5. Sed non ita est; nam Gregorius Tiberio imperante Apocrisarium Sedis Apostolicæ apud Principem egit, quo tempore cum Eutychio Patriarcha de palpabilis carnis resurrectione coram Imperatore litigauit. Rem ipse describit lib. 19. Moralium cap. 29. *Tunc itaque, inquit, de hac re in longa contentione perducti grauissima à nobis cæpimus simulatione resilire, cum pie memorie Tiberius Constantinus Imperator secretò me, & illum suscipiens, quid inter nos discordiæ versaretur agnouit; Cum verò Eutychius 6. Aprilis 582. mortuus sit, ea dissensio ad annum 581. ad minùs retrahenda est, vt dici possit ex longa contentione inter vtrumq; simulatio suborta.* Quare anno 581. Gregorius haut Prætor ius Romanis dicebat, sed Pelagij legatus in regia vrbe versabatur. Idem Gregorius lib. 4. dialogorum cap. 47. de prodigijs, quæ in monasterio à se extructo contigere, verba faciens Merulam quendam sanctissimum Monachum obiisse scribit, additque: *Ad cuius sepulchrum dum Petrus, qui nunc monasterio meo præest, sibi sepulturam facere post annos quatuordecim voluisset, tanta, vt æserit, de eodem sepulchro illius fragrantia suauitatis emanauit, ac si illic florum omnium fuissent odoramenta congregata.* Porro libri Dialogorum editi sunt à Gregorio anno 593. nam pestem, quæ Romam anno 590. afflixerat, atq; Pelagium II. occiderat, à triennio accidisse memorat lib. 4. cap. 26. & 36. & Maximianum Episcopum Syracusanum, qui ex literis Gregorij ad Cyprianum lib. 4. epist. 19. obiit indiétione XIII. mense Nouembri, lib. 3. cap. 36. nunc Syracusanum Episcopum dicit, & lib. 1. cap. 7. de eodem ait: *Nunc vsque superest.* Iam verò etiam si demus miraculum illud ad Meruli sepulchrum accidisse eo ipso, quo scribebat anno 593. quod tamen antea patratum fuisse longè probabilius est, per annos quatuordecim retrocedentes venimus ad annu 579. Quare si eo anno iam constructum erat Gregorij monasterium, ac viris sanctitate illustribus florebat, dicendum videtur triennium ad minus effluxisse, ex quo Gregorius Vrbanam præturam gerebat, ea enim perfunctus est viuente adhuc genitore, quo mortuo sex in Sicilia cœnobio, vnumq; insuper Romæ in paternis ædibus construxit, vbi Monasticam professus est; quæ non tam citò contigere, quin ad minùs sub Benedicto Papa illa accidisse videantur. Certè cum ex Ioanne Diacono, qui vitam Gregorij scripsit, hic in monasterio S. Andreae Hilarione, ac Maximiano Magistris monachi vitam egerit, ac postmodum Abbas fuerit, quæ inter precum officia recitat Ecclesia in festo Gregorij, aliquot annos in cœnobio vixit. Profectò libro 3. Dial. cap. 33. de Eleuthero Abbate dicit: *Diu mecum est in hac Vrbe in meo monasterio conuersatus.* Diu ergo ille in monasterio vixit. Quare in eam sententiam relabor, vt existimem anno 571. Gregorium Vrbanam præturam obiuisse, quo anno Laurentius

nouus

novus Mediolanensium Antistes cautionem de tribus capitulis damnandis Romanam ad Ioannem transmisit. Etenim non illam misit mortuo amulo Frontone anno 581. tunc enim, ut euidenter probatum est, Gregorius Constantinopoli Apocrifarius morabatur, quare id illum executum colligimus, cum primum Mediolanensium sacris praefectus est; nam eo tempore talem cautionem ab Episcopis exigi solitam testatur Gregorius lib. 3. indict. 12. epist. 2. ad Constantium ubi ait: *Quamuis decessor fraternitatis tuae Laurentius districtissimam cautionem Sedi Apostolicae remisit, in qua viri nobilissimi ex legitimo numero subscripserunt, inter quos ego quoque tunc Urbanam praetura gerens pariter subscripsi. Quia postquam talis scissura pro nulla re facta est, iustum fuit, ut Sedes Apostolica curam gereret, quatenus unitatem uniuersalis Ecclesiae in sacerdotum mentibus per omnia custodiret.* Vides ergo à nouis Episcopis transmitti solitam cautionem, qua tria capitula eiurabant. Illam ergo Laurentius misit anno 571. & sub id temporis relictus Gregorij urbana praetura statuitur. Quare teste eodem Pontifice à Pelagij I. temporibus, quando in Italia ob tria capitula plerique Episcopi à Romano Pontificis communionem discesserant, dum quisque novus Antistes eligebatur, scripto tria capitula damnabat, ac ad Romanum Pontificem chirographum transmittabat, ut iam Halloix aperta falsitatis reus habeatur, qui Benedictum, ac Ioannem decessorem tria capitula minimè damnasse, affirmare non dubitauerit. Annus, quo Gregorius Monachum induit, certus figi non potest, attamen post annum 571. id accidisse ex dictis liquet. Cum verò ex recitato miraculo ad sepulchrum S. Meruli anno 579. Gregorij monasterium viris sanctitate illustribus floreret, intra illud septennium Monachatus eiusdem initia fruenda veniunt. Interim mihi planè certum videtur, Gregorium à Pelagio Secundo & Diaconum, & Apocrifarium ad Tiberium electum fuisse; etenim in praefatione ad libros Moralium haec ait: *Eo quoque tempore, quo ad ministerium altaris accessi, hoc de me, ignorante me, actum est, ut sacri ordinis pondus acciperem, quatenus in terreno palatio licentius excubarem.* Eo igitur consilio à Pelagio Diaconus factus est, ut ad Tiberium Apocrifarius mitteretur, nam Diaconi eo munere iuxta antiquam consuetudinem fungebantur teste eodem Gregorio lib. 11. epist. 34. ad Phocam Augustum.

S. I V.

Schismaticorum Episcoporum Synodus apud Gradum cogitur. Pelagius II. literis dein per Smaragdum Exarchum eosdem compescere conatur. Plurium Scriptorum de Patriarchis Aquileiensibus Schismaticis dicta corriguntur. Pelagium Vigilij Constitutum nouisse contra Halloix demonstratur.

Benedictus exacto in Pontificatu quadriennio ad superos transijt. Successit alter Pelagius, cuius initia Holstenius post Sigonium, ac Panuinium in diagrammate laudato ponit anno 579. die 9. Nouembris. Non assentior, nam anno 579. die 18. Februarij scripsit Pelagius ad Heliam Antistitem Aquileiensem, & anno eodem tertio Nonas Nouembris idem Pelagius sedebat exactis Synodi Gradensis, ut mox patebit. Sed neque anno 577. initia Pelagij statui possunt cum Baronio, quia Abbas Biolariensis, qui tum temporis vive-

bat,

bat, annos XI. illum sedisse scribit: quod etiam antiqua manu infartum lego Chronico Tunonensis perperam ad annum 37. Iustiniani. Obijt autem Pelagius die 8. Februarij 590. Anno ergo 578. Pelagius fit Pontifex. Vniuersa Italia Synodum V. receperat. Soli Transpadani, Istri, ac Veneti, eidem refragabantur, quod eo securius faciebant, quòd sub Longobardorum imperio debebant: vnde contra Romanum Pontificem pro tribus capitulis acerrimè diu ab ipsis pugnatum est.

Paulinus, quem literis ad Narsetem datis Pelagius I. insecutus fuerat, capta à Longobardis Aquileia sacram omnem supellectilem in Gradi insula, quae propè urbem in aestuarijs sita est, seruandam curauerat, illo verò mortuo, atque eiusdem successore Probindo intra annum extincto, Helias Archiepiscopus renunciatus fuerat. Hic cum Aquileiae inter Christianae rei infensissimos hostes haud tutò se degere posse animaduertit, Pelagium II. rogauit, ut Metropolitana sedes Gradum transferretur, ubi & templum Martyri Euphemiae sacrum aedificarat. Pelagius tum ut initio Pontificatus Schismaticorum Principem collatis beneficijs erga Apostolicam Sedem reuerentiosem faceret, tum quòd sub Romano imperio videntem facilius ad obedientiam reuocari posse intelligebat, Heliae precibus annuit delegato etiam Laurentio Presbytero, qui cum literis Pontificijs Synodo prouinciae ea de causa celebrandae suo nomine adesset. Coacta est Synodus apud Gradum die 3. Nouembris anno 579. Illam recitat Dandulus in historia Veneta MS. eamque refert Vghellus tomo 5. Italiae sacrae in tabulis Aquileiensium Patriarcharum, cuius hocce legitur initium: *Imperante Serenissimo Tiberio Constantino Augusto anno imperij eius quinto eodem consule sub die 3. Nonarum Nouembris Indictione 13. Sunt nobiles characteres, quibus fasti Panuini, & aliorum corriguntur; nam ex praemissa dissertatione Chronologica constat annum illum esse 579. nostrae Epochae. Panuinius tamen anno 580. Tiberij consulatum ponit; sed anno superiori prius Consulatum fuisse constat ex Chronico Alexandrino, ubi habemus haec ipsa: Indictione XII. Tiberij I. Tiberio iuniore Constantino primum Consule. Qui cum anno 578. Iustino successerit, anno nouo consulatum iniuit. Hoc ipsum patet ex subscriptione Tiberij paulo ante mortem Mauricio iam ad imperium vocato, in qua scribitur: *Post consulatum eius III. quae posita est s. praecedenti. Cum verò decretum illud emissum sit anno 582. palam est, anno 579. Tiberij consulatum recitandum. Praeterea tertio Nonas Nouembris labebatur annus V. Tiberij, quod optimè inscriptioni superius posita quadrat. Ex hoc etiam codice Synodali Baronij sententia de longiori Iustini imperio refellitur, ac Pelagij tempora melius innotescunt.**

Lecta est epistola Pelagij Papae, cuius in his verbis summa continentur: *Quapropter vestro compatibles maioris necessitudinem, imò etiam rabiem furentium dependentes Longobardorum, inclinati precibus vestris per huius praecipi seriem supra scriptum Castrum Gradense totius Venetiae cum omnibus vestrae Ecclesiae pertinentibus etiam Istriae Metropolim perpetuò confirmamus. Dicitur epistola data XII. Kal. Martij Imperatore Tiberio II. Augusto. Lectis literis acclamatum ab omnibus: Exaudi Christe, Pelagio vitam: omnes uno consensu Sanctissimi Pelagij praecceptionem, & vestram sequimur confirmantes sententiam. In fine verò Epiphanius iussus est, Patrum decreta legere, statimque definitio fidei Synodi Chalcedonenis lecta est, pro*

N

illa




illa enim Synodo Antistites illi mordicus stabant. Episcopi subscripti non eodem modo in laudato codice Danduli, & in MS. Barberina Bibliotheca num. 247. quod apud eundem Vghellum in tabulis Gradenfibus legitur, exhibentur.

- Helias S. Ecclesie Aquileiensis Episcopus his gestis subscripsi.*
- Laurentius Presbyter Apostolica Sedis Legatus.*
- Marcianus Episcopus S. E. Opitergina.*
- Leomanus Episcopus S. E. Teboricensis.* *B. Leonianus Tiborniensis.*
- Petrus Episcopus S. E. Altimatis.*
- Vindemius Episcopus S. E. Cenetensis.*
- Clarissimus Episcopus S. E. Celicana.* *B. Clarissimus Concordiensis.*
- Patritius Episcopus S. E. Hemonensis.* *B. Petrus.*
- Maxentius Episcopus S. E. Iulienensis.* *B. Velienensis.*
- Seuerus Episcopus S. E. Tergestina.*
- Solatus Episcopus S. E. Veronensis.*
- Ioannes Episcopus S. E. Parentina.*
- Aron Episcopus S. E. Auentiensis.* *B. Auoricensis.*
- Marcianus Episcopus locum faciens viri beatissimi Ingenuini S. E. Sederesina.*
- Virgilius Episcopus S. E. Scarauasiensis.* *B. Carauasiensis.*
- Fonteius Episcopus S. E. Feltrina.*
- Ingenuinus Episcopus secunda Rhetia.* *In codice Eminentissimi*
- Agnellus Episcopus S. E. Tridentina.* *Barberini hi quinque*
- Marcianus Episcopus S. E. Petenensis.* *insuper numerantur.*
- Ioannes Episcopus S. E. Celeiane.*

Extat in Bibliotheca Vaticana codex Num. 3922. in quo pag. 24. iidem Episcopi cum actis eiusdem Synodi recitantur. Illi autem Antistites Aquileiensis Metropolitae subiecti erant, cuius amplissima erat iurisdictio, nam à Pannonia Secunda vsque ad Abduam in Insabria extendebatur. Continebat Rhætiam Illi cuius metropolis Sabio, vbi erat Episcopus S. Ingenuinus: Noricum, cuius primaria vrbs erat Tiburnia ad Dravum, quod patet ex vita S. Seuerini Noricorum Apostoli, Teurnia Plinio lib. 3. cap. 24. quare Leonianus Tiburniensis dicendus venit. Denique complectebatur Istriam, Forum-Iulium, ac Venetiam, quæ prouinciæ vno Istriæ nomine id temporis, ac in Sexta Synodo vulgò appellabantur. Virgilius Scarauasiensis in Pannonia Episcopus fuit, hinc puto legendum Scarabantiensis, quæ vrbs non procul à Danubio propè lacum sita erat, & in Norico ponitur à Plinio proximè laudato. Huius vrbs ciues olim S. Quirini Episcopi corpus Romam detulere ex Surio die 5. Iunii in vita eiusdem. Ex his Aquileiensis Metropolitæ diocesis amplitudo patet. Maxentius rectè in codice Danduli scribitur Episcopus Iulienensis, nam & hoc pacto inscriptus legitur in pseudosynodo Maranensi. Palladius lib. 1. rerum Foro-iulensium scribit, hunc Maxentium fuisse Vtinensem Episcopum, tunc enim Vtinum, inquit, Iulium, seu Foro-iulium promiscuè dicebatur; addit sedisse eundem statim post Asterium, qui interfuit Synodo Romanæ sub Hilario Papa, cuius decessor fuit Theodorus Foro-iulienensis, ad quem extat Leonis Papæ epistola 89. Hæc profectò à vero exorbitant. Nam Theodorus ille, ad quem scribit S. Leo, fuit Episcopus Foro-iulienensis in Gallia: est autem Foro-iulium

lium in Prouincia Narbonensi, Octavianorum olim colonia Plinio memorata vrbs lib. 3. cap. 4. quam veterem, & illustrem coloniam vocat Tacitus initio vitæ Agricolaë soceri, qui eandem urbem habuit patriam. Idem verò Theodorus cum Lerinensibus Monachis litigauit, vnde celebrata est sub Rauennio Synodus Arelatensis. De hoc Theodoro alia diximus lib. 2. hist. Pelagianæ cap. 3. & 11. Asterius Theodori successor viuebat tempore Synodi ab Hilario Papa celebratæ anno 465. Basilisco, & Herminero Cos. nam eandem subscripsit, vt ex actis patet. Quomodo ergo huic immediatè successit Maxentius, quem post centum & quatuordecim annos sedisse certum est? Foro-iulium in Italia erat in diocesi Episcopi Aquileiensis, neque vnquam Episcopum habuit ab Aquileiensi Metropolitâ distinctum, vt mox ex Paulo Diacono Foro-iulienfi ostendam. Theodorum verò vti suffraganeum Metropolitæ monet S. Leo: *Solicitudinis quidem tuæ is ordo esse debuerat, vt cum metropolitano tuo primitus de eo, quod quaerendum videbatur esse, conferres.* Maxentius erat Episcopus Iulij Carnici. *Iulienfes Carnorum* Plinio dicti lib. 3. cap. 19. nunc Zuglio dicitur tribus M. P. supra Tolmetium oppidum. Paulus Diaconus libro 6. de gestis Longobardorum capite 51. de Fidentio Episcopo scribit: *De Castro Iulienfi cum voluntate superiorum Ducum intra Foro-iuliani castrorum muros habitauit, ibique sui Episcopatus sedem statuit.* Ex quibus patet Iulium, & Foro-iulium haud fuisse vnâ, eandemque Urbem, vt putabat Palladius. At Callistus Patriarcha Aquileiensis, qui tunc Cormonæ residebat, indignatus, inquit idem Diaconus, *quod in eius diocesi cum Duce, & Longobardis habitaret Episcopus, vi Fidentium expulit.* Itaque Foro-iulium erat in diocesi vrba Antistitis Aquileiensis, ad quam urbem Iulio Carnico destructo permittentibus Ducibus Longobardis Fidentius se receperat; atque etiamnum Forum-iulium est in diocesi Patriarchæ, neque vnquam proprium Episcopum habuit. Fuit autem Foro-iulium vrbs prouinciæ quondam primaria, ac Principum sedes. Cluverio, Sabellico, aliisque doctioribus est *Ciuidal di Friuli* ad Natisonem. At Henricus Palladius lib. 4. rerum Foro-iulien. contendit, Vtinum esse Forum-iulium. Mihi tamen hæc opinio probari nequit, nam Paulus Diaconus ciuis Foro-iulienfis lib. 5. de gestis Longobardorum cap. 23. de Sclauis scribit: *Congregata valida multitudine uoluerunt super Foro-iulianorum castrum irruere. Et venientes castra metati sunt in loco, qui Broxas dicitur, non longè à Foro-iulio.* Cum verò Wectaris Dux prouinciæ cum paucis contra barbaros moueretur, ait: *Quem Sclauis cum paucis venire conspicientes irriserunt, dicentes, Patriarcham contra se cum Clericis aduentare. Qui cum ad Pontem Natisonis, qui ibidem est, ubi Sclauis residebant, propinquasset, cassidem sibi de capite auferens, vultum suum Sclauis ostendit.* Ex his constat, Vtinum non esse antiquum Foro-iulium, longiùs enim abest à Natisone. De quo tamen nolo cum Vtinensibus, quos sacras apud ipsos conciones habens anno 1668. meo amantissimos sum expertus, in præsentis litigare. Clarissimus Episcopus Ecclesie Celicanæ, in MS. Barberino Concordiensis appellatur, ego quidem Celicanæ legendum arbitror, etenim Concordia ab Attila funditus euerfa, huius vrbs Episcopus Celinam se contulit. De hoc oppido, quod in diocesi Concordiensis nobile fuit, agit pluribus Cluverius lib. 1. Italiae antiquæ cap. 18. Apud Maniacum in lapide *Celinenses* inscribuntur. Reliquæ vrbes, quarum Episcopi in memorata Synodo leguntur, notissima sunt, vnoque aspectu videri



deri possunt in tabula Cluverij laudati cap. 16. itemq; de illis agit Vghellus rōmo 5. Italiae sacrae. Nonnulli etiam illorum Episcoporum memorantur Paulo Diacono in historia Longobardica. Agnellus Tridentinus ab Agilulpho legatus missus fuit ad Francorum Regem lib. 4. cap. 1. Libro vero tertio cap. 27. quinque ex iisdem nominat, itemq; alios tres, sed textu plane corrupto, ut paulò post nobis adnotabitur.

Hæc itaq; Synodus Metropolitanam Sedem Aquileiensem Gradum transtulit apud Ecclesiam S. Euphemiae ab eodem Helia in ea insula extructam. Cæterum in hac Synodo contra V. Concilium Schismatici Episcopi iterum iurarunt vano eo prætextu, ne Synodus Chalcedonenfis læderetur. In laudato enim Chronico Aquileiensi ita legitur: *In qua Synodo quicquid de Chalcedonenfi Concilio dubitabatur, pulsa dubitatione confirmatum est.* Et apud Dandalum habemus eos Episcopos *demonstrata Synodo Chalcedonenfi* subscripsisse. Has vices Apostolicæ Sedi retulere, quæ dum nouo fauore Sedem Metropolitanam procul à barbarorum incursionibus tutiori loco reponi concedebat, specioso illo titulo Synodi Chalcedonenfis defendendæ veluti per cuniculos ab ingratis impetebatur. Certè eo beneficio Schismaticis collato nihil Pelagio peractum est. Ex illa autem Sedis translatione factum est, ut Metropolitanæ promiscuè Aquileienses, vel Gradenses dicerentur; ita S. Gregorius Seuerum Helia successorum Episcopum *Aquileiensem* dixit lib. 1. epist. 16. *Gradiensem* verò lib. 11. epist. 38.

Posthac Tiberio Principe Orthodoxo, ac religiosissimo Persico bello occupato, atq; anno 582. defuncto, Schismatici periculosis temporibus in rebellionem perseverarunt. Etenim Longobardi in dies imperium per Italiam protendebant, neq; Exarchi à Mauricio Imperatore in Oriente bellum gerente eas supetias accipiebant, queis hostium vires frangere, aut sustinere salutem possent. Schismatici, quòd sub Barbarorum imperio viuebant, securius in errore perseverabant; pauci verò Episcopi, qui maritimis Istriæ Urbibus præerant, haud vi ad obedientiam cogi poterant, ne ad proximos Longobardos rebellarent. Denique cum anno 586. Longobardi Francorum Regis cum validissimis copijs aduentum reformidantes inducias cum Flavio Smaragdo Exarcho statuisent, Pelagius Pontifex, quod iam diu in votis habuerat, tandem adnixus Schismaticis ad Ecclesiam reducendis manum admouit. Itaque Redemptum Episcopum, vnàq; Quodvultdeum Abbatem ad eosdem Legatos cum literis misit, ut rogati ad pacem venirent. Erat Redemptus Episcopus Ferentinus laudatus à S. Gregorio lib. 3. Dialogorum cap. 38. & paulò post hanc legationem decessit, nam à septennio illum obijisse scribit, cum dialogos exararet, quos constat ex dictis anno 593. ab eodem conscriptos esse. Porro literarum Pelagij hæc erat inscriptio, exordiumq; *Dilectissimis Fratribus Elia, alijsq; Episcopis, vniuersis filijs in Ecclesia Istriæ partibus constitutis Pelagius Episcopus S. E. Catholice Urbis Romæ.* Quòd ad dilectionem vestram fratres, filijq; charissimi nostratardijs scripta dirigimus, non maleuolæ voluntatis, aut dissimulationis, vel negligentie fuisse credatur, sed, sicut vestris, temporalis qualitas, & hostilis necessitas hæcenus impediuit &c. Postea ergo quam Deus omnipotens pro felicitate Christianorum Principum per labores, & sollicitudinem filij nostri Excellentissimi Smaragdi Exarchi, & Chartularij sacri palatij pacem nobis interim, vel quietem donare dignatus est,

cum

lum omni sollicitudine festinamus presentia ad vos scripta dirigere hortantes, & obsecrantes, ne in diuisione Ecclesie ulterius quisquam studeat permanere &c. Pluribus inculcat in sola vnitatis fidei procul à schismate homines saluari posse, deinde concludit: *Si quid forte cause est, unde vestri scandalizati animi videantur, manentes in vnitatis charitate, eligite de fratribus, ac filijs nostris, quos ad nos inquirendo, de quibus mouemini, transmittere debeatis, & parati sumus secundum præceptionem Apostolicam, & cum charitate eos suscipere, & cum humilitate ad placita satisfactionis reddere rationem, & sine impedimento aliquo cum omni dilectione, quando reuertentur, voluntate sincerissima relegare.* Quo anno datæ sint hæc literæ, non indicatur, sed ex inducijs à Smaragdo stabilitis anno 586. scriptæ intelliguntur.

Helias, ac collegæ Pelagij legatione audita tantum abest, ut à diuturno schismate discesserint, quin potius Apostolicam Sedem non minis, sed precibus secum agere animaduertentes, ac proinde in superbiam elati suos & ipsi cum literis Nuncios Romam miserint, execrabili superbia mandantes, ut literis Papæ datis, ne verbum quidem supra adderent. Non despondit animum Pelagius, sed quòd aberrantes oues ad Domini caulam reuocaret, iteratò ad eosdem scripsit. In ijs autem literis de Istrorum ad se missis nuncijs ita fatur: *Scripto nobis quasi capitulare, vel interdictum potius ostenderunt, nihil inunctum sibi à vobis aliud asserentes, nisi ut vestra tantummodo essent portatores epistolæ, in qua tamen nullam rationis satisfactionem quæsisse vos legitur, sed velut iudicatum quia expressisse. Adeo superbe cum Apostolica Sede illi Episcopi agebant, quasi iam summi premi essent Ecclesie iudices. Porro eorum vecordiam, ac tumorem perstringens Pelagius ait: Nolite ergo amore iactantie, quæ superbiæ semper est proxima, in obstinationis vitio permanere, quando in die iudicij nullus vestrum excusare se valeat, & neq; THEODORVS MOPSVSTENVS neq; Iba epistola, quæ ab aduersarijs est prolata, ante tribunal tanti Iudicis vobis valeat subuenire.* Hortatur iterum, ut suorum quosdam Romam mittant omnium rationem lucidissimam percepturos, vel si eos itineris incommoda remorantur, Rauennam saltem quosdam delegent, & illic, inquit, *Rauenna fiat congregatio Sacerdotum, quòd nos etiam, qui loco nostro intersint, diuinitate propitia dirigemus, à quibus satisfactionem plenissimam capiatis, ne amplius anime simplices diuisæ à S. Ecclesia pro superfluis quæstionibus tam longa obstinatione remaneant, nec per vos, quos Dominici gregis decet esse Pastores, oues à septis Ecclesiasticis euagantes rapacis lupi dentibus consumantur.* At illi & factum defendere, suamq; stultitiam Pelagio instillare longiori epistola pertentarunt. Quare benignissimus Pater tertio iam tandem rebelles filios prolixa satis ad eosdem data epistola monere non destitit, in qua lacrymabundus hæc præfatur: *Dum nihil apud vos reperi admonitionis meæ verba proficere, fletus, gemitusque cum propheta cogor exclamare, curauimus Babylonē, & non est sanata &c. Penetrate quæso hoc, quòd dicere nisi singultu interrumpente non valeo, longo diuisionis sensu quanto mentis frigore fraternitas vestra torpuerit, quæ nec confrieta recalescit.* Deinde Synodum Chalcedonensem, quòd ad fidei decreta spectat, nihil per Conciliū V. læsam ostendit, idq; ex S. Leonis epistolis probat. Apostolicam Sedem fatetur initio per Vigilium Papam noluisse tria capitula damnare, quæ tamen causa postea diligentius discussa Vigilio eodem Authore proscripsit; ibique Theodorum hæreticum ex SS. Patribus ostendit, ac Theodoretum libros con-

tra



tra S. Cyrillum, itemq; epistolam Iba omnino damnandam esse demonstrat. Illud verò quàm maximè Pelagio displicebat, quòd Istri Episcopi ab Apostolica Sedis communionem se suspenderant, contra quam etiam interdictum teste eodem publicarant. Quare in hisce postremis literis grauiissimum eorundem crimen arguens ait: Cur non ad memoriam pro unitate seruanda B. Augustini dictum reducitur? qui dum de unico baptismate loqueretur, idcirco Cyprianum Martyrem, qui de iterando baptismate scripserat, defunctum perhibuit, quia licet prauum quid senserit, nunquam tamen se à totius Ecclesie communionem suspendit. Has literas Pelagij Papae scriptas fuisse à S. Gregorio author est Paulus Diaconus lib. 3. de gestis Longobardorum cap. 20.

Sed ne hilum quidem profecit Pelagij patientia diuturnior. Quare cum fardis se canere intelligeret, abiecto calamo armata manu cum Schismaticis agendum ratus Smaragdum Exarchum contra eosdem per literas concitauit, qui Pontificis iussa impigrè executus minaces ad Heliam, reliquosue, qui sub Imperatoris potestate erant, literas dedit obedientia erga Apostolicam Sedem imperata. At illi coacta Synodo Oratores ad Mauricum mittere decreuerunt, à quo etiam, ne quid molestiae ipsis inferretur, subdola statim arte impetrarunt. Hoc tradunt Schismatici in libello ad eundem Mauricum sub Gregorio Papa transmissio: Dum Smaragdus, inquit, gloriosus Chartularius Patrem nostrum sanctae mem. Heliam Archiepiscopum Aquileiensis Ecclesiae pro causa ipsa pluribus vicibus contristaret, cum nostrum omnium consilio, atq; consensu direxit ad praestigia principatus vestri preces supplicans, ut expectata Dei misericordia, reuocatis omnibus consacerdotibus Synodi nostrae in potestatem sanctae Reipublicae, ad vestrae clementiae praesentiam veniretur, & vestrum in ipsa causa expectaretur iudicium, quod pietas vestra mansuetudinis ad mercedem, & laudem imperij sui clementi dignatione suscipiens, iussione suam dedit ad praedictum gloriosum Smaragdum, ut nullatenus quemquam Sacerdotum pro causa communionis inquietare praesumeret. Ita stultissimi Episcopi (hoc enim nomine eos S. Gregorius fugillat) ad profanum Principis tribunal fitti volebant. Quare Mauricus Smaragdo, ne quid noui contra Schismaticos moliretur, iniunxit, ne prouinciae illae à Barbaris vexatae nouis tumultibus importuno prorsus tempore implicarentur. Caeterum paulò post Heliam decessisse iidem affirmant, cui in Synodo sufficitur Seuerus Rauennas. Paulus Diaconus citatus ita scribit: Pelagus Heliae Aquileiensi Episcopo nolentia tria capitula Chalcedonensis Synodi suscipere epistolam satis utilem misit, quam D. Gregorius, cum adhuc esset Diaconus, conscripsit. Qui sanè author rem ignorauit. Helias etiam pro tribus capitulis Synodi Chalcedonensis tutandis schisma fouebat. Hinc planè vulgata apud Scriptores rerum Foroiulensium de Heliae opinio reiicienda est; etenim in Manichaeorum illum haesim delapsam fingunt, indeq; Pelagij Papae literis reuocatum, quod in elogio in aula Patriarchali Vrini eidem Heliae inscripto etiamnum legitur, quam Manichaeam haesim Heliae quoque successoris Seueri perperam affricant, ut mox apparebit.

At Smaragdus, cum accepisset Seuerum pro tribus capitulis acerrimè depugnare, veritus ne & vicinas regiones schismate inficeret, cum Istriae Vrbes inuiferet, classem ad Gradum appulit, Seuerum in Ecclesia cepit, ac militari licentia iniurijs, ac verberibus lacepsitum secum Rauennam deduxit, ubi eoram Ioanne Archiepiscopo tria capitula damnare coactus fuit. Sigonius lib.

1. de regno Italiae ad annum 586. Panuinius lib. 5. Antiquit. Veronen. cap. 9. Rubeus lib. 4. hist. Rauennat. eosque secuti Recentiores Palladius lib. 1. hist. Foroiulien. Vghellus tom. 5. Italiae sacrae in tabulis Patriarcharum Aquileiensium scribunt, Seuerum Rauennae Ioanne Episcopo cogente Manichaeorum haesi nomen dedisse: Ioannem, illum inquam Antistitem doctissimum, cui & S. Gregorius Magnus libros de cura Pastoralis statim Pontifex nuncupauit, ac tot literas dedit, eiusq; morti se indoluisse testatus est lib. 4. epist. 23. tanto crimine infamantes. Sinistra illa opinio ex Pauli Diaconi errore proximè memorato effluxit. Caeterum vnà cum Seuro Rauennam deportati etiam fuerant tres alij Episcopi Ioannes Parentinus, Seuerus Tergestinus, ac Vindemius Cenetensis ex Chronico M S. Aquileiensi, qui anno 579. Synodo sub Helia apud Gradum interfuere, & hi quoq; tria capitula damnarunt. Hic Pauli Diaconi textus corrigendus est, qui cum lib. 3. cap. 27. dicat tres Episcopos cum Seuro Rauennam deductos, postea in fine capituli editionis Grotij eos veluti quinque recenset hoc pacto: Seuerus, Parentinus, Ioannes Patrius, Vindemius, ac Ioannes; nam ita prorsus legendum est: Seuerus Tergestinus, Ioannes Parentinus, Vindemius. Idem verò Scriptor ibidem ait de Smaragdo, vi illos in Ioannis Rauennatis sententiam adegisse: Quibus, inquit, comminans exilia, atq; violentias inferens communicare compulsi Ioanni Rauennati Episcopo trium capitulorum damnatori, qui tempore Vigilijs, vel Pelagij à Romana Ecclesia desciderat societate. Ita Catholicum Episcopum, ac Romanae fidei vindicem ob historiae ignorantiam ab Apostolica Sede rebellem fingit. Hinc deceptus Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus lib. 3. de vitis Sanctorum cap. 86. Ioannem Rauennatem Haeticum, Schismaticos verò Sanctos Episcopos nuncupauit. De hac Seueri captiuitate haec scribunt Schismatici ad Mauricum: Post hoc ordinato in Sancta Aquileiensi Ecclesia beatissimo Archiepiscopo nostro Seuro, quae contumelia illatae sint, & quibus iniurijs, ac caede corporali fustium, & qua violentia ad Rauennatem ciuitatem fuerit perductus, atq; redactus in custodiam, quibusue necessitatibus oppressus, atq; contritus fuerit, potuit ad Domini nostri pias aures sine dubio peruenire. Ex quibus patet, errare Sigonium dum scribit, Smaragdum ob captum, vexatumq; Seuerum à Mauricio ex Italia reuocatum dato eidem successore Romano Patricio, nam Schismatici hoc minimè reticuisent, neq; an factum Imperatori innotuisset, subdubitassent. Manuscripta Aquileiensi Smaragdum uti sacrilegum à Dæmone inuasum fuisse comminiscuntur, haec enim Schismatici publicabant, quos plebem in errore detinerent, idem etiam à Paulo Diacono libro citato dicitur à Dæmonio non iniuste correptus. Caeterum Seuerus, ac collegae post annum liberi dimissi sunt.

Interim ubi per Istriam, ac Venetias vulgatum est, Seuerum, ac collegas Rauennae tria capitula condemnasse, eorum praesentiam singuli quique fugiebant, nec ante communioni Ecclesiasticae admissi sunt, quàm in Synodo iterum pro tribus capitulis cautionem dato Sacramento praestarent. Indicta autem fuit Synodus Marani, quod munitissimum modò Venetorum oppidum est stagnis Adriatici maris ferè circumdatum in Foroiulensi littore ad Celinam amnem situm. Decem Episcopos eò conuenisse scribit Paulus Diaconus lib. 3. cap. 27. Post haec, inquit, facta est Synodus decem Episcoporum in Marano, ubi receperunt Seuerum Patriarcham Aquileiensem dantem libellum erroris sui, quia

trium capitulorum damnatoribus communicarat Rauenna. Nomina ver  Episcoporum in editis libris ita recensentur: *Petrus de Altino clarissimus, Ingenuinus de Sabione, Agnellus Tridentinus, Junior Veronensis, Horuntius Vicentinus, Rusticus de Taruifio, Fonteius Feltrensis, Agnellus de Acilio, Laurentius Lunensis.* At si decem conuenere, cur nouem tantum Schismaticorum nomina exprimuntur? Et hic error in codicem irrepsit, nam clarissimus mal  apponitur, vt epithetum Petro Altinati, est enim nomen Episcopi Concordiensis, qui anno 579. alteri Synodo interfuit. Itaq; hoc pacto legendum est, Petrus de Altino, *Clarissimus de Concordia.* Laurentius etiam Bellunensis dici debet, neq; enim Lunensis Episcopus in Liguria ad Macram erat suffraganeus Aquileiensis Metropolitanus, & in altera Synodo proxim  habita scribitur Laurentius Bellunensis: est autem Bellunum Veneti  vrbs. Porro omnes fer  illi Episcopi Synodo anni 579. nomen dederant. Taruifinus tamen, & Vicentinus tunc non adfuere, & Solacio Veronensi Junior subrogatus fuerat. De hoc Iunior scribit meus Panuinius lib. 5. Antiq. Veronen. cap. 9. interfuisse Maranensi Synodo, in qua Manich o errore damnato Seuerus iterum & su  Sedi, & Ecclesi  Catholic  redditus fuit. Qui S. Ingenuini Sabionensis gesta perscribere, idem testatur, imo inter sacra officia precum Ecclesi  Brixinensis in Rh tia hoc ipsum recitatur, sed qu m procul   vero ista abeant, fatis manifestum est. In Patriarchali aula Utini hocce elogium inscriptum legi. *Seuerus... Rauennam iniuriose ductus, coactusq; Manich is assentire   Gregorio I. Papa ad Catholicam veritatem redire reuocatus, quam in Episcoporum prouinciali Synodo public  professus sancte vixit, obiitque.* Ita & muri suas fabulas cantant. Quid enim veri in tota illa inscriptione? Nec Rauenn  Manich is, sed Catholic  Ecclesi  assensus est, nec   Gregorio Papa id actum, cum enim hic Pontificatum iniit,   triennio Smaragdus Constantinopolim redierat, & initio statim sui Pontificatus questus est Gregorius cum eodem Seuero, quod   fide Rauenn  data describitur lib. 1. epist. 16. Qu m ver  sancte vixerit, qui peruicax, in quo diu fuerat schismate, mortuus est, vt dicemus, nemo non videat.

Anno 590. Pelagius II. & Longobardorum armis, & Schismaticorum diffidij turbata Italia, ac Rom  pestilentia s uiente, eadem ictus   vita discessit. Hic Synodum V. non solum decretis tutatus est, verum etiam integram ea de re volumen proculdit, de quo h c scribit S. Gregorius lib. 2. Indict. 10. epist. 36. ad Episcopos per Hiberniam. *Vt igitur de tribus capitulis animis vestris ablata dubietate possit satisfactio abundanter infundi, librum quem ex hac re sancte mem. decessor meus Pelagius Papa scripserat, vobis utile iudicavi transmittere. Quem si posito voluntari  defensionis studio, puro, vigilantiq; corde sapius volueritis relegere, eum vos per omnia secuturos, & ad unitatem nostram reuersuros nihilominus esse confido.* Quod ver  Pelagius Ecclesi  quieti, ac Sancti V. Concilij dignitati prospiceret, vim etiam per Smaragdum adhibuit, memor sententi  dudum contra eosdem Aquileienses Schismaticos   Pelagio decessore lata: *Eos ab ipsorum Apostolicis Sedibus aut attrahi ad salutem quoquo modo necesse est, aut ne aliorum perditio esse possint, secundum canones per seculares comprimi potestates.* Ita vnus Narsetem, alter Smaragdum in Schismaticos concitauit. Adeo ver  Synodi V. vindicem Pelagius sese ostendit, vt in epistola tertia ad Istros tria capitula condemnarit, & in eadem etiam cum Quinta Synodo Origenem inter h reticos

cos reiecerit, imo eundem omnium h resiarcharum pessimum fuisse pronunciauerit, h c Apostolico ore tonans: *Quid namq; in H resiarchis Origene detestatus? & recitatis magnis Origenis pr conibus concludit: Nec illum   reatu proprio fauor alien  attestacionis excusauit.*

Obijt Pelagius die 8. Februarij, vacauit Sedes menses septem, peste enim grassante alij ali  saluti consulturi diuerterant. Scribit Baronius Pelagij mortem tardi s Hispanis innotuisse, vnde S. Leander Episcopus Hispalensis hoc anno 590. Hispali Synodum die 4. Nouembris celebrans eandem ad Pelagium confirmandam transmisit, qui tamen nono abhinc mense mortuus fuerat. Reddo insignis Scriptoris verba ad hunc annum num. 21. *Fuit ista Synodus prouincialis, cui interfuerunt octo Episcopi, qui tria in Synodo decreta firmata ad Pelagium, quem viuere putarent, direxerunt. At non ita est. Nam decreta illa directa sunt ad Pegasium, non ad Pelagium. Erat Pegasius Episcopus Astigitanus: est vrbs in Hispania B tica, quam Plinius lib. 3. cap. 1. Coloniam cognomine Augustam Firmam dixit. Quare cap. 2. eiusdem epistol  legimus: Hanc formam non solum vestra, hoc est, Astigitana seruabit Ecclesia &c. & cap. 1. dicitur. Decessor tuus sancte recordationis Gaudentius Episcopus. Ex quibus non Pelagium, sed Pegasium legendum esse constat. In magna Synodo Toletana anno superioris pr sente Reccaredo celebrata subscriptus legitur *Seruandus Diaconus Ecclesi  Astigitan  agens vicem Domini mei Pegasij Episcopi.* Qu  dedita opera adnotauit, quia in notis ad vitam Pelagij II.   Ciacconio editam eundem errorem repetitum legi. Plerunque enim magni Scriptoris nomen sine examine fidem cuiilibet dicto facit.*

Qu  huc vsque descripsimus Pelagij Pap  gesta in fauorem Synodi V. nouitij Origenis defensoris consilium comprimere debuerant; sed cui facile fuit Oecumenic  Synodi decreta   mille annis ab Ecclesia adprobata proscindere, haud eidem Romani Pr sulis sanctiones reijcere in religionem venit. Quidnam effugij   Pelagij sententia tam celebri, tam manifesta, tam vbique recepta excogitauit? Pelagium II. ignorantia insimulauit. Do hominis verba: S. 19. pag. 363. scribit: *Pelagium Secundum non vidisse Constitutum Vigilij, & falsis Concilij V. actis deceptum.* Hinc gloriabundus ob publicatum   Baronio Vigilij Constitutum, quod nec Pelagio, nec Gregorio Magno, c terisque Pontificibus innotuisse putat, h c ipsa fatis deridicula effatur S. 18. *Iam igitur circa V. Concilium faciam, Deo adiuuante, vt aliquid aperiatur, quod per diu clausum fuit, & id cognoscatur, quod dolo non solum malo, sed etiam pessimo seculis pluribus latuit. Et est illud quidem eiusmodi, vt ad causam maxime pertineat, & cuius defectu multa falsa pro veris recepta sint, & humano errore ad plurimos transmissa posteros. Hominis, si fas est ita loqui, iactantiam refellam, palamque faciam, hunc Origenis aduocatum totius plan  caus  ignorantia, quam c teris falso impingit, laborasse. Qu so te, Halloix, nullumne verbum vnquam Pelagio seniori, nullum pluribus Italis Episcopis, nullum alicui ex numero Clero Romano, qui Vigilium Constantinopolim profecutus fuit, de hoc laudato Vigilij Constituto vnquam excidit? Hi quidem & numero, & dignitate spectabiles illud Vigilij scriptum anno 553. pridie Idus Maij subsignarant, pro eodem Vigilij Constituto defendendo in exilium deportati sunt, ac diu   patrijs sedibus exularunt, h c quoque ipsa te alti  exaggerante. Itane ob recentem Narsetis Victoriam*



te Authore Romam reduces omnium gestorum memoriam perdidere, ut nullum unquam verbum de suis calamitatibus, eorumque causis eosdem fecisset existimes? At illi nec Letheis undis sese immerferant, nec dedecori sibi ducebant, deuorata pro libertate, ac maiestate Pontificis incommoda recensere. Gestorum mentionem sapè faciebant, queis aliorum animos in noua exempla prouocarent, ita vt Vigilij Constitutum tanta constantia, ac fortitudine defensum in ore omnium esset, & Vigilij asseclis plurima Byzantij tolerantibus, ea de re latè per Vrbeni, imò Orbem literæ, ac nunciij volitarent, omnium Occidentalium regionum Episcopis eas in res intentissimis. Qui igitur fieri potuit, vt Pelagius Romanus ciuis, qui ea ætate florebat, cum ex Barone anno tantum quarto, & vicesimo à subscripto Vigilij constituto, ac peracta Synodo V. federit Romæ Pontifex, cuncta illa ignorauerit? Scito tum temporis nullum de re sacra sermonem in Romana Ecclesia eo de tribus capitulis fuisse frequentiore, rebellantibus ab Apostolica Sede Venetiæ, Istriæ, Rhætiæ, ac Norici Episcopis. Sed hoc est agere coniecturis, quæ verborum atrocibus fortè eludi possent ab aduersario: res solidius stabilienda est.

Istriæ Episcopos Schismaticos Vigilij decretum, quo tria capitula approbavit, remorabatur, ne quintam Synodum reciperent; dabo eorum verba ad Mauricium Imperatorem in libello supplici transmissa: *Vigilio*, inquit, *tunc Romano Præsuli, atque omnibus penè Sacerdotibus damnatio ipsa trium capitulorum sicut reuera contraria Sancto Chalcedonensi Concilio execrabilis noscitur extitisse. Qui etiam Vigilius scripta sua per omnes prouincias mittens anathematis vinculis obligauit omnem populum, si quis damnationi trium capitulorum praberet aliquando consensum. Et licet postea imperiali pondere ad consensum damnationis trium capitulorum ipsorum paulatim singuli tunc fuerint coarctati, nostrarum tamen prouinciarum venerandi decessores, quibus indigni successimus, prædicti quondam Vigilij instructionibus informati ad hoc inclinare nullo modo potuerunt. Quorum nos exempla, Deo propiciante, seruantes cum vniuerso populo nobis credito, sequentes etiam in omnibus definitionem Sancti Chalcedonensis Concilij capitulorum ipsorum & reuerentiam exhibemus, & à communionem damnantium cum diuina gratia abstinere dinoscimur. Audin testari illos, se Vigilij instructionibus informatos nullo modo posse in trium capitulorum damnatione cum aduersarijs conuenire? Et illi quidem Synodo V. Vigilij sententiam, quod recenter tu quoque facis, obijciebant, licet imperiali pondere coarctatum cum cæteris postea subscripsisse fateantur. Sed non modò apud Imperatorem, sed & apud Romanum Pontificem Pelagium II. eam schismatis rationem obtulerunt, quòd Vigilij priorem sententiam defendebant; hæc scribit Pontifex: Rursum per vestram epistolam dicitur à Sede Apostolica vos doctos, atque ab scribit Sanctæ Ecclesiæ, cui Deo adiutore præsumus, confirmatos, ne huic rei, quæ sub pia memoria Justiniano gesta est, consentire debeatis, atque hanc opitulationem excusationi vestræ adiungitis dicentes, quòd in causæ principio & Sedes Apostolica per Vigilium Papam & omnes Latinarum prouinciarum Principes damnationi trium capitulorum fortiter resisterunt. En Vigilij decretum in Pelagij faciem à Schismaticis illisum. At Pelagius Vigilium quidem, aliosque Episcopos Occidentis initio causæ tria capitula defendisse concedit vsque ad iniurias, ac persecutiones, sed tradit re diligentiori postea examine explorata eosdem à priori sententia recessisse, ac Synodum V. postremam voluntate approbasse. Iuvat integram Pelagij II. responsionem*

tionem exhibere: *In quibus*, inquit, *verbis ostendimus quòd res, quæ prouocare vos ad consensum debuit, à consensu vos ipsa diuellit. Latini quippè homines, & Græcitate ignari, dum linguam nesciunt, errorem tardè cognouerunt, & tanto eis celerius credi debuit, quanto eorum constantia, quousque verum cognoscerent, à certamine non quieuit: quorum consensum certè fraternitas vestra despiceret, si ausu præcipiti, priusquam verum cognoscerent, consensissent. At postquam diu ab eis laboratum est, & longo tempore ad iniurias usque certatum: hinc vestra fraternitas penset, quia tot labores repente non relinquerent, nisi quæ vera sint, agnouissent. Vides eum recitare molestias, quas Vigilius, Dacius, Pelagius, alijque tum Constantinopoli, tum alibi pro defensione trium capitulorum perpessi sunt? Inferius verò Vigilium, imò Apostolicam Sedem in Vigilio excusans, quòd sententiam mutarit in quæstione facti, hæc reponit: *Si igitur in trium capitulorum negotio aliud cum veritas quaeretur, aliud autem inuenta veritate, dictum est, cur mutatio sententiæ huic Sedem in crimine obijcitur, quæ à cuncta Ecclesia in eius Authore humiliter veneratur? Non enim mutatio sententiæ, sed inconstantia sensus in culpa est. Quando ergo ad cognitionem recte intentio incommutabilis permanet, quid obstat, si ignorantiam suam deserens verba permutet? Videsne Vigilij decretum pro tribus capitulis emissum cum veritas quaeretur à Patribus in Synodo, at per eandem Synodum inuenta veritate illum verba mutasse. Quæ omnino consonant ijs, quibus sententiæ mutata causam Vigilius ipse Eutychio dedit testatus, se initio omissa studio deinde veritatis inuenisse. Non igitur Pelagius II. Vigilij Constitutum ignorauit.**

At clamat Halloix: *Pelagium II. Papam non vidisse illud constitutum Vigilij inde probatur certissimè. Certissimè? Do aures. Quia, inquit, cum scriberent Istri doctrinam Apostolicæ Sedis per Leonem, ac successores eius esse, mortuum ab hominibus damnari non posse, Pelagius respondit: Nulla eius testimonia subdidistis, quibus hanc sententiam firmaretis. Ex his infert: Si autem Pelagius II. legisset constitutum Vigilij Papæ, ibi ea reperisset testimonia Leonis, & Gelasij, & ipsiusmet Vigilij &c. S. 19. Illa quidem testimonia in ore erant Schismaticorum, atque ea ante Vigilium adduxerat Facundus Hermianensis in libris, & epistolis pro tribus capitulis exaratis. Planè testimonia illa Leonis, & Gelasij non sunt ad rem, nec rectè adducta fuisse à Vigilio in Constituto ipsi Istri intellexere, vnde verba silentes nomen tantum Leonis Magni producerunt. S. Leo epist. 89. ad Theodorum Episcopum Foroiuensem in Gallia scribit eum, qui in peccato mortuus est, non posse absolui post mortem: *Si autem*, inquit, *aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus, quocunque interceptus obstaculo à munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia perueniat, temporalem vitam humana condicione finierit, quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit. Idipsum docuit S. Gelasius in epistola ad Episcopos Dardaniæ de Acacio, qui vivus fuerat ab Apostolica Sede damnatus: In hac autem, inquit Pontifex, persistens damnatione defunctus est, absolutionem, quam superstes nec quasiuit omnino, nec meruit, mortuus iam non potest impetrare. At hoc extra controuersiam semper fuit, nec vllus, qui tria capitula proscripsit, hoc in quæstionem vocauit, nempe hominem mortuum & damnatum ob peccata potè ab Ecclesia absolui, sed quæstio erat, an qui post mortem hæreticus vixisse probaretur, posset damnari; vnde rectè dixit Pelagius, nullius Romani Pontificis testimonio opinionem Schismaticorum confirmari. Et quidem posse talem**

damnari post S. Augustinum, & Synodum V. Pelagius I. ac reliqui Pontifices Vigilium Theodori damnationem postrema definitiua sententia publicantem secuti vnanimi consensu pronunciarunt.

S. V.

Sanctus Gregorius Magnus Synodum Quintam approbat, ac Schismaticos Episcopos Istriae compestit.

Pelagio Secundo Gregorius eiusdem paulò ante in aula Mauricij Apocri-
farius, licet inuitus, ac reluctans, die 3. Septembris suffectus fuit; vnus
enim calamitoso tempore periculorum magnitudini parem animum gerebat.
Huic verò, vt cætera, quæ præclarissima gessit, silentio præteream, maximæ
curæ fuit, Synodum V. vbique recipi, in quam rem toto ferè sui Pontificatus
tempore incubuit. Initio statim Seuerum Episcopum Aquileiensem datæ fi-
dei præuaricatorem (Rauennæ enim tribus capitulis damnatis coram Ioanne
Archiepiscopo ad Ecclesiam Romanam accesserat) Romam vnà cum cæteris
Episcopis Schismaticis euocauit. Idem quò metum rebellibus inferret, à Mau-
ricio Imperatore contra eosdem decretum obtinuerat, quo Seuero, ac collegis
idem iniungebatur. Hæ literæ Gregorij datæ sunt anno 590. mense Decem-
bri. Cum verò Principis etiam literas contra Schismaticos impetrarit, palam
fit, initio statim Pontificatus contra Schismaticos ad Imperatorem scripsisse.
Hæc Gregorius Lib. 1. epist. 16. Seuero mandabat: *Imminente latore presentium
iuxta Christianissimi, & Serenissimi rerum Domini iussione ad B. Petri Apostoli cum
tuis sequacibus venire te volumus, vt authore Deo aggregata Synodo de ea, que inter
uos vertitur, dubietate, quod iustum fuerit, iudicetur.* Eandem in rem, vti vicini-
excubabat Ioannes Rauennas Episcopus, qui iubente Gregorio egit cum Ro-
mano Exarcho, vt Pontificis, atque Imperatoris literæ per Tribunal ad Se-
uerum deferrentur. Seuerus his acceptis mandatis timere statim, ac tremere,
qui & læsæ fidei, & periurij reus esset. Illicò tamen literas ad collegas dedit
consilium, & opem implorans, qui citò citiùs Synodum coegerunt in commu-
ne consulturi. Hæc autem illis sententia stetit, ne vllus Romam ad Synodum
proficisceretur; interim literas ad Mauricium Imperatorem misere, queis fa-
cti rationem reddebant. Libellum supplicem Schismaticorum ad Imperato-
rem Nicolaus Faber ad Baronium transmisit, quem appendici IX. tomi ma-
gnus annalium Ecclesiasticorum digester inseruit. Pseudosynodus Seuero di-
strictim per literas iniunxit, ne quid noui in causa sine communi prouincialium
consilio deliberaret. In literis verò ad Mauricium Augustum datis hæc scri-
bunt: *In hoc tempore iterum cognouimus Reuerendum Papam Gregorium ad eiusdem
Patris nostri exhibitionem misisse cum sacratissima vestre pietatis iussione, vt pro causa
ipsa communionis ad Romanam deberet ciuitatem deduci. Et quidem memoratum beatis-
simum Archiepiscopum Seuerum nostrum frequenti contestatione conuenimus, ne nobis ab-
sentibus, & a se ad presens diuisis de communi causa Ecclesie aliquid valeat desinire.*
Hæc insuper addentes: *Contriti, atq; luctu grauisimo sauciati ad ultimam despe-
rationem peruenimus, vt ad illius iudicium Metropolita noster cogeretur occurrere, cum
quo causa ipsa esse dinoscitur, & cuius communionem ab initio motionis causa huius*

nunc

nunc decessores nostri, & nos cum omni populo euitamus. Quò verò Imperatori po-
pularium dissensionum metum incuterent, addidere: *Sic accensi sunt omnes homi-
nes plebium nostrarum in causa ista, vt ante mortem perpeti, quam ab antiqua Catholica
patiantur communionem diuelli.* Nec mirum: prauam enim opinionem contra Sy-
nodum V. ex Magistrorum doctrina viri prouinciales induerant. Illud ve-
fanam eorum mentem publicat, quòd Apostolicæ Sedis iudicium declinan-
tes de Catholico dogmate Imperatoris sententiam sequi mallent: *Sint inducie,
inquiunt, & cum iussione sacratissimi imperij vestri parati erimus ad pedes vestre
pietatis occurrere, & nostræ fidei, atq; communionis plenam reddere rationem. Nam
cum quo nobis causa est, & quem in communionem vitamus, iudicem experiri non possumus,
quod etiam sacratissimis legibus vestris statutum est, nullum posse iudicem esse
in causa, qua aduersarius comprobatur. Sed sicut semper Deus presentia Christianorum
Principum contentiones Ecclesiasticas sedare dignatur, hoc & nunc fieri supplicamus.*
Nomina Episcoporum, qui memoratum conuenticulum conflarunt, hæc ipsa
sunt.

Ingenuinus Sabionensis in secunda Rhetia.

Maxentius Episcopus Iulienensis.

Laurentius Bellunensis.

Augustus Concordiensis.

Agnellus Tridentinus.

Iunior Veronensis.

Fonteius Feltrensis.

Felix Taruisinus.

Horontius Vicentinus.

Quod enim in editionibus Baronij Horontius dicatur Episcopus Ecclesiæ
Venetinae, & Agnellus Traiectinae, error est ex codice Fabri corrigendus ex
subscriptione Synodi Gradensis sub Helia anno 579. Noui tamen Episcopi
suffecti fuerant, nam Solacio Veronensi Iunior, Clarissimo Concordiensi Au-
gustus, Rustico Taruisino Felix successerant, prauis tamen decessorum opinio-
nibus imbuti. Huic autem Synodo nec Seuerus, nec quispiam alius ex Istria
Episcopus adfuit, horum enim Vrbes maritimæ in Imperatoris potestate per-
seuerabant, & Longobardi barbari, ac suspiciosi homines ægrè ferebant sua-
rum Urbium Episcopos cum ijs, qui Imperatori subiectas vrbes regebant,
conuenire.

Interea Seuerus apud Gradum Synodum alteram cum Istriae Episcopis ha-
buit, atq; in vnam sententiam itum, vt à Pontifice Cæsarem appellarent.
Hinc tres epistolæ ad Mauricium missæ sunt; vtraq; Pseudosynodus scripsit,
priuatas etiam Seuerus addidit, quod ex rescripto Mauricij ad Gregorium in-
telligitur. Callidi homines Imperatori assentantes contestati sunt, quoti-
diana vota, ac preces se fundere pro Principum incolumitate, & victorijs: ni-
hil sibi magis cordi esse, quam vt eiectis barbaris afflictissimæ prouinciæ pa-
ce data, vel saltem pactis inducijs ad Imperatorem accedere possent, eiusdem
sententiam audituri. Mauricius hisce literis acceptis à priori sententia di-
scessit, atque hæc Gregorio rescripsit: *Quia igitur & tua Sanctitas cognoscit pre-
sentem rerum Italicarum confusionem, & quòd oportet temporibus competenter versari,
iubemus tuam Sanctitatem nullatenus molestiam eisdem Episcopis inferre, sed concedere*

eos

eos otiosos esse, quousq; per prouidentiam Dei & partes Italiae pace aliter constituantur, & Episcopi Istriae, seu Venetiarum iterum ad pristinum ordinem redigantur. Mauricij, ac Schismaticorum literas Baronius exhibet in appendice tom. 9. Etenim uerebatur, ne vi adhibita Istros ad Longobardos prouiores faceret, sub quorum dominio liberè poterant in schismate perdurare. Eadem mandata accepit à Mauricio Romanus Exarchus, à quo cum hæc ipsa intellexisset Ioannes Rauennas, certiore per literas Gregorium fecit, qui respondit: *De causa uero Episcoporum Istriae omnia, quæ mihi uestra fraternitas scripsit, ita esse iam ante deprehendi in uestris insersionibus, quæ ad me à pijsissimis Principibus uenerunt, quatenus me interrim ab eorum compulsione suspenderem. Ego quidem pro uestris, quæ scripsistis, zelo, atq; ardori uestro ualde congaudeo, debitoremq; me uobis multipliciter factum profiteor. Scitote tamen, quia de eadem re Serenissimis Dominis cum summo zelo Dei, & libertate rescribere non cessabo.* Lib. 2. epist. 32. Hic est ille Ioannes, à quo ad hæresim impulsus Seuerum, aliosq; Istriae Episcopos Sigonius, Panuinius, Rubeus, ac Scriptores rerum Foroiuliensium perperam prodidit, ut superius adnotauimus. Cæterum Gregorius nihil obtinere potuit à Mauricio uiuente Romano Exarcho viro inertis, atq; auaro, nec non Gregorio semper infesto, unde Sanctus Pontifex ad Sebastianum Serinensem Episcopum semel scripsit: *Romanis in nos malitia gladios Longobardorum uicit.* Ioannes quidem scripserat incensam à barbaris Aquileiam, Seuerum, ac ciues inopia rerum laborare, cui iisdem in literis tale responsum Pontifex dedit: *De hoc, quod dicitis incensam ciuitati Seueri Schismatici eleemosinam esse mittendam, idcirco uestra fraternitas sentit, quia quæ contra nos premia in palatium mittat, ignorat. Quæ etsi non transmitteret, nobis confiderandum fuit, quia misericordia prius fidelibus, ac postea Ecclesie hostibus est facienda.*

Sub id ferè temporis Gregorius ad Schismaticos etiam literas dedit, nam Ioanni Rauennati scripsit mense Iulio, Schismaticis uero mense Augusto. Illi quidem significauerant, grauem se pati persecutionem, gloriari tamen, quod pro fide tot molestias subirent: addebant, quod à recepta V. Synodo in præscriptionem Chalcedonensis Concilij inter alias prouincias maximè flagellaretur Italia. Imperatoris etiam recentia decreta obiecerunt, quæ inter funestissimi belli tumultus quicquam innouari uetabat. Gregorius graues hæc sententias reposuit: *Persecutio, dum non rationabiliter sustinetur, nequaquam proficit ad salutem. Martyrem non facit pœna, sed causa. Incongruum nimis est de eorum uos, quam dicitis, persecutione gloriari, per quam uos constat ad æterna premia minime prouehi. Reducat ergo charitatem uestram tandem integritas fidei ad matrem, quæ uos generauit Ecclesiam.* Postea exemplo Romæ id temporis à Gothis captæ, cum Vigilius Constantinopoli existens Theodorum Augustam damnarat, affligi etiam iusto Dei iudicio Italiam ostendit, vel cum maximè Romani Pontifices recta imperant. Scio hæc epistolam, quæ recitatur lib. 2. num. 36. Indiæ. X. inscribi: *Vniuersis Episcopis per Hiberniam.* Et reapse ad Hibernos datam putat Baronius ad annum 566. & cum eo Bollandi operis continuatores Godefridus Henschenius, & Daniel Papebrochius uiri doctissimi, & non modò de hominibus, uerùm etiam de Superis benemeriti ad diem 12. Martij in notis ad cap. 1. lib. 3. de uita S. Gregorij Papæ. Sed cum ea tempestate nullos de tribus Capitulis in Hibernia tumultus fuisse sciamus, nulla enim id ueterum monumenta prodidit, non assentior. Consului codices Vaticanos,

& nus-

quousq; Romanus Exarchatum tenuit, nulla Gregorio spes adfuit, Schismaticos corrigendi. Illi Apostolicæ sedi rebelles prauos mores induerant, scribente eodem Gregorio lib. 7. epist. 67. *Peruersi autem homines, qui trium capitulorum occasione reperta Ecclesiasticam disciplinam fugiunt, de suis carnalibus actibus reprehendi pertimescunt, subesse Sedis Apostolicæ præceptis nolunt, & nos quasi de fide reprehendunt, quam ipsi nesciunt. Et dum neq; in fide recti sunt, neq; in bonis operibus* & nusquam Hiberniam in laudatæ epistolæ epigraphe legi. In Codice num. 617. pag. 46. item in altero num. 618. pag. 28. ita inscripta legitur epistola illa 36. *Gregorius uniuersis de trium capitulorum causis.* At in codice num. 620. pag. 34. inscribitur: *Vniuersalis de trium capitulorum causa.* Ioannes Diaconus lib. 3. cap. 1. scribit de Gregorio: *Iam Ligures, Venetos, Hibernos, aliosq; à schismate sub libello confessos Chalcedonensem Synodum uenerari compellens ad unitatem S. Ecclesie reuocarat.* Et certè P. Lupus ad Episcopos Iberiæ, non Hiberniæ scriptam illam epistolam arbitratur in notis ad Synodum V. cap. 6. Sed neq; hoc uero consonat; nam Iberi, seu Hispani Gregorio Ecclesiam regente non erant diuisi ab unitate Ecclesie, immò in Synodis Toleti anno 589. Hispali 590. Romanam Apostolicam fidem cum Rege Reccaredo susceperant, quod ad quæstionem tertiam eodem capite fatetur P. Lupus. At illi Episcopi, quibus scribit Gregorius, erant Schismatici, ut ex datis uerbis Gregorij patet, quod & in fine epistolæ repetit inueniens: *Tanto citius ad Matrem uestram, quæ filios suos expectat, & inuitat, Ecclesiam redeatis, quanto uos ab ea quotidie expectari cognoscitis.* Quare Hispani Episcopi haud eas literas accepere. Video quidem S. Isidorum pro tribus capitulis Schismaticis fauere, ut cap. 9. S. 2. in fine monstratum est. Sed uir doctissimus illa dixit, quod rem non intellexit, nisi ex Tunonensis Chronico, ac Facundi Hermianensis libris: nullas ea de re Gregorij epistolas legit, quod de eo testatur S. Idelphonsus Archiepiscopus. Et ipse Isidorus in libro de scriptoribus Ecclesiasticis cap. 27. duas ad Leandrum, qui Isidori & frater, & decessor fuit, literas Gregorij se tantum uidisse testatus felicem illum dicit, qui cætera tanti Pontificis scripta perlegerit. Profectò si illa epistola scripta est ad Hispaniæ Episcopos, quomodo Isidorus Gregorij coætaneus illam ignorasset? erat enim encyclica ad omnes prouinciarum Episcopos. Non uidisse uero illam Isidorum certum etiam est, eò quod Theodorum nunquam insignem Ecclesie Doctorem dixisset, qui in eadem epistola asseritur *non iniuste damnatus.* Ex his sanè mihi certum est, epistolam illam trigessimam sextam scriptam esse ad Episcopos Istriae, nam & illi schismatici erant, & eo ipso tempore à Gregorio pati se persecutionem conquerebantur, & Ioannes Diaconus ex literis Pelagij I. corrigendus est, qui scribit ad Narsetem, *Ligures, Venetos, Istrios* Episcopos schisma conflasse. Errat uero idem Scriptor, dum asserit, Schismaticos Gregorio compellente Synodum Chalcedonensem ueneratos esse, cum illi ob præsentem uenerationem erga Synodum Chalcedonensem Gregorio, uti diximus, contradicerent. Rursus alter palmaris eiusdem error emendandus est, dum lib. 4. cap. 38. scribit Seuerum ab Exarcho Rauennam deductum, *ubi ueritus cum Gregorio Synodalem habere conflictum ad unitatem S. uniuersalis Ecclesie mediante Ioanne Rauennate Pontifice remeuit.* Nam hæc sub Pelagio Pontifice, & Smaragdo Exarcho contingere, Gregorio uero ad Synodum euocanti Mauricij literis fretus non obtemperauit.

Quousq; Romanus Exarchatum tenuit, nulla Gregorio spes adfuit, Schismaticos corrigendi. Illi Apostolicæ sedi rebelles prauos mores induerant, scribente eodem Gregorio lib. 7. epist. 67. *Peruersi autem homines, qui trium capitulorum occasione reperta Ecclesiasticam disciplinam fugiunt, de suis carnalibus actibus reprehendi pertimescunt, subesse Sedis Apostolicæ præceptis nolunt, & nos quasi de fide reprehendunt, quam ipsi nesciunt. Et dum neq; in fide recti sunt, neq; in bonis operibus*

inten-

intenti, student, ut certare pro fide videantur; sicq; fit, ut quotidie deteriores fiant, dum in eis culpa profecit, quæ quasi de zelo feruoris videri etiam laudabilis appetit. Neque vero in pessimos mores plebs schismaticorum sola deflexerat, cum nihilo melior fuerit ipsorum Præfulum vita. Ipsi populi ad fidei unitatem accedentes contra eosdem ad Mauricium hortante Gregorio Papa profecti sunt. Eos autem commendatitijs literis Pontifex prosequutus ait: *Latores presentium, qui de Istricorum schismate ad unitatem Ecclesiæ Deo miserante reuersi sunt, multa de prauitate Episcoporum, qui in illis partibus sunt, conqueruntur, & quia ea pro re Constanti-nopolim festinantes &c. Anno 598. mortuo Rauennæ Romano Callinicus nouus in Italiam Exarchus aduenerat; quare Gregorius reducendis schismaticis totus incubuit. Sed nec illi segniter rem curabant; nam ad Callinicum mandata à Principe impetrarunt, quæ illi iniungebatur, ne Istriæ Ecclesiæ ob Schisma vlla molestia afficerentur. Idem Mauricij decretum missum fuit ad Basilium strenuum Romani exercitus Ducem, ac Gregorij amantissimum. Porrò cum hic ad schismaticos compescendos per literas à Pontifice hortaretur, regijs se decretis impediri respondit, cui Gregorius rescribens ait: Quod autem exemplar iusionis, quæ ad vos pro Schismaticorum defensione transmissa est, mihi ostendi voluistis, pensare sollicitè dulcissima mihi vestra Excellentia debuit, quia quamuis iusio ipsa subrepta est, non tamen in ea vobis præceptum est, ut venientes ad unitatem Ecclesiæ repellatis, sed ut venire nolentes hoc incerto tempore non compellatis.* Lib. 7. epist. 9. Degebat in Basilij aula Iustinus vir eloquentissimus, sed schismaticus; at Gregorius Basilium rogauit, ut hunc Romam mitteret schismati-eiuraturum, vel hoc præstare recusantem ab obsequio dimitteret dicens: *Vbi dominus Iustinus consilium præbet, qui pacem cum Catholica Ecclesiâ non habet, ibi non possunt hæretici aduuci.* Ibidem.

Interea Caprulæ Episcopus (est autem Caprula insula in æstuarijs Veneto- litori proxima Caorle modò insulanis nuncupata) cum vniuersa plebe ad vni-onem Ecclesiasticam accedere volens, Callinicum Exarchum conuenit. Quod ubi Seuero, qui è proximo in rem Schismaticorum vigilabat, innotuit, Epi-scopum à sancto proposito dimouit. Quæ cum plebs accepisset, per nuncios à Gregorio Catholicum Episcopum postulauit. Gregorius cum Mariniano Antistite Rauennate Ioannis successore per literas egit, ut eiectum Episco-pum ad vni-onem Ecclesiæ hortaretur, qui si peruicax in Schismate perstitisset, Orthodoxum Episcopum Caprulanis consecraret, eamq; insulam, inquit, in sua diœcesi habeat, quousq; ad fidem Catholicam Istrici Episcopi reuertantur, ut & unicuiq; Ecclesiæ suæ diœceseos iura seruemus, & destituto à Pastore populo non desit protectio, & cura regiminis. Hæc sunt vera initia Episcopatus illius insulæ, quæ tamen tabulæ Vghelli tomo quinto ex Dandulo statuunt ad annum 605. quasi Episcopus Concordiæ nolens Schismaticis communicare eò cum plebe se re-ceperit. At ex Gregorio, qui primus Caprulæ sedit Episcopus, ex Pannonijs ue-niens renunciatus fuerat, & eodem Episcopo uolenter expulso alius illic fuerat ordina-tus. Lib. 7. epist. 10. Indiçt. II. inchoata, hoc est anno 598. Ad eosdem Ca-prulanos literas humanissimas dedit lib. 7. epist. 99. inscriptas *Gregorius habi-tatoribus Capræ insulæ.* Sanè Viri militares Gregorij vota sedulò promouebat. Basilus Mauricij Dux strenuam operam nauabat, quò Schismatici à rebellio-ne recederent. Hinc gratias eidem viro illustri referens Gregorius: *Inter alia* inquit,

inquit, laudanda, quæ agitis, qualiter vos contra Istricorum schisma pro unitate Ecclesiæ amoris olim feruor accenderit, & multorum testificatione, & nostrorum modò planè re-latione cognouimus. Vnde Redemptoris nostri misericordiam exoramus, ut sua vobis in omnibus gratia suffragetur, & effectu vos implere tribuat, quod velle concessit. Lib. 7. epist. 93. Hic Basilus victorias nuper ex Sclauis reportauerat ex epist. 9. ac pro pace cum Agilulpho Rege Longobardorum egerat, ex epist. 102. eius-dem libri septimi. Mastaloni, itemque Theodosio viris illustribus, quòd ei-dem rei incumberent, actæ gratiæ epistola 94. & epist. 95. Gulsarem militum Magistrum hisce commendat: *Cognouimus namque, quòd inter curas iniunctæ vobis gubernationis illarum partium, nempe Istriæ, præcipuam de animarum lucris sollici-tudinem habeatis, & ita errantium corda ad unitatem festinare vos Ecclesiæ reuocare, ut quantum ad desiderium vestrum pertinet, nullum illic ab Apostolica segregatum rema-nerere uelitis Ecclesiæ.* Et postea: *Quantalibet enim sit temporalis affluentia, vel cer-tè prosperitas, habet finem suum terminum mortis. Hoc verò quòd de animarum lucris apprehendistis studium, tenet fixam spei suæ certitudinem, æternæ scilicet vite retribu-tionem.* Cum Marcellinus vir magnificus à Mauricio ad regiam euocatus esset, quòd in causa Istricorum laborauerat, Anatholio etiam, atque etiam eundem commendat.

Verùm non solùm virorum, sed & Reginarum operam ad tollendum Schis-ma implorauit. Cum accepisset Theodelindam Agilulphi Longobardorum Regis vxorem à Constantij Episcopi Mediolanensis communionem se suspen-disse, quòd ille tria capitula dato sacramento damnasse dicebatur, literas ei-dem destinauit lib. 3. epist. 4. in quibus Synodum V. laudat, ac defendit. Theodelinda ab Episcopis quibusdam seducta, quorum sanè vnus erat Episco-pus Brixien-sis ex lib. 3. epist. 37. ab Ecclesiæ Catholice communionem se se-gregarat. Cum verò Gregorius à Constantio intellexisset, illis literis, in-queis Synodi V. mentio erat, posse Reginam offendi, iterum ad eandem re-scripsit nihil de illa Synodo interlocutus; hæc literæ datæ sunt mense Iunio in-dictione XII. anno scilicet 594. In eis autem Gregorius professus est quatuor se Synodos recipere, addens anathema illi se dicere: *qui earundem quatuor Syno-dorum maximè autem Chalcedonensis, de qua quibusdam imperitis hominibus nata est superstitionis occasio, fidei addere, vel demere præsumit.* In eandem sententiam etiam ad Constantium scripsit eundem monens, ut Brixiensibus ita responderet, ut sub anathematis interpositione fateamini, neque vos aliquid de fide Chalcedonensis Syno-di imminuere, neque eos, qui imminuunt recipere, & quoscunque damnauit damnare, & quoscunque absoluit absolueret. Schismatici enim illud ad nauseam vsque incul-cabant, à Romanis Pontificibus Chalcedonensis Synodi fidem decurtari; de qua responsione Gregorij inferiùs ex eodem, & Pelagio II. plura addemus. Hal-loix lib. 4. q. 10. S. 12. priorem epistolam, in qua mentio Synodi V. habeba-tur, suppressam à Gregorio objicit, ne Regina scandalizaretur. Aliam verò, in qua nec verbum de illa Synodo dicitur, obtrudit, inculcatque. Sed & legen-da illi fuerat libri duodecimi epistola septima ad eandem Reginam, ex qua non modò Synodum V. à Theodelinda recepram fuisse intelligimus, sed & Secundini Abbatis contra eandem obiecta fuisse à Theodelinda ad Gregorium transmissa, ut datis solutionibus dubia illa dissolueret. Gregorius tamen podagræ dolores causatus haud celere responsum dedit; hæc autem scribit:

Eam tamen Synodum, quæ pia memoria Iustiniani tempore facta est, per latores præsentium transmissi, ut prædictus filius meus dilectissimus ipsam relegens agnoscat, quia facta sunt omnia, quæ contra Sedem Apostolicam, vel Catholicam Ecclesiam audierat. Hæc posteriores literæ datæ sunt Indiæ. 7. inchoata anno 603. Idem Pontifex cum Brunichilda etiam Sigeberti Francorum Regis coniuge egit, ut Schismaticos, qui in Gallijs degebant, ad Ecclesiam reuocaret, hæc ad eorum ignominiam scribens Lib. 7. epist. 5. Nam non ob aliud ignorantia sue hæcenus cecitate uoluntur, nisi ut Ecclesiasticam fugiant disciplinam, & peruersè habeant, ut uoluerint uiuendi licentiam, quia nec quid defendant, nec quid sequantur, intelligunt. Quod ultimum exemplo legati à Brunichilda ad se missi confirmat, ita ut is, inquit, qui ad nos à uestra Excellentia missus est, cum quaereretur à nobis, cur ab uniuersali Ecclesia separatus existeret, se ignorare professus sit; sed neque quid diceret, neque quid aliud audiret, uoluit scire. Extat etiam lib. 7. epistola 53. ad Secundinum Monachum, in qua Iba epistolam iure damnatam probat addens: Hæc paucis dixi, quia ex quibus præcipue causis hæc in re dubitationem tua charitas habeat, in epistolis non inueni. Ita ille indictione II. cuius post quinquennium nempe indictione VII. difficultates postea cognouit.

Sed quotidie Gregorij conatus pro profligando schismate diuinum Numen prosperabat. Prudentius, & Petrus Istriæ Episcopi per Castorium Gregorij Notarium eidem significarunt, optare se Romam ad ipsum pergere, modo nulli molestiæ obnoxij fierent, quibus Pontifex singulari humanitate in hæc uerba rescripsit: Hortor dilectissimi fratres, ut ad me uenire, sicut præfatus sum, debeat, dummodo ratione percepta ad concordiam sanctæ uniuersalis Ecclesiæ dissensio uos nulla dissociet. Hoc tamen certa sit uestra charitas, quia uos & cum affectu quo decet suscipiam, & cum gratia relaxabo, nec aliquam uos, uel quoscunque alios qui pro hac ad me causa uenire uoluerint, afflictionem, uel molestiam sustinere permitto. Hi quidem ad Ecclesiam accesserunt, & Catholicum etiã Episcopum Candianum Patriarcham Gradensem consecrarunt, ut ex literis Ioannis Schismatici Aquileiensium Episcopi inferius dicemus, ubi nominantur Petrus, & Prouidentius Episcopi Istriæ. Firminum etiam Tergestinum Episcopum Seueri Schismatici successorem, cum ad Ecclesiam uenisset, literis fouit: Nobis ergo inquit, omnino curæ erit de fraternitatis tuæ quiete, ut dignum est, cogitare, quia postquam nobiscum iam Deo protegente unus es, non aliter utilitates tuas, quam nostras attendimus. Sacram etiam uellem eidem cum literis dono misit lib. 10. ep. 38. At Seuerus Aquileiensis Episcopus Firmini conuersione intellecta, infremuit ac rabie plenus arte, & vi illum aggressus est. Libeat hæc à Gregorio accipere: Seuerus Gradiensis Episcopus, ait, eiusdem caput Schismatis eum, nempe Firminum, diuersis præmiorum cepit, si posset, suasionibus à bono reuocare proposito, quod cum perficere posse Deo adiutore minime ualisset, seditionem illi suorū ciuium excitari non timuit. Quanta uerò prædictus frater, & coepiscopus noster Firminus ex eadem impressione pertulerit, plenius illic, ac uerius à uicino poteritis agnoscere. Lib. 11. epist. 38. Scriptæ sunt hæc literæ anno 603. ad novum Italiæ Exarchum Flauium Smaragdum, quem Mauricius iterum Italiæ præfecerat. Hic ante sedecim annos, cum eodem magiltrato fungeretur, hunc ipsum Seuerum captiuum Rauennam deduxerat; quare inde ipsum commendans epistolam orditur Gregorius, Olim nouimus, inquit, Excellentissime fili, quo desiderio, quauē conuersione

animi pro adiuuanda Dei Ecclesia in Istriæ uidelicet partibus zelo Redemptoris nostri amore eterne mercedis studij uestri feruor extiterit. Et iterum: Excellentiam quæ propter uestram paterno salutantes affectu petimus, ut zeli uestri in hac causa olim exhibitum, nunc uehementius feruor incandeat, tantoque uos contra hostes Dei uindices, defensoresque reperiant, quanto apud Deum preciosior est anima, quam defensio corporis. Armet uos contra deuios ipsa, quæ in uobis fidei uiget rectitudo, redintegretur uestris temporibus, quod in illis est partibus scissum corpus Ecclesiæ. Ex quibus patet, falsum esse, quod Paulus Diaconus ait, Smaragdum ob captum sub Pelagio Papa Seuerum à Dæmone correptum, & quod addit Sigonius, ea de causa à Mauricio dignitate priuatum, cum Gregorius ob illud rectè factum Smaragdum plurimum commendet, & ex præteriti facinoris memoria in nouum iterum contra Seuerum dandum exemplum prouocet. Hæc paulò ante occisionem Mauricij contigere.

Cum Schismatici ad Ecclesiasticam unionem redibant, iuramenti formulam à Gregorio conflata recitabant, quam exhibuit S. Pontifex lib. 10. epist. 31. At Cardinalis Baronius in addit. ad tomum 9. ait desiderari in Gregorij libris fidei professionem, quam recitabant Schismatici, dum ad Ecclesiam reuertebantur, accepisse se illam tamen à Nicolao Fabrò, quam ibi inserit. Sed profectò eadem iisdem omnino uerbis habetur libro 1. epist. 24. ad Patriarchas in fine, incipit ab illis uerbis, Præterea, quia corde creditur ad iustitiam usque ad finem epistolæ. Etenim hic in Ecclesia mos id temporis uigebat, ut quoties (uerba sunt Gregorij) in quatuor præcipuis Sedibus Antistites ordinantur, synodales sibi epistolas uicissim mittant, in quibus se sanctam Chalcedonensem Synodum cum alijs generalibus Synodis custodire fateantur. Quare Gregorius acceptis Imperatoris literis, quæ ipsius consecrationem ratam habebat, quinto sui Pontificatus mense elegantissimam Synodicam epistolam ad Patriarchas misit, in cuius fine ait: Sicut Sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere, & uenerari me fateor. Quibus sigillatim approbatis, de Quinta Synodo hæc addit: Quintum Concilium pariter ueneror, in quo epistola, quæ Iba dicitur, erroris plena reprobatur, in quo Theodorus personam mediatoris Dei, & hominum in duabus substantijs separans ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur, & in quo scripta quoque Theodoriti, per quæ B. Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementia prolata refutantur. Cunctas uerò, quas præfata ueneranda Concilia personas respuunt, respuo, quas uenerantur, amplector, quia dum uniuersali sunt consensu constituta, se, & non illa destruit, quisquis præsumit, aut soluere, quos religant, aut ligare quos soluunt. Quis ergo aliter sapit, anathema sit. Hac celeberrima, atque illustrissima tanti Pontificis confirmatione Quinti Concilij autoritas stabilitur, & Recentioris Origenis aduocati figmenta penitus dispelluntur. Audio tamen eundem hæc inelamantem: Non uidit proinde, non uidit Gregorius Vigilij Constitutum, neque illi quoque Pontifices uiderunt, qui Gregorium in hac de tribus capitulis opinione secuti sunt. Verum cimmerijs profus tenebris immerfus censeatur, qui tantam Romanæ Ecclesiæ ignorantiam affricet; nam cognouisse illos Pontifices Constitutum Vigilij, & eiusdem abrogationem, quam Halloix non uidit, superius satis euidenter demonstratum est, ut nihil penè solidius hic iterum addi posse uideatur.

Anno 602. exeunte Mauricius Imperator unâ cum filijs à Phoca die 27. Norembris occisus fuit. Gregorius his acceptis gratulatorias ad nouum Im-



peratorem literas dedit lib. 11. epist. 36. in quibus Mauricij tempora perstringens ait: *Quiescat felicissimis temporibus vestris vniversa Respublica, prolata sub causarum imagine præda pacis. Cessent testamentorum insidiæ, donationum gratiæ violentè exactæ &c.* Et epist. 43. ad eundem Phocam: *Remoto iugo tristitiæ ad libertatis tempera sub imperiali benignitatis vestræ pietate peruenimus.* Gregorius nunquam fauentem habuit Mauricium, qui vt in alijs, ita in Schismaticis reuocandis suis eundem semper mandatis impediuit, nec vllis Pontificis precibus, vel aliorum eam in rem inflecti potuit, vnde Seuerus Schismaticorum Coryphæo audacia creuerat. Hinc accidit, vt, teste Gregorio, nullus de more Diaconus Constantinopolim delegari posset, qui Romani Pontificis Apocrisarium apud Principem ageret: *Dum ministri omnes, inquit epist. 43. huius nostræ Ecclesiæ contrita, aspera; tempora cum formidine declinarent, atq; refugerent, nulli eorum poterat imponi, vt ad Urbem regiam in palatio permansurus accederet.* Itaque Mauricius protectionis Schismaticis præstitæ, qua illi muniti Sancti Pontificis conatus semper eludere, reus pœnas tandem dedit. Sed neque Gregorius diu superstes fuit, nam anno 604. die 12. Martij ad Superos abiit. Hic profectò notam ob gesta scribenda, quam ob scripta legenda Magni cognomento publica fama decoratus est; animi certè magnitudinem in profligando schismate restatam reliquit. Nam cum pestis illa teterrima latè per Italiam serperet, intra Aquileiensem confinia morbum inclusit, penitusq; extinxisset, nisi Imperatoris decreta eiusdem vota, ac conatus frustraessent. Hic Synodi V. calumniatores vocauit imperitos, ac stultos lib. 3. epist. 4. ad Theodelindam, itemq; 33. *maligni spiritus instigatione persuasos, homines malitiôsæ mentis, & ignorantie cecitate laborantes.* Lib. 5. epist. 2. Lib. 7. epist. 5.

Cæterùm nec Seuerus Aquileiensis Episcopus Gregorij morte diu lætatus est; nam & ipse anno 605. satis concessit, cuius elogium in Vtinenfi Patriarcharum aula ab authore rerum à Seuerus gestarum prorsus inscio inscriptum recitat Palladius iunior lib. 1. Hist. Foroiulienis, cuius fragmentum superius correximus. Illud sanè tolerari nullo pacto potest, quòd de eodem ibidem scriptum legitur, *sanctè vixit, obiitque.* Etenim vsque ad S. Gregorij mortem Seuerus Schismaticorum caput extitit, & non modò ipse ad Ecclesiæ vniõnem venire recusauit, sed & Firminum Episcopum Tergestinum præmijs quidem iterum ad Schisma pellexit, dein recusantem ciuilibus dissensionibus afflixit. Idem contra Gregorium semper stetit, ac datis ad Mauricium literis S. Pontificis desideria, atq; operam elusit. Hinc falsum omnino est, quòd in MS. Chronico Aquileiensi apud Dandalum ab Vghello in tabulis Gradenis Patriarcharum laudatum legitur, Seuerum à S. Gregorio Patriarchalis sedis ad Gradum translationis iteratam approbationem obtinuisse. Adeo enim Gregorius Seueri nomen abhorruit, vt illius Urbem vel eleemosinis indignam prorsus arbitraretur. Ioannes Diaconus lib. 4. de vita S. Greg. c. 38. ita scribit: *Demq; Seuerus, quia ad vnitatem Sanctæ vniuersalis Ecclesiæ redire non meruit, ad scindendum quoque suæ ipsius diæceseos vnitatem Romanum Pontificem sua recordia suscitauit, adeo vt ab ipso illius obitus tempore Aquileiensis diæcesis in duos Metropolitanos Catholicorum videlicet, & Schismaticorum diuisa sit, neq; potuit postmodum, licet omnes generaliter ad vnitatem de Schismate repedauerint, ad pristinae conjunctionis vniõnem vsq; hæcenus reformari.* Hæc ille.

Mortuo

Mortuo itaque in Schismate Seuerus Marcianum quendam successisse Chronicon Aquileiense, ac Danduli historia recitant, adduntque per triennium eam sedem tenuisse. Sed ex Ioanne Diacono mox laudato oppositum patet, nempe à Seueri obitu dioccesim Aquileiensem in duos esse distractam, quòd etiam constat ex literis Schismaticorum, quas ex veteri MS. laudat Baronius ad Annum 605. *Defuncto, inquit, itaque Seuerus ordinatur loco eius Ioannes Patriarcha in Aquileia eo tempore, quo Agilulphus Rex Longobardorum regnabat, in Gradum quoq; ordinatus est hereticus Candianus.* Etenim Gradenses Catholicum Antistitem volebant, Aquileienses verò Schismaticum; cumque nulla ratione conuenire possent, Aquileienses Ioannem Abbatem Synodi V. proscriptorem elegerunt, Orthodoxi verò Gradenses Candianum Ariminensem sacris præfecerunt, de qua re etiam scribit Paulus Diaconus lib. 4. de gestis Longobardorum cap. 34. Agilulphus Aquileiensi Schismatico studebat, Exarchi Gradensem Antistitem tuebantur, quòd Gradus Græco Imperatori parebat, Aquileia verò Agilulpho. Baronius satis acrem Ioannis Schismatici epistolam ad Longobardum Regem recitat, in qua de æmuli consecratione ait: *Et Petrus, & Prouidentius, seu Agnellus Episcopi Istriæ, qui adhuc fidem sanctam tenebant, & Candiano necdum consentiebant, de Ecclesijs suis à militibus tracti, & cum graui iniuria, & contumelijs ad eum venire compulsi sunt.* Sed isthæc esse mera mendacia arbitrator. Nam illi duo Episcopi ad Catholicam vnitatem velle se venire per literas Gregorio significauerant, vt dictum est. Cæterùm vtrumque Episcopum in Candiani sententiam Catholicam descendisse, nec homo schismaticus potuit inficiari. Quanta verò rabie in Orthodoxum Antistitem fremeret, ex hac eiusdem ad Agilulphum Regem adhortatione innotescit: *Sic laborate, ait, & agite, quatenus & fides Catholica vestris augeatur temporibus, & in Gradensi Castro, postquam infelix Candianus de hoc seculo ad aeterna supplicia transmigrarit, altera iniqua ordinatio ibi minimè celebretur.* Ita stulti, atque imperiti homines aeterna supplicia, quibus ipsi destinati erant, Catholicis interminabantur.

S. VI.

Aquileiensis Ecclesia Quintam denique Synodum recipit.

Metropolita Aquileiensis antiqua iurisdictione multatus longè peiori in Ecclesiam Romanam animo cum subditis prouincialibus euaserat. Etenim Romanus Pontifex Gradenis Archiepiscopi inaugurationem non modò probauerat, verùm etiam illius Author fuerat, quòd ex laudato Ioanne Diacono lib. 4. de vita Gregorij Magni cap. 38. colligitur, vbi scribit de Schismatico Aquileiæ, *ad scindendum quoque suæ ipsius diæceseos vnitatem Romanum Pontificem sua recordia suscitauit.* Eandem etiam diuisionem Phocæ nomine ratam habuit Smaragdus, cuius fides iam Gregorio, ac Pelagio illa in re satis probata fuit, nam Schismaticis semper infestus strenuam Apostolicæ Sedi operam nauauit. Mortuo Longobardorum Rege Agilulpho Theodelinda, Adolualdo filio ob ætatem ad regnandum nondum idoneo, Longobardos gubernauit, eximia quidem & prudentiæ, & pietatis foemina. Illa autem accepta à Gregorio Quinta Synodo alieno à Schismaticis animo esse cœperat, cum



cum in illa Concilium Chalcedonense, quod ad dogmata spectat, ex integro suscipi cognouisset. Quare cum Istriæ Episcopi Firminus, Petrus, Pronidentius, alijque ad Romanam Ecclesiam accessissent, eorum exemplo & Venetiarum Præfules, qui subiectas Theodelindæ dioceses regebant, paulatim à Schismate discessere, solis Aquileiensibus in rebellionem perseverantibus. Et quidem uniuersus Orbis Catholicus exceptis Istris, & Venetis, & quibusdam Francis iam uiuente Gregorio Synodum V. recipiens Apostolicam Sedem reuerentur. Testatur hoc S. Pontifex lib. 7. epist. 5. ad Brunichildam: *Sed ita illos erroris labe imbibit, ut ignorantia sue credentes uniuersalem Ecclesiam, atque omnes quatuor Parochias non ratione, sed malitiosa mente tantummodo refugiant.* Quare cum nemine Patriarcharum, vel quocunque Metropolita feditiosi illi communicabant, sed Catholicam fidem intra Aquileiensem diocesim toto Orbe reliquo exactam se recepisse, fultissimi homines iactabant. Ita sub Adolualdo Rege in schismate vixit Ecclesia Aquileiensis, furentis etiam Monachi doctrina paulo post in eodem errore confirmata. Rem narrat Ionas Monachus in libro de vita S. Eustasij, qui tomo tertio operum Bedæ insertus est, indeque eandem historiam suis annalibus inseruit Baronius ad Annum 617. Sigonius verò ad annum 621. Agrestinus quidam è Luxouienti monasterio egressus, vana diuini verbi populis annunciandi cupidine actus in Boiariam venit, cumque illi genti se haud acceptum esse intelligeret, superatis alpibus Aquileiam descendit, statimque Schismaticorum discipulus factus mox Schismatis magistratus euasit. Literas per Aureum Adolualdi Regis Notarium ad S. Attalam Monasterij Bobiensis Abbatem per summam temeritatem mittere ausus est, sanctissimo viro schisma persuasurus. *Aquileienses enim, inquit Ionas, discordabant à communione Sedis Apostolicæ, de qua Dominus in Evangelio ad B. Petrum loquitur: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c. ob trium uidelicet capitulorum dissensionem, quæ presenti operi necessarium non duximus inferere. Itaque ueniens Aquileiam socius statim schismatis effectus, Romanæ Sedis à communione seiunctus, ac diuisus est, totius orbis communionem, quicumque Romanæ Sedi iungeretur, damnans, in sola Aquileia orthodoxam fidem retineri decertans.* Anno etiam 630. quidam Fortunatus sedem Gradensem inuasit homo schismaticus, qui postea sibi timens ad Longobardos fugit, de quo Chronicon Aquileiense apud Vghellum tom. 5. Italiæ Sacræ: *Fortunatus quidam hereticus Pontificatum arripuit, qui quintam Synodum minimè recipiens ob sui erroris piaculum &c. fugit cum sacra suppellectile in Longobardiam.* Huius Schismatis Aquileiensis terminum omnes ponunt Sergio Pontifice, qui anno 678. Romæ sedit, ex Beda in Chronico circa tempora Tiberij Absimari ubi hæc tradit: *Synodus Aquileiæ facta ob imperitiam fidei V. uniuersale Concilium suscipere diffidit, donec salutaribus B. Papæ Sergij monitis & ipsa huic cum cæteris Ecclesijs annuere consentit.* Hæc ipsa ad verbum transcripsit Paulus Diaconus lib. 6. hist. Longob. cap. 14. qui post mortem Bedæ vixit sub Desiderio Rege, & Carolo Imperatore. Verum longè antea Antistites Aquileienses Synodum V. damnato Schismate receperant. Nam Maximus Archiepiscopus Aquileiensis in Synodo Lateranensi sub S. Martino Papa celebrata anno 649. Secretario primo hæc pronunciauit: *Contra Theodorum autem, & Origenem in Sancta Quinta Synodo accusator quidem nullus, sed tantummodo eorum conscripta ad accusationem ipsorum, & reprehensionem suffecisse noscuntur.* Ante Ser-

gium

gium etiam in Synodo sub S. Agathone Romæ habita in literis ad Imperatores, quæ recitantur in Synodo VI. act. 4. hæc habentur: *Hoc idem etiam & Sancta Synodus, quæ sub augustæ memoriæ Iustiniano Principe in Constantinopoli congregata est, in septimo definitionum capitulo prædicat &c.* Huic verò epistolæ legitur inter alios subscriptus Antistes Aquileiensis: *Agatho Episcopus S. Ecclesiæ Aquileiensis prouinciæ Istriæ in hanc suggestionem, quam pro Apostolica nostra fide unanimitè construximus, similiter subscripsi.* Sequuntur postea eiusdem suffraganei Cyriacus Polensis, Aurelianus Parentinus, Ursinus Cenetensis, Andreas Vegliensis, Gaudentius Tergestinus, Benenatus Opiterginus, Ursinianus Pucinanus, aliàs Petenensis, Paulus Patauinus, & Paulus Altinas. Quare ante Sergium Ecclesia Aquileiensis, & suffraganei Episcopi non modò ad Ecclesiam Romanam accesserant, verum etiam Synodum V. pleno ore laudantes decessorum errorem, diurnamque pernicitiam detestabantur. Nonnullis fortè, at non illis quidem Episcopis, sed è plebe adhuc ea de re hæsitantibus Sergius verum dogma declarauit.

Quæri hic potest, num tot Episcopi, qui contra Sedem Apostolicam obtinati Synodum V. damnarunt, sint & ipsi æternis supplicijs condemnati. Profectò si in illo Schismate diem obierunt, utpotè ab Ecclesia seiuncti, & rebellionis ab Apostolica Sede rei dubio procul damnati periere. Hinc S. Gregorius scribens tum ad Theodelindam, quæ ab Insubriæ Episcopis decepta ad Schismaticos transferat, tum ad Secundinum Anachoretam exclusos illos à regno cœlesti testatus est, nisi à Schismaticis discederent. *Do verba ad Secundinum seuerioris instituti Monachum lib. 7. epist. 52. Neesse est, inquit, ut dulcissima mihi tua dilectio in hoc, quod præcipuè in bonis moribus uiuit, quod se per abstinentiam affligit, quod doctrinæ Dei uehementius insistit, hoc studiosius cogitet, ne errorem Schismaticorum sequens à Sancta uniuersali Ecclesia diuisa possit inueniri. Ecce quid tot labores proderunt, si in unitate fidei inuenta non fuerint, quæ ante Dei omnipotentis oculos in bonis actionibus animam præcipuè custodit.* Inter Episcopos Schismaticos, qui contra Apostolicam Sedem Pontificibus Pelagio II. & Gregorio Magno pro Schismate depugnarunt, fuit Ingenuinus Sabionensis Episcopus, qui primus libellum ad Mauricium contra S. Gregorij mandata conscriptum signauit, & Apostolicæ Sedis iudicium fugiens profanum Imperatoris tribunal appellauit. Illius tamen festum peragitur Brixinæ in Rhætia II. unde dicendum est cum Bollando illum resipuisse, & ad meliorem frugem reuersum; de quo pluribus agit ille scriptor tomo 1. Februarij à pag. 669. Historici Fortiulienses tradunt Schismaticos omnes Episcopos piè in Domino defunctos esse. De Seuero Schismaticorum pessimo scribit Palladius ad annum 605. par. 1. lib. 1. morti proximum errorem esse auersatum. Ioannes Candidus lib. 3. antiq. Aquileien. ait, *recta per annos XV. Ecclesia sanctissimè obiisse.* De Helia ad annum 586. scribit Palladius, approbasse in Synodo Constantinopolitana Concilium, & diem in Domino obiisse. Paulinum etiam Apostolicæ Sedi conciliatum Beati titulo publicè honorant, qui infandi Schismatis Princeps fuit, & à Pelagio Papa dictus est *in schismate maledictus.* Idem etiam referens Episcopos, qui Helia Synodo interfuere *Sanctos Patres* nuncupat, qui tamen contra Pelagium, & huius mandata exequentem Smaragdum ad Mauricium literas pro Seuero dedere. Enimuerò si illorum supplex libellus ad Impe-



Imperatorem, vel Ioannis Patriarchæ epistola ad Agilulfum legatur, summam ipsius in sitam fuisse obstinationem intelligemus. In libello supplici hæc scribunt: *Contriti, atq; luctu grauisimo sauciati ad ultimam desperationem peruenimus, ut ad illius, nempe Gregorij Papæ, iudicium Metropolita noster cogeretur occurrere, cum quo causa ipsa esse dinoscitur, & cuius communionem ab initio motionis causæ huius usq; nunc decessores nostri, & nos cum omni populo euitamus.* Si ante mortem Paulinus, & Helias Aquileienses, Solacius Veronensis, alijq; Schismatici communioni Sedis Apostolicæ errore deposito sese iunxissent, næ illi verè Mauricio narrassent? Præterea S. Gregorius Episcopos illos deprauatis moribus corruptos ex plurium contestatione fuisse affirmat lib. 7. epist. 67. Ioannes verò Diaconus lib. 4. de vita S. Gregorij cap. 38. de Seuro ait, quòd ad unitatem Sanctæ uniuersalis Ecclesiæ redire non meruit. Quòd si illorum quosdam ante mortem ab errore discessisse constet, vt de S. Ingenuino narrauimus, de eorum poenitentia nobis lætandum est. Sed quinam ij fuerint, diuinari non possumus, neq; fas est de diuinis iudicijs temerè iudicare.

CAPVT X.

Vtrum ex Schismate ortum traxerit Patriarchatus Aquileiense. Ecclesiastica Hierarchia diuisio præmittitur. Salmasij opinio rejicitur. Patriarcharum nomen unde, & quinam antiquitus fuerint. De primatu Ecclesiæ Aquileiense, Mediolanense, ac Rauenatis disputatur. Aquileiense Metropolitanæ antiquitas defenditur. Varia Baronij, Sirmondi, ac Salmasij sententiæ examinantur.

EX hucusq; descripto Schismate Aquileiense Ecclesiæ Patriarchatum emeruisse insignis Ecclesiæ Catholicæ historicus Cardinalis Baronius asseruit. At iniquum suis Foroiuliensibus Scriptorem increpat Henricus Palladius lib. 5. Hist. Foroiuliensis: molestè enim, & acerbè fert, infames adeo natales Aquileiensem modò celebrem Patriarchatum olim sortitum esse. Salmasius etiam ob hoc ipsum Baronium redarguit par. 2. Eucharist. cap. 3. pag. 481. *Venetia*, inquit, *Metropolis Aquileia; hinc Aquileiense Episcopus Patriarchatus semper nuncupatus est. Longè verò errat Baronius, & reliqui, qui per Schisma illum hunc sibi titulum usurpasse contendunt.* Verùm Baronio adhærent Sirmondus in Propemptico, Bollandus ad 8. Februarij in notis ad vitam S. Honorati S. I. meus nunquam satis laudatus Christianus Lupus in comment. ad Synodum V. cap. 6. in fine quæstionis primæ, vbi recensito Paulini Aquileiense schismate concludit: *Hæc sunt vera exordia, & natales Patriarchatus Aquileiense.* Imò Sirmondus, & Lupus ante Schisma non modò negant, Sedem Aquileiensem Patriarchalem fuisse, sed contendunt primum post Pontificem in Italia Metropolitanam fuisse Mediolanensem Antistitem, cui proximus Aquileiense succederet, atq; ita secundum inter Italiæ Metropolitanos Aquileiensem faciunt. Horum tamen sententiæ hic nobis excutiendæ sunt.

In primis certum mihi est, in Ecclesiastica Hierarchia quatuor Episcoporum ordines esse statuendos, nempe Patriarchas, Primates Exarchos, Metropolitanos, & Suffraganeos Episcopos. Ita sanè Episcoporum gradus distinguit

distinguit Leo IX. epist. 4. ad Petrum, & Ioannem, & S. Isidorus, qui Gregorio Magno contulit, ex antiqua Ecclesiæ consuetudine idem docuerat lib. 7. Orig. cap. 12. *Ordo*, inquit, *Episcoporum quadripartitus est, in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, & Episcopis.* Patriarcha pluribus prouincijs præest: ita XV. Orientales prouinciæ Patriarchæ Antiocheno parebant: Romano Patriarchæ suberat totus Occidens, Septemtrio, Africa, & Illyricum. Primas Exarchus, seu Archiepiscopus aliquot Ecclesiasticas prouincias moderatur. Metropolitanus vnica Ecclesiasticam prouinciam regit. Hi vero gradus ideo inter se distinguuntur, quia Archiepiscopus, seu Primas Exarchus aliquot sub se habet Metropolitanos, at Metropolitanus in Episcopos tantum suffraganeos ius possidet. Episcopus vnus vrbis regimen administrat. Scio plures de nominibus horum ordinum inutiliter litigare; certè de origine nominis Patriarchæ contra communem sententiam plurima tradit Salmasius cap. 3. pag. 475. Promiscuè tamen quandoque accipi solent; ita Leo Pontifex in Synodo Chalcedonensi Archiepiscopus, & Patriarcha dictus fuit: Aquileiense Episcopus Metropolita, & Archiepiscopus appellatur in libello Schismaticorum ad Mauricium, nempe quia gradus inferioris dignitatis in superiori continetur. Græci posteriores Archiepiscopum post Metropolitanam locant, vt patet ex instructione Leonis Sapientis ad Andronicum. Salmasius secundum gradum Episcoporum inficiatur parte posteriori sui Eucharist. cap. 3. etenim negat fuisse Metropolitanos absque Patriarchali dignitate in subiectos Metropolitanos iurisdictionem exercentes. Hinc putat tres Primates Autocephalos Ephesinum Asiaticæ diocesis, Heracleensem Thraciæ, & Casareensem Ponticæ, itemque Primate Africa Carthagenensem nullam iurisdictionem exercuisse in Ecclesiis Metropolitanorum intra autocephaliam consistentium. At planè errat: Nam Sanctus Basilus, vt ex eiusdem epistola 187. colligitur, Nicopolitanam Ecclesiam visitauit: Est autem Nicopolis vrbis Armenia minoris sub Metropolita Sebasteno. Helladius etiam Nicomediensi Metropolitanæ in Bithynia Ecclesiæ Episcopum dedit, nemine contradicente teste Sozomeno libro octauo cap. 6. Erant Basilus, & Helladius Primates Casareenses. Hoc ipsum in Primate Carthagenensi patet, scribit Leo IX. in laudata epistola, quòd nullus aliquam licentiam consecrandi Episcopos, vel deponendi, seu prouinciale Concilium conuocandi habet sine consensu Carthagenensis Archiepiscopi cuiuslibet dignitatis, aut potestatis sit. At video Salmasium reponere, Iustiniani tempore Primate Carthagenensi hoc priuilegium concessum fuisse; quare altiùs res mihi repetenda est. Valerius Hipponensis in Numidia Episcopus non à Megalio prouinciæ Metropolitanò, sed ab Aurelio totius Africa Primate facultatem obtinuit, vt S. Augustinus secum in eadem sede Coepiscopus ordinaretur. Rem ita narrat Possidius cap. 8. de vita Augustini scribens, Valerium egisse secretis literis apud Primate Episcopum Sedis Carthagenensis allegantem imbecillitatem corporis sui, ætatisque grauitatem, & obsecrantem, vt Hipponensi Ecclesiæ ordinaretur Episcopus. Postea: *Quæ igitur beatus Valerius optauit, & rogauit satagens, rescripto impetrauit.* S. Augustinus adhuc Presbyter epist. 64. egit gratias eidem Aurelio, quòd permiserit Alipium vnà secum morari in monasterio Hipponensi. Plena igitur iurisdictione in Numidia Aurelius pollebat. Erat Alipius tunc fortè Presbyter Tagastensis Ecclesiæ,



6a, vel certè ab illius vrbis Episcopo in Presbyterum optatus, qui tamen Aurelio permittente in monasterio Hipponensi cum suo Augustino remansit. Cum anno 431. delata fuissent Carthaginem litera Theodosij iunioris, quibus Augustinus ad Ephesinam Synodum euocabatur, Capreolus, vti diximus lib. 2. Hist. Pelag. cap. 9. sacram illam non ad Numidiæ Primatem deferendam curauit, sed ipsemet aperuit, legitque, vt hoc supremæ eiusdem authoritatis argumentum sit. Est præterea egregium pro hoc ipso testimonium in epistola S. Doctoris 235. ad Quintianum, in qua cum dubium esset, an Priuatio, qui semel tantum in alia Ecclesia legerat, posset intra Hipponensis Ecclesiæ monasterium recipi, hæc Augustinus scribit: *Causam ipsius ad Senem Aurelium misit, vt quod de illo statuerit, hoc faciam.* Et postea: *Tamen de isto adolescente, quod memorato Antistiti visum fuerit, hoc oportet obseruare.* Dubiæ ergo causæ Numidarum ad Aurelium Carthaginensem referebantur, eiusque sententiam vniuersi sequebantur.

Aurelius Carthaginensis omnium prouinciarum Africæ Episcopus poterat consecrare. Hinc idem in Synodo Africana habita Carthagine post conf. Sirlionis anno 401. dixit: *Crebrò, ac penè per diem Dominicam ordinandos habemus.* At si solos Proconsularis Prouinciæ Episcopus inaugurabat, non adeo frequenter Antistitum promotiones incidissent. Scio variare Scriptores in designando numero Episcoporum Proconsularium. Anonymus in notitia Præfatum Africæ LIV. eosdem numerat. At Victor Vitensis lib. 1. de persecut. Vandal. scribit: *Vnde factum est, vt post obitum Episcopi Carthaginis Zeugitana, & Proconsularis Prouinciæ Episcopus interdiceret ordinandos, quorum erat numerus centum sexaginta quatuor.* Ex quibus Illustrissimus Casanata nobis lib. 2. Hist. Pelag. cap. 8. laudatus eruditè infert, notitiam illam Episcoporum Africæ à Sirmone do publicatam perperam à Chiffletio cap. 2. elucidat. in Victorem Vitensem huic ipsi authori adscribi; neque enim vnus, idemque Scriptor adeo à se ipso in computando variasset. Anonymi verò numerum deficere certum est. Etenim in Synodo prouinciali Carthaginensi anno 416. contra Pelagianos habitata adfuerunt Episcopi LXVIII. quorum nomina leguntur in epigraphe epistola 91. apud Augustinum; neque tamen omnes Proconsulares conuenerunt. Euodius certè Vzalenis, vt notauimus lib. 1. Hist. eiusdem cap. 10. itum temporis Carthagine abfuit. In tabulis Caroli à S. Paulo, & eruditis in eisdem Holstenij notis supra centum Episcopi in Zeugitana, seu Proconsulari prouinciâ numerantur. Vtut sit de hoc, constat Episcopos eiusdem prouinciæ, etiam C LXIV. asserantur, crebrò, ac penè per Dominicam diem non potuisse ordinari, cum adeo frequentes eorundem obitus fingi nequeant. Salmasius cap. 3. pag. 431. ita Aurelij verba interpretatur, quòd penè, hoc est præsertim Dominica die Episcopos consecraret. Imperitè. Etenim lib. 2. Hist. Pelag. cap. 24. ostendimus, in Ecclesia Latina Episcopos Dominica tantum die ad sacras cathedras promotos fuisse. Præterea in eadem Synodo canone 22. cum Aurelius dixisset: *Ego enim cunctarum (nempè per vniuersam Africam) Ecclesiarum indignatione Dei (vt scitis Fratres) sollicitudinem sustineo.* Numidius Episcopus Maxulitanus respondit: *Fuit semper hæc licentia huic sedi, vt vnde vellet, & de cuius nomine fuisset conuentus, pro desiderio cuiusque Ecclesiæ ordinare Episcopum.* In Synodo etiam Carthaginensi anno 525. à Bonifacio Primate celebrata monasterium

rium prouinciæ Byzacenæ exemptum fuit à iurisdictione Liberati Primatis Byzacij, & sub Primatis Carthaginensis dominium adactum, de qua re diximus lib. 1. Hist. Pelag. cap. 23. Alia argumenta in hanc ipsam rem congerit Hallier lib. 4. Hierar. Eccles. sect. 4. cap. 2. art. 1. quæ nolumus exscribere. Illud tamen eidem non obseruatum adnotandum videtur, ipsorum etiam Donatistarum Primatem Carthaginensem in omnes Africanas prouincias ius apud Sectarios habuisse. Etenim Victor Taborensis Donatista cap. 201. col. lat. 1. dixit: *Susceperam quidem mandatum, sed quia beatissimus Pater, & Princeps noster Primianus nunc suscepit, me necesse est mandare his actis.* Erat Primianus Metropolitæ Donatistarum Carthaginensium, Victor verò sedebat Taboræ in Mauritania Cæsareensi. Igitur ex dictis contra Salmasium probatur, Primatem Carthaginensem, itemque tres Autocephalos Antistites ius habuisse in alios inferiores Metropolitæ.

Patriarchæ à tribus Autocephalis & nomine, & Ecclesiasticæ iurisdictionis amplitudine distincti in pluribus cum iisdem conueniunt. In primis neque Patriarcha, neque Exarchus Autocephalus in sua ordinatione indiget præuia alicuius licentia, est enim independens vterque ab omni subiectione, & consecratur in sua sede à Synodo prouinciali. Hinc cum Zeno Imperator Patriarcham Antiochenum ob contrarias illius vrbis factiones in regia Vrbe per Acacium C-P. consecrandum curasset, Simplicius Papa ideo illam electionem ratam habuit, quia Imperator sanctè iurauerat, quòd posthac in Antiochena Vrbe veteri more seruato à Comprovincialibus suis Episcopis ordinaretur. Ritus, quo Patriarchæ Alexandrini consecrabantur, describit Liberatus cap. 20. Breuiarij. De Constantinopolitanis agit Simeon Thessalonicensis apud Morinum par. 2. de sac. Ordin. cap. 9. Eo ritu etiam sacris infulis decorabantur Autocephali, seu Archiepiscopi. Legimus act. 11. Synodi Chalcedonensis, itemque sequenti decretum fuisse, novum Ephesijs Episcopum in Metropoli consecrari, ne populus ob antiqua iura violata in furorem ageretur; clamauerant enim Asiaticæ dioceseos Antistites: *Si quispiam hic Chalcedone fuerit ordinatus, & filij nostri moriuntur, & ciuitas Ephesina deperit.* Rursus Patriarcha, & Autocephalus poterat sine alterius licentia legitimè electos Metropolitæ, & Episcopos confirmare, suoque arbitrio consecrare. At sine vtriusque licentia nullus Metropolitanus alios consecrare poterat. Hac de causa Pelagius Primus Paulinum Aquileiensem Pseudo-episcopum in literis ad Narsetem appellat, quòd non obtenta à suo Patriarcha facultate ordinatus fuerat. S. Gregorius lib. 2. epist. 31. scribens de electione Constantij Metropolitæ Mediolanensis ad Romanum Exarchum ait: *Necesse fuit pro seruanda consuetudine militem Ecclesiæ nostræ dirigere, qui eum, in quo omnium voluntates, atque consensum concorditer conuenire cognouerit, à suis Episcopis, sicut verus mos exigit, cum nostro tamen assensu faciat consecrari.* Quæ quidem spectabant ad ius Patriarchale supra Metropolitæ suæ diocesis. Hisce priuilegijs, quæ cæteris antistant, & aliorum veluti fontes sunt, carent Metropolitæ prouinciales, itemque Episcopi suffraganei. Illis autem constituitur reapse Patriarcha, vel Autocephalus, quæ si semel auferas, solo nomine, & titulo tenus dicendus erit Patriarcha.

Nomen Patriarchæ apud Latinos primitus legitur in epistola Adriani Imperatoris ad Seruianum consulem apud El. Vopiscum in vita Saturnini. Iudæi

quosdam illustres viros Patriarchas dicebant, quorum mentio fit in Cod. Theod. lib. 16. tit. 14. ubi legitur in rescripto Arcadij, & Honorij ad Messiam P.P. quosdam, quos Apostolos nuncupabant, *ad exigendum aurum, atque argentum a Patriarcha certo tempore dirigi solitos*. Ex Synagoga ergo in Ecclesiam transiit nomen, datumque fuit Christianæ legis Præfulibus. Vox ista in Synodo Chalcedonensi primùm audita est, vt eruditè obseruauit amicissimus Lupus in appendice ad Synodum Chalcedonensem in notis ad act. 2. in qua ante Nicæni symboli recitationem Metropolitæ dicti sunt *Sanctissimi Patriarchæ singularum prouinciarum*. Ex antiquiori tamen Ecclesiæ vsu tres tantùm fuere Patriarchæ, qui nulli alteri subiecti amplissimis diocæsibus penes sacra imperabant, nempe Præsules Romanus, Alexandrinus, & Antiochenus. Postea Antistes Constantinopolitanus, qui priùs erat purus putus suffraganeus Metropolitæ Heracleensis Autocephali, Imperatorum Byzantij commorantium fauore fretus ius Patriarchale vsurpauit. Quintus denique Patriarcha dictus fuit Episcopus Hierosolymitanus, qui tempore S. Augustini erat suffraganeus Metropolitæ Cæsarensis in Palæstina, vt ostendimus lib. 2. Hist. Pelag. cap. 4. Nicolaus Papa, qui Pontificatum iniit anno 858. in responsionibus ad capitula Bulgarorum cap. 92. ait: *Desideratis nosse, quot sint veraciter Patriarchæ? Et cum respondisset esse tres, Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum, addidit: Quia Constantinopolis noua Roma dicta est, fauore Principum potius, quàm ratione Patriarcha eius Pontifex appellatus est. Hierosolymitanus autem Præsul licet & ipse Patriarcha dicatur, & secundum antiquam consuetudinem, ac Nicenam Synodum honorandus sit salua tamen Metropoli propria dignitate &c.* Hi quidem & nomine, & re fuerunt quinque in Ecclesia Patriarchæ. Postea verò Primates Regnorum, qui secundam tenebant, quandoque honoris gratia à quibusdam dicti sunt Patriarchæ. In Gallia Metropolita Lugdunensis in Synodo Matisconensi II. appellatus fuit Patriarcha, ibi: *Priscus Episcopus Patriarcha dixit*. Hispanus etiam Primas Toletanus dictus est Patriarcha; etenim Luitprandus in chronico Æra 648. scribit: *Dignitas Patriarchalis Toletane Sedis imminuta pristina dignitati restituitur*. Hoc pari titulo Primatem Cantuariensem in Anglia decoratum videmus apud Guillelmum Malmesburiensem in prol. lib. 1. de gestis Pontificum Anglorum, nuncupat enim Archiepiscopum Cantuariensem *totius Angliæ Primatem, & Patriarcham*. Hi tamen penes nomen fuere Patriarchæ, neque gaudebant priuilegijs Patriarcharum, sed Patriarchæ Romano subiacebant, quod certum est. In Italia nostra cum Antistes Aquileiensis per amplæ diocæsi præesset, in qua Istria, Venetiæ, Noricum vtrumque, ac Rhatia secunda numerabantur, Patriarchæ titulum obtinuit, initio quidem à prouincialibus, subsecutis verò temporibus etiam ab Apostolica Sede, vt patet ex epistola Leonis IX. Nullus tamen affirmare potest, Antistitem Aquileiensem fuisse penes ius, & authoritatem reapse Patriarcham, cum neque numerari potuerit in secundo ordine Exarchorum Archiepiscoporum, fueritque purus putus Metropolitanus nullas sub se habens Ecclesiasticas Metropoles, quod ingenuè Palladius superius adductus fatetur. Idem sine licentia præuia Romani Patriarchæ non poterat consecrari ex literis Pelagij I. Poterat Romam euocari ex lib. 1. S. Gregorij epist. 16. ad Seuerum Aquileiensem, & quidem considerata iure Patriarchali Romani Præsulis.

Itaque

Itaque cum de re nulla quæstio esse possit, de nomine controuersia manet, num scilicet honorarius Patriarchæ Aquileiensis titulus inceperit ante schisma, vel potius ex schismate initium habuerit. Salmasius putat Metropolitam, qui primam regionis totius prouinciam regebat, appellatum fuisse Patriarcham; vnde cum ex Notitia vtriusq; imperij inter Italiæ prouincias Venetiæ, atq; Istria primo loco reponantur, consequens putat, vt vtriusq; prouinciæ Metropolita Patriarchæ nomen semper habuerit, & concludit cap. 3. citato pag. 481. *Venetie Metropolis Aquileia, hinc Aquileiensis Episcopus Patriarcha semper nuncupatus est*. Exemplum de Prisco Lugdunensi adducit, qui cum primæ totius Galliæ prouinciæ præesset, Patriarcha in Synodo Matisconensi dictus fuit. Sed falli hominem certum est. Nolo hic loqui de diuisione prouinciarum Italiæ facta ab Augusto, iuxta quam teste Plinio nostro Veronensi lib. 3. cap. 18. Venetam prouinciam non primo, sed penultimo loco nominatam sciimus, posset enim reponere subsecutos Imperatores ordinem variasse. In eadem Notitia imperij Occidentalis in Africana regione priùs ponitur Byzacium, deinde Numidia, & tamen Metropolita Numidiæ Byzacenum præcedebat. Hinc legati Numidiæ in Synodis Carthaginensibus anno 418. & 419. celebratis Byzacenæ prouinciæ legatos præcessere, & in literis Synodalibus, atq; actis Conciliorum Numidiæ ante Byzacenos collocantur. Præterea in eadem Notitia imperij Orientalis in Pontica Diocæsi priùs Bithynia, postea Cappadocia collocatur. In Bithynia autem erat Nicomedia vrbs regia, ac plurimum Imperatorum Sedes, vnde prima erat inter Ponticas prouincias. At tamen Metropolita Cæsareæ Cappadocum erat Autocephalus, ac Metropolita Nicomediensi præponebatur vti subdito, vt ex ordinatione Antistitis Nicomediensis facta per Helladium Cæsareensem nobis superius monstratum est. Quare ex ordine prouinciarum in illa Notitia descriptorum primam querere, indeque eiusdem Metropolitæ Patriarchatum adstruere, vanum est. Certè Prouincia Proconsularis inter Africanas prima erat, nusquam tamen eiusdem Metropolita Carthaginensis appellatus fuit Patriarcha neq; in Synodis, quæ frequentissimæ cogebantur, neque ab vlllo Scriptore Africano, licet Antistes Carthaginensis vniuersæ Africæ præesset iure exarchico. Imò Patres Africani, ne ex amplissima exarchia ambitiosorem titulum affectaret, lata lege sanxere in Synodo Carthaginensi Cæsario, & Attico Coss. *Vt primæ Sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, aut aliquid huiusmodi*. Ariani tamen, cum regnante Hunnerico omnes Catholicorum Ecclesias occupassent, Carthaginensem Episcopum Patriarcham vocabant, inquit Victor Vitensis lib. 2. de persecutione Vandalica. Neque exemplum de Prisco Lugdunensi, qui Patriarcha in Synodo Matisconensi II. nuncupatus fuit, Salmasij opinioni fauet; nam Lugdunensis prouincia non erat prima Galliarum, sed in Notitia laudata imperij prima statuitur Prouincia Viennensis, cuius vrbs Metropolitana erat Arelatum, ibi enim residebat Præfectus Prætorio Galliarum. Hinc Honorius in rescripto ad Palladium iubet, *in Metropolitana, idest Arelatensi vrbe septem Prouinciarum conuentum fieri, vt optimorum conuentu sub illustri presentia præfecturæ Galliarum negotia peragantur*. Vnde Arelatenses Metropolitæ Apostolicæ Sedis Vicarij in Gallijs olim constituti sunt.

Hen.



Henricus Palladius lib. 5. historiae ForoIulienfis alia via pergit ad Patriarchatum Aquileiensem stabilendum. Scribit S. Marcum à D. Petro Romae consistente Aquileiam missum, quæ sanè vrbs, Roma excepta, erat omnium Italicarum prima. Ille verò cum primus Aquileiensium Episcopus Euangelium ibidem prædicasset, monente Petro Hermagoram substituit, atque ex Italia Alexandriam perrexit. Quare cum Alexandria Patriarchalem sedem erexerit, potiori iure eadem dignitate Aquileiensis Ecclesia uti primogenita decorata fuisse videtur ab eodem sanctissimo Euangelista, qui discessurus ibidem Christi Euangelium sua manu descriptum in amoris mnemosinon Aquileiensibus primogenitis suis reliquit, quod postea anno 1420. Thoma è nobilissima Mocenicorum gente Venetiarum Duce in regiam Urbem translatum summa religione inter D. Marci cimelia seruatur. Eadem refert Vghellus initio tomi 5. Italiae Sacrae. Sed debiles coniecturae sunt ad Aquileiensem Patriarchatum stabilendum, non enim omnes Ecclesiae à discipulis D. Petri fundatae, tali honore decoratae sunt. Apollinaris Rauennae fidem Christi prædicauit, primusque nobilissimae Urbis Episcopus fuit, & quidem eò à D. Petro missus, nec tamen Metropolim statim condidit, nedum sedem Patriarchalem. Ipse Petrus plures per semet Ecclesias erexit, ut tradit Sophronius in libello de peregrinationibus, & laboribus eiusdem Apostoli, uerum Antiochia tantum, dein Romae Patriarchalem sedem erexit. Marcus sanè primus Aquileiensium Antistes dicatur, non inde tamen deducitur, eundem Patriarchali iure illam Ecclesiam donasse; etenim non propria autoritate, sed ut ab Apostolorum Principe delegatus Patriarchalem thronum Alexandriae posuit: clara sunt verba S. Gelasij Papae in Synodo Romana: *Secunda autem sedes apud Alexandriae B. Petri nomine à Marco eius discipulo, & Euangelista consecrata est: Tertia uero sedes apud Antiochiam eiusdem Beatissimi Petri Apostoli nomine habetur honorabilis.* Colligitur hoc ipsum ex Alexandrinae Ecclesiae prærogatiua, qua semper Antiochenae prælata fuit; nequaquam enim decuisset Sedem, in qua primum Apostolorum Princeps Episcopus fuit, Alexandrinae postponi ab eius discipulo instituta. Cum uero Petrus propriam Sedem Patriarchalem Romae collocarit, alteram in Italia statuere non debuit, ne Romani Patriarchatus fines coarctarentur, qui per Illyricum, per Septemtrionem, latèque per Occidentem, ac Meridiem proferendi erant. Quod si reponant solo nomine Patriarchali Aquileiensem Sedem fuisse à D. Petro ornatam, quousque veteres testes laudentur, fidem suspendimus. D. Petrus in tribus mundi partibus tres Patriarchales Sedes fundauit, Romanam in Europa, Alexandrinam in Africa, Antiochenam in Asia, ut iam sacra illa Aristocratia ex integro à D. Petro Christi Vicario fuerit planè instituta. Harum Praefules in aliquo conueniunt, in alijs uero plurimum discriminantur. Nam licet spectato iure Patriarchali tres illi Antistites aequalis sint autoritatis, ac nullus ab altero dependeat, iure tamen Papali vni Sedi Romanae reliquae duae subiiciuntur, ut contra Photij asseclas ab Orthodoxis adeo euidenter probatum est, ut Salmasius ipse lib. 2. Eucharist. capite ultimo pag. 718. de Romano Pontifice scripserit: *Nec primatem eum Italiae specialem, nec Occidentis fuisse Patriarcham, sed eandem omnino & in Oriente potestatem habuisse olim, quam in Occidente, eandem porro & in quolibet Occidentis provincia, quam in Italia.* Veritas inuito pectore erupit.

Nullo

Nullo igitur argumento antiquitas Patriarchatus Aquileiensis vel penes titulum fulcitur: quare ex schismate illum deriuatum fuisse iure arbitror. Sanè post Schisma Aquileienses, ut verbis utar Gregorij Magni, *omnes quatuor Patriarchias, nempe Patriarchales Sedes non ratione, sed malitiosa mente vitabant* lib. 7. epist. 5. Hinc ius Patriarchale in suum Antistitem transtulere. Illorum Metropolita non secus, ac Patriarchae à Synodo Prouincia à nemine licentia imperata eligebatur, ac nullius euocationi subiectum se esse dicebat; unde Seuerus Aquileiensis Romam euocatus morem non gessit, adeoque nec iurisdictioni Papali subijci patiebatur. Ex his patet in Schismate Metropolitas Aquileienses reapse ius Patriarchale usurpasse, & fortasse à subditis suffraganeis per adulationem eo primum nomine nuncupatos fuisse. Quod à Romano Pontifice rebelles erant, ne veluti acephali irriderentur, novum sibi Patriarcham somniarunt ab aliorum iurisdictione semotum. Atque ita in schismate Metropolita Aquileiensis non penes titulum tantum, sed reapse Patriarchali iure per vim usurpato potitus est. Ille tamen finito schismate titulum retinuit. Ceterum licet Metropolita Schismatici titulum Patriarchae apud prouinciales passim usurpabant, ad alios scribentes eo nomine profus abstinere. Hinc in libello supplici ad Mauricum Imperatorem, & in literis ad Agilalphum Regem Longobardorum Aquileiensis Antistes *Metropolita*, atque *Archiepiscopus* tantum appellatur. Imò nec posterioribus saeculis Graeci ad Patriarchas Aquileienses scribentes memorato saepius nomine vsi sunt. Photius referente Baronio ad annum 883. scribens ad Antistitem Aquileiensem, se Patriarcham, illum uero *Archiepiscopum* tantum nominat, ubi inter alia habet: *Romana Ecclesia cum alijs quatuor Patriarchalibus sedibus*, nec cogitans quidem de Patriarchatu illius, ad quem easdem literas exarabat. Paulus Diaconus homo ForoIulienfis suae patriae Metropolita Patriarchas honoris gratia appellat. Hunc Paulum Diaconum Ricciolius saepe laudat in magno Chronico ab anno 567. illum tamen à Warnefrido palmari hallucinatione distinguit. Ita ille scribit A. 568. *Paul. Diac. de gestis Longob. l. 2. c. 6. Paulus Vuarnefridus c. 7. & 25.* Cum tamen vnus, idemque fuerit Scriptor, nam Paulus Diaconus dictus est Warnefridus ab ipsius genitore Warnefrid eodem teste lib. 4. c. 39. Dandalus author antiquus refert se in uetusto codice initia Gradenfis Metropolitae descripta legisse, & exhibet literas Pelagij Papae II. ad Heliam Aquileiensem ita inscriptas: *Pelagius S. Ecclesiae Catholicae Urbis Romae Episcopus Heliae Aquileiensi Patriarchae.* Sed chronicon illud ab aliquo ForoIulienfi concinnatum fuit, unde Warnefridum imitatus eo caractere Apostolici diplomatis inscriptionem expressit. Habemus tres eiusdem Pontificis literas ad eundem Heliam perscriptas, quarum initium hocce legitur: *Dilectissimis fratribus Heliae, alijsque Episcopis uniuersis Istriae Pelagius Episcopus.* Neque semel Heliam Patriarcham uocauit. Gregorius etiam Magnus Seuerum Heliae successorem Episcopum tantum dixit, ut ex inscriptionibus aliunde petitis honorificentior ille Aquileiensibus delatus titulus non à Romano Pontifice, sed à Scriptori ForoIulienfi positus cognoscatur. Postea tamen etiam Sedes Apostolica eundem Metropolitanam Patriarcham nuncupauit.

Verum Sirmondus in Propemptico grauiorem Aquileiensi Ecclesiae quaestionem mouet: nam Mediolanensem Metropolitanum Aquileiensi præponit.

Hoc



Hoc ipsum tradit summus Ecclesiasticarum rerum indagator Christianus Lupus in commentarijs ad Synodum V. cap. 6. quaestione prima, ubi ait: De Daciano Mediolanensi Episcopo secundo Italiae Metropolita scribit Victor Tommonensis, &c. ad ditque statim: Adiunxit se tertius Italiae Metropolita Paulinus Aquileiensis Episcopus, à cuius durtia schisma vocatum est schisma Istrium, & ipse eius Patriarcha. Salmasius in Eucharistico par. I. cap. 4. pag. 151. hæc habet: Maxima siquidem post Romanum Pontificem auctoritas Aquileiensis Episcopi fuit, qui & Patriarcha dicebatur, & secundum à Pontifice locum facile obtinebat, ut tertium Ravennensis, sic quarto tantum loco post Aquileiensem, & Ravennensem sedebat Episcopus Mediolanensis. Atque ita hic Scriptor duos Italiae Metropolitas Aquileiensem, & Ravennatem Mediolanensi præfert. Ravennatem duobus alijs anteponit in eiusdem urbis historia Hieronymus Rubeus lib. 5. Res est difficilis, in qua non modo nobilissimorum Scriptorum sententiæ variæ sunt, verum etiam vel ipsorum Romanorum Pontificum, penes quos de his rebus iudicia fuere, ut mox nobis demonstrabitur. Foroiulienses Scriptores de Aquileiæ tantummodo Patriarchatu solliciti, de eiusdem urbis inter Ecclesiasticas Italiae Metropoles primatu ne dubitarunt quidem, sed hoc ipsum veluti extra dubium silentio præteriere. Quare cum de nostræ provinciae Metropoleos primatu litigetur, paulo diligentius res indaganda nobis est.

In primis de Ravennatis Ecclesiæ primatu agendum est. Rubeus laudatus ex Anacleti Papæ decreto, quo statuit eas vrbes, quæ civiles Metropoles esse sent, provinciae Præfecto ab Imperatoribus constituto ibidem residente, Ecclesiasticas etiam Metropoles habendas esse, in quibus Episcopi Metropolitani cæteris provinciarum Episcopis ius dicentes residerent, Ravennæ vel ab ipsis Christianæ religionis initijs dignitatem Metropolitanam minimè negari posse contendit; certum enim putat, Ravennam antiquitus fuisse Metropolim Æmiliæ, ac sedem viri Consularis illuc ab Imperatoribus missi. Favet huic sententiæ vir eruditionis incomparabilis Petrus Morinus lib. I. exercit. 30. scribens, Ravennam imperante Constantino Metropolim fuisse. Ego quidem fateor in Patriarchatu Antiocheno, & Alexandrino, & in tribus aut ocellis diocæses easdem, ut plurimum, fuisse & civiles, & Ecclesiasticas Metropoles, ut ubicumque Rector provinciae resideret, ibidem etiam Metropolitanus Episcopus haberetur. At in Patriarchatu Romano, quod ad Africam, & Italiam spectat, illam consuetudinem minimè servatam video. De Primatibus Africæ id pluribus ostendimus lib. 2. Hist. Pelag. cap. 8. nam civilis Metropolis Numidiæ erat Cirta, quæ & Constantina dicta est: at Metropolita Ecclesiasticus erat senior provinciae Episcopus, licet in minimo oppido resideret, ut fusissimè ibidem probauimus, quod ipsum tradit Leo Nonus in epistola ad memoratos Africanos Antistites. At neque in Italia ea Ecclesiastica politia antiquitus servata est. Nam diocæsis Metropolitana Romani Præfulis amplissima fuit, ac plures Consulares provincias, itemque alias Præfidentales, ac Correctorias complexa est, ita ut in illis nullus esset alius Metropolitanus, seu Archiepiscopus, sed omnes essent Romani Metropolitæ suffraganei. Præfecto provinciae, quæ per Vicarium urbis regebantur, intra Metropolitanam diocæsim Romani Pontificis, vna dempta Sardinia, continebantur, illæ verò ex Notitia imperij Occidentalis erant sequentes.

Vica-

Vicarius Urbis regebat Provincias X. Italiae

Consulares IV. } Campaniam.
 } Tusciam, & Umbriam.
 } Picenum Suburbicarium.
 } Siciliam.

Per

Correctores II. } Apuliam, & Calabriam.
 } Brutios, & Lucanos.

Per

Præsides IV. } Samnium.
 } Sardiniam.
 } Corsicam.
 } Valeriam.

Doctissimi viri Sirmondus laudatus, ac Lupus cap. 8. ad Synodum VII. scribunt, eosdem limites fuisse diocæsis civilis Vicarij urbis, & Metropolitæ Romani, atque ex regiminis civilis forma Ecclesiasticam etiam iurisdictionem præsignatam. Verum aliter sentiendum puto. Etenim Picenum Annonarium, quod Vicario Italiae per Consularem parebat, ad Metropolitam Romanam spectasse certum est. S. Gregorius Magnus lib. 7. epist. 50. iniungit Mariniano Ravennati, ut inquirat in mores cuiusdã in Ariminensem Episcopum designandi, & ubi probus visus fuerit: Ad nos, ait, cum decreti pagina vestra quoque addita testificationis epistola destinare, quatenus eiusdem à nobis Ecclesiæ, disponente Domino, consecratur Antistes. Idem etiam lib. 2. epist. 9. Castorio Ariminensi Oratorij consecrandi facultatem concedit, quam postea etiam dedit lib. 5. epist. 45. Leontio eiusdem Urbis Episcopo. At certum est, consecrationem suffraganei Episcopi ad Metropolitam pertinere. Hinc Marinianus Ravennas Ariminensem Episcopum, utpotè extra ipsius Metropolitanam diocæsim, minimè permissus est consecrare, qui tamen Fori Cornelij Antistitem, alioque suæ provinciae pleno iure consecrabat. Audiatur Gregorius lib. 6. epist. 39. ad eundem Marinianum: Fraternitatis vestrae epistola nunciante comperimus Corneliensis Ecclesiæ filios assidua supplicatione in loco lapsi quondam Episcopi sui consecrandum sibi à vobis poscere Sacerdotem. Rursus Oratoriorum, ac Basilicarum consecrandi facultas à Metropolita subditis Episcopis dabatur; vnde Montanus Metropolita Toletanus in epistola ad fratres Palentini territorij in Synodo Toletana II. tom. 2. Bini pag. 401. conquestus à suffraganeis Episcopis, qui nec provinciae privilegij, nec rerum Domini noscuntur, se in scio Ecclesias consecrari, mandat hæc ipsa: Literis vos informare debeatis, aut per nos, aut eum, qui nobis ex fratribus, & Coepiscopis nostris visus fuerit, & consecratio Ecclesiarum, Deo auspice, poterit celebrari. Præterea deputare visitatorem Ecclesiæ suffraganei Episcopi pertinet ad Metropolitam ex epist. 19. S. Ambrosij ad Constantium. Laudatæ verò Ecclesiæ Ariminensis visitatores Gregorius designavit lib. 1. epist.

R

epist.



epist. 55. & lib. 2. epist. 34. Ariminum verò situm erat intra limites Piceni Annonarij, vti etiam Fanum Fortunæ, Pisaurum, ac vicina oppida, quibus Ariminum remotius ab Vrbe est. Et quidem Gregorius lib. 5. epist. 4. scribit, à Pelagio decessore traditam fuisse Felici Episcopo Pisaurensi facultatem monasterij consecrandi, vt planè erret Rubeus lib. 5. Hist. Rauenn. dum Pisaurensem Ecclesiam Rauennati antiquitus subiectam contendit. His ita stabilitis, ante annum quadragesimum Rauennam spectasse ad Picenum Annonarium, eiusque Metropolim ciuilem fuisse ex celebri inscriptione colligitur, quam ex Mazochio mendosam Rubeus lib. 1. historiae laudatæ recitat, sed correctam exhibet Gruterus pag. 399. ea autem est.

CRONIO. EVSEBIO. V. C. AEMILIA. AD
DITA. PRAEDICTAE. PROVINCIAE.
CONTIVITV. VIGILANTIAE.
ET IVSTITIAE. EIVS. ET. RA
VENNATENSIVM. CIVITATE.
QVAE. ANTEA. PICENI. CAPVT. PRO
VINCIAE. VIDEBATVR. VICARIO
ITALIAE. QVAE. POTESTAS. SVPR
DICTO. VIRO. OB. TESTIMONIVM.
ANTEACTI. HONORIS. EST. ADTRIBVTA. &c.
AB INVICTISSIMIS PRINCIPIBVS.

DEDICATA. V. EIDVS. NOVEMBRIS. GOS.
FL. MALLIO THEODORO. V. C.

Fuerat ergo Rauenna Metropolis Piceni Annonarij, ac deinde ab Arcadio & Honorio Imperatoribus Aemiliae coniuncta fuit circa annum 399. quo Mallius Theodorus cum Fl. Eutropio consulatum iniit. Leo Augustus, vulgò Sapiens, in notitia Episcopatum ad Andronicum filium Rauennam Metropolim Piceni Annonarij statuit. Quare Rauenna pertinebat ad diocesim Romani Episcopi, cui Picenum Annonarium subiectum erat. Neque tamen, eò quòd Rauenna ciuile metropolis fuit, inde rectè deducitur, eandem Ecclesiasticam quoque metropolim fuisse. Nam certum est, Capuam fuisse metropolim, in qua Campania Consularis residebat, vnde scribit S. Athanasius in epistola ad solitarios: *Misis à Sancto Concilio in legationem Episcopis Vincentio Capuae, quae est Metropolis Campaniae.* At Episcopus Capuae non erat Metropolitanus, neque vlla in vicinos Episcopos iurisdictione pollebat. Hinc S. Gregorius Papa tanquam supremus Campaniae Metropolitae per Subdiaconos illius provinciae Ecclesias regebat. Lib. 2. epist. 35. ad Petrum Subdiaconum Campaniae scribit: *Experientia tua Clerum Ecclesiae Neapolitanae conueniat, quatenus duos, vel tres de suis eligeret, & huc ad eligendum Episcopum transmittere non omittant, qui si fortasse admonitionem tuam quolibet modo disferre tentauerint, Ecclesiasticum in eos vigorem exerce.* Idem lib. 5. epist. 11. ad Fortunatum Neapolitanum ait

Neque

Neque Clericum tuum, & neque Monachum, vel quamlibet ciuitatis aliam personam religiofam parochiae tuae à quoquam, vel ad alterius volumus iudicium exhibere. Postea: Porro autem si tu, quod non opinamur, dissimulandum putaueris, Reçtori patrimoni Ecclesiae nostrae, qui illic est, vel fuerit constitutus, noueris esse licentiam, vt quod spontè postponis, eius facere instantia modis omnibus urgearis. Libro 2. epist. 59. Lib. 7. epist. 15. lib. 8. epist. 53. eidem Fortunato dat facultatem monasteria, & basilicas consecrandi; saepè etiam visitationem Ecclesiarum Campaniae iniungit, vt planè nulla fuerit Episcopi Capuani ea in prouincia iurisdictione. Primus Capuae Metropolitae, & Archiepiscopus designatus fuit à Ioanne XIII. anno 968. Lib. 5. epist. 45. Petro Hydruntino iubet, vt visitet Ecclesias Brundisij, Lippias, & Callipoli, ac electi Episcopi earundem urbium ad nos, inquit, veniant consecrandi. Quare nec Apulia, nec Calabria vllos habebant Metropolitae.

De Sicilia idem dicendum est; frustra enim Albertus Piccolus in dissertat. de iure Ecclesiae Siciliae à cap. 9. contendit, Messanensem Episcopum antiquitus fuisse Metropolitanum ex epistola 30. ad Felicem Messanensem, quae vltima est in Registro Gregorij Magni; nam id falsum esse constat ex ijs, quae diximus lib. 1. hist. Pelag. cap. 20. Certè in eodem lib. 12. epist. 10. narrat Gregorius, Ianuarium Basilicam Messanae aedificasse, ac petere facultatem, qua posset consecrari, illam autem sub certis conditionibus eidem Felici Messanensi concedit, vt planè appareat, hunc non fuisse Metropolitanum. Praeterea libro 11. epistolam 22. inscribit *Leoni Catanensi, Secundino Tauromitano, Ioanni Syracusano, Donno Messanensi.* Non ergo iste erat Metropolitae totius Siciliae, neque enim eundem ceteris postposuisset. Idem etiam Gregorius lib. 7. epist. 11. mittit Metropolitanis Italiae, & Illyrici literas hoc ordine inscriptas: *Eusebio Thesalonicensi prouinciae Macedoniae, Vrbicio Dyrrachitano Episcopi nouae, Constantio Mediolanensi Liguriae, Andreae Nicopolis Epiri veteris, Ioanni prima Iustiniana Vicario Illyrici, Ioanni Cretensi totius Cretae, Ioanni Larissae Thesaloniae, Mariniano Rauennae Aemiliae, Ianuario Calaritano Sardiniae, & omnibus Episcopis Siciliae.* Cur Donnum Messanensem solummodò non nominauit, si erat Metropolitae Siciliae, vti de ceteris Metropolitanis Italiae, & Illyrici fecit? Gregorius verò epistola illa 30. ad Felicem scribit: *Volumus omnes in unum conuenire Episcopos, vt de incidentibus causis fiat disceptatio.* Etenim ex epist. 4. Leonis Magni Episcopi Siciliae Romam terni quotannis ad Synodum venire debebant; at cum Gregorius vnoquoque triennio semel eos venire iussisset, & quidem omnes, ob negotia tamen Ecclesiastica prouincialem Synodum in Sicilia singulis quoque annis celebrandam iussit. Quòd si Felici Synodi conuocandae curam Gregorius commisit, quod tamen nullo pacto ibidem traditur, non ideo Felix fuit Metropolitae, sed id fecit à suo Metropolitae Romano iussus, vti etiam Leontio Foroiulienfi S. Leo Magnus iniunxit, vt Synodos in Prouincia Viennensi indiceret, qui tamen non erat Metropolitae. Ex epistola prima lib. 1. eiusdem Gregorij ad Episcopos Siciliae aperte probatur, non modò nullum tum temporis ibidem fuisse Metropolitanum, sed Synodos, quas singulis quibusq; annis celebrari iusserat, coram Subdiacono Apostolicae Sedis apud Siculos Vicarium haberi solitas. Hec enim scribit: *Valde necessarium esse perspeximus, vt sicut praedecessorum nostrorum fuit iudicium, ita vni, eidemq; personae*

R 2

omnia



omnia committamus, ut ubi nos presentes esse non possumus, nostra per eum, cui praesentemus, representetur auctoritas. Quamobrem Petro Subdiacono Sedis nostrae intra provinciam Siciliam vicis nostras, Deo auxiliante, committimus. Et postea: Illud quoque fieri debere perspeximus, et semel per annum ad Syracusanam, siue Catanensem civitatem uniuersaliter honore, quo dignum est, sicut eidem iussimus, fraternitas vestra conueniat, & Ecclesiasticas causas congrua cum eodem Petro Subdiacono Sedis nostrae debeatis moderatione disponere. A quo concilio procul absint odia &c. Quare sicuti Subdiaconus Apostolicae Sedis Vicarius Synodis praesidebat, ita illius etiam erat easdem indicere. Idem vero Petrus indictione VII. anno 603. erat Vicarius Rector Siciliae eodem iterum post Cyprianum a Gregorio missus, quo anno hic laudatam ad Felicem Messanensem epistolam dedit. Hoc ipsum fufius probat P. Lupus in notis ad Synodum VII. cap. 8. De Umbria, & Tusciae Ecclesijs idem colligitur ex laudati Gregorij epistolis.

Rubeus lib. 2. recitat diploma Valentiniani, quo Ioannes Episcopus Rauennas Metropolitana dignitate ornabatur, quod etiam legere poteris apud Baronium ad annum 432. & Vghellum in tabulis eiusdem Ecclesiae tomo 2. Italiae sacrae. Cardinalis tamen eruditissime illius diplomatis falsitatem ostendit; nam ibidem Rhegium Lepidi, Brixellum ad Padum, & Placentia Metropolitanae Rauennati, quod ad sacra pertinet, subiectae vrbes leguntur, cum tamen illarum Episcopi cum Eusebio Mediolanensi, utpote eiusdem suffraganei Synodum celebrarint sub Leone Magno circa annum 451. adhuc ipso Valentiniano imperante, ut patet ex literis Synodalibus post epistolam 52. Leonis. His adde, quod Ecclesia Forocorneliensis subiecta erat Metropolitanae Mediolanensi, ut postea nobis dicetur. Quare cum Rauenna media sit inter Ariminum, & Forum Cornelij, atque haec vrbes ad alios Metropolitanos antiquitus spectarint, veritas Metropolitanae primatus Rauennatis Ecclesiae prorsus corruit. Illa dignitas sub Petro Chrysologo incepit, qui anno 450. decessit. Extat sermo eiusdem 175. de ordinatione Marcellini Episcopi Vicohabentia est autem Vicohabentia in agro Ferrariensi vulgo Viguentia nuncupata, vnde Episcopalis Sedes postea Ferrariam translata fuit. Haec Chrysologus ibidem fatetur: Omnium quidem rerum primordia sunt dura, sed duriora sunt omnibus primordia generantis. Sancta Ecclesia Rauennas, ut primum parceret, viam fecit, angores pertulit, sensit dolores. Postea: Habeat modo natus, qui primum natus est, primogeniti reuerentiam, teneat honorem. Rursus: Latantur, quia videre oculis, suscipere manibus hodie primum sanctae genitricis partum, sobolemque meruerunt. Etenim Placidia Augusta, eiusque filius Valentinianus, cum Rauennae imperij sedem post Honorium fixissent, eandem Ecclesiasticam Metropoleos dignitate per Romanos Pontifices decorandam curarunt, ea prorsus ratione, qua Sedes Constantinopolitana ob imperiale thronum Patriarchalia iura usurpauit, ac tandem pacifice tenuit.

Iam vero de duobus alijs Metropolitanis Italiae Aquileiensi, ac Mediolanensi dicendum est. Rubeus lib. 5. memorato scribit, Ecclesiam Vercellensem fuisse Transpadanae Italiae, ac Liguria metropolim, idque ex gestis S. Eusebii eiusdem vrbis Episcopi colligi: at Ambrosium a Theodosio seniore ius Metropolitanicum Mediolanensi demum Ecclesiae impetrasse. Nescio ynde ex laudatis gestis id deduci possit, neque hoc cum eiusdem Scriptoris discursu congruit.

gruit. Etenim si vbi civilis metropolis ab Imperatoribus locata erat, ibidem & Ecclesiastica statim consurgebat, nullo iure vtraque dignitas Mediolano eripi potest, ibi enim Vicarius Italiae residebat, ac ex consequenti eiusdem vrbis Episcopus erat Metropolita. S. Athanasius in epistola ad solitarios scribit: Dionysius Mediolani, quod & ipsum est metropolis Italiae. Narrat S. Maximus Episcopus Taurinensis, ab Arianis fraude, ac dolo Dionysium Mediolanensem ad impiam subscriptionem ponendam seductum fuisse, quam postea paginam cum Eusebio Vercellensi itidem subsignandam traderent, respondisse ait: Hoc sibi placere, quod illis, sed quod sibi filium Dionysium in subscribendo praepo-nerent, grauiter se moueri. Vos enim, inquit, qui dicitis filium Dei Patri Deo aequalem esse non posse, cur mihi filium praetulistis? Qua illi ratione permoti statim S. Dionysij chirographum deleuerunt priorem locum describendi beato Eusebio deserentes. At Eusebius eo pacto Dionysij subscriptione correctae, dare postea nomen recusauit. Ex quibus patet, Arianos Dionysio vti Metropolita primum in subscribendo locum detulisse, Eusebium vero non quidem ius Metropolitanicum Arianis obiecisse, sed atatis antelationem, vnde tanquam seniori priorem in subscribendo locum sibi deberi dicebat. Amplissima erat iurisdictio Metropolitanae Mediolanensis vel ante annum quadringentesimum; nam certum est Aemiliam, Liguriam, Insubriam, Alpes Cottias, Raethiam primam, meamque patriam Veronam ad Metropolitanum Mediolanensem spectasse. S. Ambrosius epist. 19. ad Constantium scribit: Commendo tibi, fili, Ecclesiam, quae est ad Forum Cornelij, quod eam de proximo interuisas frequentius, donec ei ordinetur Episcopus &c. occupatus diebus ingruentibus quadragesima tam longe non possum excurrere. Erat ergo illa Ecclesia in Aemilia subdita Metropolitanae Mediolanensi, cum illius cura ad eundem pertineret. Rursus epist. 46. ad Syagrium Veronensem scribit: Prospiciendum esse, ne de nostro obloquantur iudicio charissimi nostri Veronenses, proprijs texuisti literis. Non arbitror fore; certe non solent. Aut si obloqui soleant, haud dubie liquet, cum asperati huc veniant, pacifici ad te reuertantur. Praesertim cum hoc iudicium nostrum cum Fratribus, & Consacerdotibus nostris participatum processerit. Veronensis nostrae Ecclesiae causa deferebantur ad Mediolanensem Metropolitanam, ad quem dabatur appellatio. Verona tamen ad curam Consularis Venetiae, & Istriae pertinebat, ut ex hac inscriptione, quae Sirmione in agro Veronensi ad Benacum legitur, intelligimus.

HORTANTE. BEATITVDINE.
TEMPORVM. D.D.D. N.N.N.
GRATIANI. VALENTINIANI.
ET THEODOSII. AVGGG.
STATVAM. IN. CAPITOLIO.
DIV. IACENTEM. IN.
CELEBERRIMO. FORI.
LOCO. CONSTITVI. IVSSIT.
VAL. PALLADIVS V.C.
CONS. VENET. ET HIST.

Baronius, ac Sirmundus non modo Venetiarum, verum & Pannoniae Ecclesias ad



ad eiusdem iurisdictionem spectasse contendunt. Scribit Ambrosius epist. 25. ad Vercellenses, qui in demortui Eusebij locum alterum substituere ob diffidia differebant: *Sola Vercellensis Ecclesia nunc ex omnibus Liguria, atq; Emilia, Venetiarumq; vel ceteris finitimis Italiae partibus huiusmodi eget officio.* Ex quibus Sirmundus lib. 1. Propemptici cap. 8. hæc deducit: *An non abunde confirmat omnes Liguria, atq; Emilia, Venetiarumq; vel ceterarum finitimarum Italiae partium Ecclesias ad Mediolanensis Ecclesie Episcopi sollicitudinem pertinuisse?* Quo auctore Veneta provincia Mediolanensis Metropolitanæ iuri adscripta, Aquileiensis Ecclesia in ordinem redigitur, illiusq; Episcopus fit laudati Metropolitanæ suffraganeus. At Cardinalis Baronius etiam Illyricum Occidentale eidem Mediolanensi deputat, quod Paulinus in libro de vita S. Ambrosij ad Augustinum hæc scribit: *Sirmium vero cum ad ordinandum Anemium Episcopum perrexisset. Consecrare autem Episcopum ad Metropolitanum pertinere superius nobis probatum est.* Hinc idem ad annum 380. pag. 442. putat, Ambrosium Sirmium se contulisse: *ut Ecclesie Sirmensi suæ diæcesis consulturus præficeret Catholicae communionis Episcopum.* Additque causam: *Perseuerabat enim antiqua illa diuisio provinciarum, qua lege Vatinia coniuncta erat provincia Illyrici Gallie Cisalpinae. Quæ si vera sunt, nullus eo sæculo erat Aquileiæ Metropolitanus, quandoquidem ultra Venetiarum fines Sirmium vsque Ambrosij iurisdicção protendebatur.*

In hanc sententiam alia argumenta nos vrgent. In Synodo Aquileiensi sub Damaso anno 381. Ambrosius Mediolanensis Episcopus dixit: *Quid ergo vobis Sancti viri placeat, declarandum est. Omnes Episcopi dixerunt: placet.* In eo autem Concilio Ambrosius vti supremus Iudex Palladium Arianum interrogavit, eodemque hæreseos conuicto, Ambrosius ante cæteros, quos inter erat Valerianus Aquileiensis, hanc sententiam pronunciauit: *Iuxta ea, quæ hodie audiimus &c. Pronuncio illum sacerdotio indignum, & carendum, dum & in loco eius Catholicus ordinetur, Omnes Episcopi dixerunt, anathema Palladio.* Hoc sanè est supremæ iurisdictionis argumentum. Cur enim primus Metropolitanus Valerianus ante cæteros sententiam non protulisset? Legantur Synodi Africanæ, vbi semper Aurelius primus Metropolitanus cæteros interrogabat, primusque sententiam dicebat, quod & in Synodo Genethlij Aurelij decessoris patet, nec id in dubium vocari potest. Præterea Africani Patres in grauioribus causis Romanum, & Mediolanensem Antistitem per Nuncios conuenire solebant, nulla Aquileiensis consideratione habita. Ita in Synodo Carthaginensi Casario, & Attico Confl. celebrata scripsere in causa Donatistarum ad Siricium, & Simplicianum Ambrosij successorem. Rursus aliam legationem destinarunt in Synodo coacta post consulatum Fl. Stilichonis ad Anastasium Papam, & Venerium Mediolanensem. Seuerus Sulpitius, qui ea ætate florebat, nempe anno 400. cum lib. 2. narrasset, Priscillianistas à Damaso, dein etiam ab Ambrosio damnatos, addit: *Tum vertere consilia, ut quia duobus Episcopis, quorum ea tempestate summa auctoritas erat, non illuserant &c.* Quare post Romanum Pontificem summa tunc erat Mediolanensis Metropolitanæ in Italia auctoritas. Cum Ambrosius Siricij Papæ epistolam accepisset cum hac epigraphe: *Siricius Mediolanensi Ecclesie, eruditam epistolam, quæ inter Ambrosianas septima numeratur, idem reposuit cum his subscriptionibus: Ego Ambrosius Mediolanensis Ecclesie Episcopus subscripsi. Euentius Episcopus Cenetensis saluto Sanctitatem*

tuam

tuam in Domino, & huic epistolæ subscripsi. Maximus Episcopus Hemonensis &c. At Ceneta Venetæ provincie vrbs est, Hemonæ verò in Norico erat LXXXVI. P. M. supra Aquileiam, qua capta Maximinus Imperator teste Herodiano ad Aquileiam obsidendam exercitum duxit. Cum verò illarum vrbiū Antistites epistolæ ad Mediolanensem Ecclesiam à Pontifice datæ responderint, ad eandem illi Ecclesiam spectasse videntur, qui postea Aquileia in Ecclesiasticam Metropolim erecta eidem adscripti sunt.

Cæterum Metropolitanæ nostræ Aquileiensis Ecclesie antiquitas nobis defendenda est. Cum Auxentius Arianus rem Catholicam vexaret, S. Damasus Synodum contra eundem celebravit, ac deinde Synodicam ad Illyricos Episcopos transmisit cum hac epigraphe: *Episcopi ad Sanctum Concilium Rome conuocati Damasus, Valerianus, & ceteri dilectis fratribus Episcopis, qui sunt in Illyrico in Domino salutem.* Epistolam recitat Sozomenus lib. 6. cap. 23. Vnus post Pontificem Valerianus Aquileiensis nominatur, vt planè non infimi ordinis cum cæteris, qui suppresso nomine recitantur, appareat, sed vt vnicus tum temporis post Damasum in Italia Catholicus Metropolitanus censendus videatur. Synodus Constantinopolitana in literis ad Damasum, & Occidentales Episcopos in titulo nominat Damasum, Ambrosium, Britonem, & Valerianum; non igitur erat Valerianus inter gregarios Antistites, sed Metropolitanus. Honorius Imperator in causa Chrysoptomi ad Arcadium fratrem scribens ait: *Quenam verò sit Occidentalium de Episcopo Ioanne sententia ex omnibus ferme epistolis constat, quas ad me frequentes dederunt. Ex his duas continentes, quod reliquæ, subdidi, scilicet Romani, & Aquileiensis Episcopi.* Cur verò literas Venerij Metropolitanæ Honorius omisisset, Aquileiensis suffraganei epistolam laudans? Erat ergo summa Aquileiensis Metropolitanæ in Italia auctoritas, atq; ex Honorij testimonio proxima Pontificiæ. Venerium autem pro Chrysoptomo scripsisse refert Georgius Patriarcha Alexandrinus in libro de vita Chrysoptomi, vbi loquens de Arcadio ait: *Acceptis literis Imperatoris Honorij, Papæ insuper Innocentij, & Episcoporum Italiae Chromatij Aquileiensis, Venerij quoq; Mediolanensis, & aliorum &c.* Vbi etiam Chromatium Venerio præpositum legis, vt huius suffraganeus nulla ratione asseri possit. S. Hieronymus lib. 2. apol. 1. con. Rufinum scribit: *Ergo beati Episcopi Anastasius, Theophilus, & Venerius, & Chromatius &c. illum, scilicet Origenem, hæreticum denunciant.* Erat ergo Chromatius Aquileiensis Metropolitanus, nam vnà cum Romano Pontifice, Patriarcha Alexandrino, & Metropolitanus Mediolanensi nominatus fuit. S. Basilus Magnus epistolam 324. scribit Valeriano Illyriorum Episcopo, in qua eidem gratulatur, quod ipsius opera in Occidente Arianorum conatus irriti euaserint. Hinc primatialis Valeriani Aquileiensis dignitas elucet, ad quem vel ex Oriente honorificentissimæ literæ scribebantur. Illyricorum verò eundem Episcopum Basilus dicit, quod Græcis plerisque Scriptoribus Aquileia Illyrici vrbs videbatur, vnde Herodianus in Maximino Aquileiam in confinijs Illyriorum ponit.

Ex his colligimus minùs rectè Sirmundum lib. 2. propem. cap. 7. vocasse Aquileiensem Metropolitanam *vix Italici nominis Antistitem*, & lib. 1. cap. 8. dixisse: *Nusquam enim Aquileia inter Italiae Metropoles, neq; ab Athanasio, neque ab alijs illorum temporum Scriptoribus recensetur.* Etenim Athanasius Capuam Metropolim

polim appellauit, quod in ea Campaniæ Consularis residebat. Hac ratione Aquileia pariter Metropolis Italiæ dicenda est; nam extat lib. 8. Cod. Theod. L. 1. de execut. & exact. rescriptum Valentiani, & Valentis Imp. ad Florianum Consularem Venetia, quod etiam ex superius posita inscriptione, & ex notitia Imperij Occidentalis patet, Consularis autem debebat Aquileiæ, quæ prouinciæ prima ciuitas erat. Quod si dicat, locutum Athanasium de Ecclesiastica, non de ciuili Metropoli, id falsum apparet, ex laudatis eiusdem verbis ex epistola ad solitarios, ubi Capuam apertè Metropolim nuncupauit. Herodianus in Maximino appellat Aquileiam *maximam Italia urbem*, qua de re legatur Cluverius lib. 1. Italiæ antiquæ cap. 20. ubi plura veterum Scriptorum de illius urbis dignitate testimonia congerit. Neque verò eiusdem Metropolitanam Ecclesiasticam iurisdictionem euertunt, quæ proximè adduximus. Etenim Ambrosius in epistola ad Vercellenses illarum prouinciarum meminit, non quod omnes sibi subiectæ erant, sed quod uti viciniore, ac sibi notiores in exemplum faciliùs adducere poterat, præsertim cum ibidem appellet etiam *finitimas Italiæ partes*; cum tamen extra Italiam eiusdem iurisdictione nulla ratione extendi potuerit, cum illæ prouinciæ nec Vicario Italiæ subiectæ essent, ad cuius iurisdictionem Metropolitanam Ecclesiæ Mediolanensis dominium Sirmiondus ipse, alijq; præformarunt.

Sed nec Anemij Sirmiensis facta per Ambrosium consecratio istius dicecesim Sirmium vsq; protendit, ut Baronius existimauit. Fateor defuncto Metropolitæ à suffraganeis successorem in Synodo prouinciæ ordinari solitum, suffraganei verò consecrationem ad Metropolitanam spectasse. Attamen non semel Metropolitæ ab alio Metropolitæ consecrabatur. Ita Theophilus Alexandrinus pro ordinatione Chrysostomi peragenda ab Arcadio Constantinopolim accitus fuit ex Socrate lib. 6. cap. 2. Leo Magnus in epistola ad Anastasium Thessalonicensem ait: *Singulis autem Metropolitanis sicut potestas ista committitur, ut in suis prouincijs ius habeant consecrandi, ita eos Metropolitanos à te volumus ordinari*. Et in epistola ad Episcopos per Illyricum: *Fratrem, & Coepiscopum nostrum Anastasium de ordinando Antistite volumus consularis, cui Metropolitanæ Episcopi consecrationem statuumus*. Habentur hæc literæ in Synodo Romana sub Bonifacio II. par. 1. collectionis Holstenij. Cum verò Ambrosius in ore famæ esset, hoc & ipse speciali priuilegio ab Apostolica Sede donatus fuit, ut Sirmij Episcopum consecraret. Erat Sirmium Pannoniæ secundæ Metropolitanis, eam enim urbem Ammianus illius sæculi Scriptor lib. 21. nuncupauit *urbem matrem, populosam, & celebrem*. Et ipse Anemius in Synodo Aquileiensi dixit: *Caput Illyrici non nisi ciuitas est Sirmiensis. Ego igitur illius ciuitatis Episcopus sum*. Itaq; erat Anemius Illyricorum Pannoniæ secundæ Episcoporum Metropolitanus. Profectus est Sirmium Ambrosius, quod Iustina Augusta omni arte conabatur, ut, teste Paulino, *ab Arianis Episcopus in eadem Ecclesia ordinaretur*. Et quidem non video, quid Baronij sententiam lex Vatinia iuuat, qua Illyricum Occidentale Cisalpinæ Galliæ accensebatur. Nam licet is tractus Illyrici à Præfecto Prætorio Italiæ sæpius regeretur ex lib. 9. Cod. Theod. L. 1. 3. Depensis ad Flavianum, quod rescriptum datum est à Valentiniano II. Verona anno 382. XV. Kal. Septembris. Item lib. 1. L. 2. De Constit. Principum. Lib. 1. L. 1. Si per obreptionem ad Probum; haud tamen ad eiusdem regiminis nom-

mam

nam Metropolitana in Italia iurisdictione statui potest, aliàs vnus fuisset Italiæ, & Africae Metropolitæ; Africa enim per Præfectum Pr. Italiæ gubernabatur. Sed neque ex Præfectura Vicarij Italiæ id deduci potest, huic enim parebant prouinciæ Consulares quatuor, Venetia cum Istria: Æmilia cum Liguria: Flaminia cum Piceno Annonario; Præsidales tres, Alpes Cottia, Rhatia I. Rhatia II. At Pannonia Secunda, cuius Metropolis erat Sirmium, per Consularem regebatur; nam extat rescriptum Valentiniani, & Valentis ad Fortunatum Consularem Pannoniæ Secundæ lib. 8. Cod. Theod. L. 27. de cursu publico. Quare uti Consularis Liguriæ, & Æmiliæ Mediolani, ita Consularis Pannoniæ Secundæ Sirmij residebat.

Sed neque à nobis adducta oppositum persuadent. Ambrosius quidem in Synodo Aquileiensi primus in Palladium sententiam dixit, quod ab Apostolica Sede, & à Gratiano Imperatore illius causæ cognitor destinatus fuit. Acta tamen Synodalia Valerianum Ambrosio præpositum exhibent; ita enim ibidem Patres nominantur: *Valerianus Episcopus Aquileiensis. Ambrosius Episcopus Mediolanensis. Eusebius Episcopus Bononiensis. Limenius Episcopus Vercellensis. Anemius Episcopus Sirmiensis Illyrici &c.* Quæ tamen non adduco, ut primatum Aquileiensem supra Mediolanensem Metropolim probem. Nam cum Limenius Vercellensis Anemio Sirmij Metropolitæ præponatur, iuxta delatæ dignitatis antiquitatem Episcopi illi subscripti videntur, de qua re contra Salsum mox plura subiiciam. Ita in Sardicensi Concilio Hosius Cordubensis primus non quidem sententiam Patres rogabat, sed suam promebat, quam ceteri sequebantur; hinc rectè à Theodoro lib. 2. cap. 16. dictus fuit *Princeps Sardicensis Synodi*. Qua autoritate ille vsus est, quod illuc esset ab Apostolica Sede specialiter delegatus. In epistola autem ab Ecclesia Mediolanensi ad Siricum Papam missa suffraganei Metropolitæ Aquileiensis leguntur, quia illi duo Episcopi Ambrosium de Arianorum conatibus consulturi Mediolanum sub idem temporis se contulerant, vnde & ipsi eidem epistolæ nomen dedere, neque enim illæ literæ à Synodo ea occasione ab Ambrosio coactæ scriptæ sunt. Hæc ex eo confirmantur, quod Felix Iadertinus vnà cum memoratis ibidem subscriptus legitur: Sadera autem Dalmatiæ urbs ad Salonitanum Metropolitam, non ad Mediolanensem pertinebat. Denique quod de Africanis ad Romanos, & Mediolanenses Episcopos legationibus obijcitur, Aquileiensem primatum non explodit; nam ideo Aurelius Carthagenensis, ac collegæ ad Romanam, & Mediolanensem Ecclesiam legatos destinarunt, quia in vtriusq; Ecclesiæ Synodo vetitum fuerat, ne Donatistæ ad Catholicam unitatem conuersi sacris ordinibus insignirentur, quæ lex ob Diaconorum penuriam cum ab Afris obseruari non posset, legatos in Italiam mittendos decreuere, qui facti rationem redderent, *ex his enim sedibus hoc fuerat prohibitum*. Verba sunt Synodi Africanæ Carthagine celebratæ post consul. Fl. Stilichonis anno 401. quod rursus repetunt in Synodo Carthagenensi eodem anno peracta Vincentio, & Flauita Consi. In transmarino, inquit, *Concilio statutum est, id est, ut in parte Donati si ad Catholicam correcti transire voluerint, non suscipiantur in honoribus suis secundum transmarinum concilium*. Cum verò in Aquileiensi Ecclesia nihil de Donatistis statutum fuerit, vel ex terrarum distantia ea decreta in Africanorum notitiam non peruenerint, ideo nulla ad Chromatium ea de

S

re lega-



re legatio destinata fuit. Scripsit olim Pater Lupus in quaestione de origine Augustinensium cap. 9. pag. 142. obtinuisse *Simplicianum Mediolanensem* à *Simpliciano*, ac *Apostolica eius Sede vicariam praefecturam supra omnes Ecclesias Hispanicas, atque Africanas*. Cuius sanè dignitatis nullum vsquam vestigium vidi, nec *Simplicianus* eas regiones visitauit, non earumdem Episcopos consecrauit, quod *Vicarius Apostolicus Thessalonicensis* faciebat; non Synodos indicebat, quam ab *Apostolica Sede* dignitatem, autoritatemque *S. Caesarius Arelatensis* obtinuit; non illarum Ecclesiarum causas cognoscebat, vti *Maximianus Gregorij Magni in Sicilia Vicarius*. Quare ficta prorsus est vicaria illius *Metropolitae Mediolanensis* potestas.

Iure ergo metropolitico Primatis Aquileiensis demonstrato, alterum dubium nobis soluendum est, esset-ne idem secundus, an tertius à Romano Pontifice in Italia Metropoli *S. Hieronymus* Italicarum Ecclesiarum peritissimus contra *Rufinum* scribit: *Ergo Beati Episcopi Anastasius, & Theophilus, & Venerius, & Chromatius &c.* Venerium *Mediolanensem Chromatium Aquileiensem*, & quidem amicissimo praeponebat. *Theodoretus* epist. 112. ad *Domnum Antiochenum* ait: *De his etiam ad Dei amantissimos Episcopos Occidentis Mediolanensem, Aquileiensem, & Rauennensem scripsimus*. Eundem, quem *Hieronymus*, ordinem seruauit. At *Salmasius* priorem in Synodis locum *Aquileiensi Metropolitae* datum contendit, quia in Synodo *Sardicensi* anno 347. legitur subscriptus: *Fortunatianus Episcopus ciuitatis Aquileiae*, & post quosdam alios: *Protasius Episcopus ciuitatis Mediolanensis*. Rursum in Synodo *Arelatensi* I. subscribunt decreta: *Ex prouincia Dalmatiae ciuitate Aquileia Theodorus Episcopus, Agathon Diaconus, Ex prouincia Italiae ciuitate Mediolani Orosius Episcopus, Nazarius Leclor*. Sed haec argumenta lubrica sunt; nam in Synodis non semper dignioris sedis Episcopi primo loco subscribebant, in quam rem innumera exempla adducit *Hallier* lib. 4. Hier. Eccles. sect. 4. cap. 2. §. 76. Certè in laudata Synodo *Sardicensi* ante *Protasium Mediolanensem* subscriptus legitur *Lucius nostrae Veronae Episcopus*, qui tamen ea tempestate erat subditus *Protasio*, *Lucillum* vocat eundem *Athanasius* in apologia ad *Constantium Augustum*. In Synodo *Romana* sub *S. Agathone* Papa, vt habetur act. 4. Synodi VI. *Oecumenicae*, priori quidem loco subscripsit *Agatho* Papa cum suis suffraganeis Episcopis *Campaniae, Siciliae, Calabriae, Brutiorum, Umbriae, & Tusciae*, quae ciuiles prouinciae ad vnā prouinciam Ecclesiasticam *Romani Metropolitae* pertinebant, postea subscripsit *Mansuetus Mediolanensis* cum XVI. suffraganeis, quos secutus est *Agatho Episcopus Sanctae Ecclesiae Aquileiensis prouinciae Istriae*, post quem nomen statim dedere eiusdem comprouinciales Episcopi. Tertius à *Mediolanensi* subscripsit *Theodorus Rauennas*. Ex his aperte colligitur, *Aquileiensem Episcopum* vti *Patriarcham* non sedisse in ea Synodo, quae celebrata fuit anno 680. neque enim eo se nomine designat, & *Mediolanensi*, qui purus erat *Metropoli*, postponitur. Idem dicendum est de subscriptionibus Synodi *Romanae* praeside *Iulio Pontifice*, quae à *Salmasio* opponuntur.

Ego quidem arbitror olim de primatu *Aquileiensem, ac Mediolanensem Metropolitae* litigasse, Sedem verò *Apostolicam* eosdem pares pronunciasse. Ita *Gregorius Magnus*, cum ad Episcopos, plures simul literas daret, non illi, quem primo loco nominaret, primatum tradere videretur, à paribus lite-

ras ad eosdem datas inscriberebat: videatur lib. 7. epist. 15. lib. 5. epist. 52. Hinc cum *Mediolanensis, ac Aquileiensis* de primatu contenderent, factum est, vt ex *Apostolicae Sedis* decreto vnus alterum vicissim ordinaret. Hunc enim illarum Ecclesiarum morem antiquitus fuisse scribit *Pelagius I. Papa* in epistola ad *Ioannem Patricium*, quae habetur pag. 219. collectionis *Holstenij*: Nempe, ait, is mos ANTIQVVS fuit, vt quia pro longinquitate, vel difficultate itineris ab *Apostolico onerosum* illis fuerat ordinari, ipsi se inuicem *Mediolanensis, & Aquileiensis* ordinare Episcopi debuissent, ita tamen, vt in ea ciuitate, in qua erat ordinandus Episcopus, alterius ciuitatis Pontifex occurrere debuisset, vt & ordinando electio à presenti ordinatore ex consensu vniuersalis, cui praesicienda erat, Ecclesiae melius, ac facilius potuisset agnosci, & in sua, qui ad Episcopatum prouehendus erat, nec tamen ordinatori suo subdendus fuerat, ordinaretur Ecclesia. *Pelagius* Pontificatum adeptus est anno 556. Quando verò inceperit mos ille, quem antiquum testatur, incertum est: at dum neutrum ordinatori suo subdendum dicit, antiquitatem *Aquileiensis Metropolitae* aperte demonstrat, nullamque fuisse *Mediolanensi* in *Aquileiensem Ecclesiam* iurisdictionem.

Postea verò cum *Metropoli Rauennatis Ecclesiae* Exarchorum patrocinio suffultus esset, *Mediolanensi, & Aquileiensi* locum eripere pertentauit, ac planè Episcoporum C-P. vestigia secutus est. Etenim cum *Rauenna* *Honorij, ac Valentiniani Imperatorum, dein Theodorici, ac aliorum Gothorum Regum, & postremò Graecorum Exarchorum* Sedes euaserit, eiusdem urbis Episcopus non modò supra *Mediolanensem, atque Aquileiensem* se extulit, verum etiam autocephalam sibi vsurpans iuri *Patriarchali Romani Antistitis* se subducere effræni prorsus ambitione conatus est. Neque verò id illi difficile fuit, *Aquileia* ab *Hunnis, Mediolano* à *Gothis, ac Longobardis* euerso, ita vt earumdem urbium Episcopi procul ab antiquis sedibus degerent. In Synodo quidem *Romana* sub *Symmacho* anno 511. primo loco sedit *Caelius Laurentius Mediolanensis, secundo verò Petrus Rauennas*. At *Theodorico* Rege *Rauennae* degente, Episcopus *Rauennatum* à *Ioanne Pontifice* secundum à *Romano Praesule* locum impetrauit, cum idem dixisset decessorem *Petrum* in Concilio *Symmachi gratia humilitatis* locum *Mediolanensi* cessisse. Haec sanè testatus est *Hunfridus Rauennae Episcopus* in Synodo *Romana* sub *Clemente II.* cum de praecedentia cum alijs altercicaretur. Sed huius fides sit penes *Athorem*; nam vidimus etiam anno 680. *Rauennatem* post duos illos *Italiae Metropolitae* subscripsisse, vbi cum tres *Archiepiscopi* memorati cum suffraganeis nomen dederint, debitus in subscribendo ordo seruatus videtur. Attamen saeculo nono *Archiepiscopus Rauennas* primus *Italiae* post *Pontificem* *Metropolitae* habebatur. *Carolus Magnus* in testamento, quo *Metropolitanis Ecclesijs*, quae intra imperij *Occidentalis* fines numerabantur, pleraque legauit, easdem hoc pacto recensuit, vt primo loco *Rauennas, secundo Mediolanensis, tertio Foroiulienensis, seu Aquileiensis Ecclesia* numeraretur. Haec ibidem apud *Baronium* ad annum 811. pag. 576. leguntur: *Nomina verò Metropolitanarum ciuitatum, ad quas eadem elemosina, vel largitio data est, haec sunt: Roma, Rauenna, Mediolanum, Forumiulij, Gradus, Colonia &c.* *Luitprandus Ticinensis Diaconus* lib. 2. de gestis Imperatorum, & Regum cap. 13. scribit: *Per id tempus Rauennatis Sedis, qui secundus post Romanum Archiepiscopus Archipraesulatus*



*latus habebatur, Petrus Pontificatum tenebat. Hic Petrus anno 904. Rauennae se-
debat. Verum id egrè tulere Patriarche Aquileienses. Quare Rothaldus Aquilei-
ensis summi vir ingenij, ac rerum gestarum gloria insignis ad Ecclesiae suae
priuilegia aduersus Rauennatum Antistitem rapinas reparanda animum con-
uertit, atque à Leone VIII. anno 964. diploma impetrauit, quo primus Ita-
liae Metropolitae post Romanam sedem declarabatur. Verba Leonis apud
Vghellum tomo 5. Italiae Sacrae in tabulis Aquileiensibus haec sunt: *Volumus
scilicet, & Apostolica auctoritate iubemus, ut inter omnes Italicas Ecclesias Dei sedes
prima post Romanam Aquileiense, cui Deo auctore praes, habeatur. Verum quod
Leo ille Schismaticus fuit, Poppo Aquileiense à legitimo Pontifice literis ob-
tentis vetera Ecclesiae suae iura accerrimè tutatus est. Etenim non modò armis
eiusdem iurisdictionem asseruit, ac nobilissimo templo, quod etiamnum ex-
tat, eandem exornauit, verum etiam à Ioanne XIX. nouo diplomate impetra-
to illius primatum confirmauit, in quo haec leguntur: *Inclinati namque precibus
vestris Apostolica auctoritate concedimus, & per huius nostri priuilegij paginam confir-
mamus vobis, vestrisque successoribus Patriarchatum Sanctae Aquileiense Ecclesiae
fore caput, & metropolim super omnes Italiae Ecclesias, quoniam ante omnes constituta
tam, & in fide Christi fundatam esse cognoscimus, atque volumus Sanctam Aquileien-
sem in cunctis fidei rebus peculiarem, & vicariam, & secundam esse post hanc alman-
Romanam Sedem, sicut olim à B. Petro Apostolo concessum fuisse videtur &c. Dat.
mense Septembris indictione decima in sacratissima sede B. Petri Apostoli anno quarto Do-
propitio Pontificatus Domini Ioannis Summi Pontificis, & vniuersalis Noni decimi Pa-
pe. Anno 1026. mense Septembri indictio X. inchoabatur. Ex hac subscrip-
tione colligitur, Ioannem XIX. vt scribit Panuinius, XX. vt vult Baronius,
anno 1023. pridie Kal. Martij ad Pontificatum euectum, non verò anno se-
quenti, vt vterque Scriptor, alijque vulgò existimarunt. Nam anno 1026.
mense Septembri quartus annus eiusdem Pontificatus numerabatur; fauente
Matthaeus Westmonasteriensis: *Anno gratiae, inquit, 1023. Ioannes sedet in
cathedra Romana annis nouem.****

Ceterum post viginti annos de trium Italiae Metropolitanarum praecedentia
iterum lis agitata fuit coram Clemente II. in Synodo Romana celebrata inen-
te anno 1047. in qua Pontifex decessorum sententiae non stetit, sed primum
locum Metropolitae Rauennati, secundum Aquileiensi, tertium deniq; Me-
diolanensi adiudicauit. Vghellus tomo 2. Italiae sacrae in tabulis Rauennatis
Ecclesiae Clementis diploma ex Archiuo Vaticano depromptum refert. Da-
bo insigniora fragmenta: *Vnum, inquit Pontifex, propitiante Domino nobis con-
cessum est illic determinare, quod multoties ventilatum à retro Pontificibus praedece-
ssoribus nostris, aut vix, aut nullo sine sopitum est; illud videlicet in Synodo sedendi iur-
gium, quod emerferat inter Rauennatem, & Mediolanensem Archiepiscopos, unde
in ipsa nostra Synodo Aquileiense Patriarcha musitabat; quisquis enim sibi iuxta
dexteri lateris locum vendicabat, & cui iure deberetur, nobis incertum erat. Postea
Contigit autem prima die Synodi non interesse Mediolanensem Archiepiscopum à primor-
dio, sed iam die inclinato, cum Patriarcha à dextris nostris sederet, interposita tamen
sella charissimi filij nostri imperatoris Henrici, qui iam iam aduenire putabatur, quia
loci erat electus quoque Rauennatis Ecclesiae, à sinistris vt sederet, quo Mediolanen-
se Archiepiscopo in medium veniente, dextrum quia locum petierat, hinc acclamatum est*

ab

*ab electo Rauennatensi, sibi deberi illum, simili modo à Patriarcha Aquileiensi, & ita
vnius rei altercatio inter sese orta est. Scribit, Mediolanensem adduxisse Syno-
dum à Symmacho Papa celebratam, in qua Rauennatem praecesserat; hunc
verò Ioannis II. decretum opposuisse, quo ea in Synodo Petrum Rauennatem
humilitatis gratia alteri locum celsisse testabatur; denique Aquileiensem Ioannis
XIX. laudatum diploma exhibuisse. Quibus ritè discussis, traditè Synodi sen-
tentia causam Rauennati Metropolitae adiudicatam fuisse dextero eidem loco
assignato, Imperatore tamen non praesente, qui si adesset, iussus fuit Rauen-
nas ad sinistrum Pontificis latus transire, & concludit: *Verum ne posthac iterum
vel Archiepiscopo Mediolanensi, vel Patriarcha Aquileiensi de sessione dextri lateris
nostri liceat excitare quamlibet controuersiam, interdicens nostra Apostolica auctoritate,
hoc eis de cetero licere, quòd si fortè fuerit praesumptum, pro temeratione interdicti nostri
non modò bannum S. Petri nostrae Sedi persoluat, verum nostrae quoque excommunicatio-
nis, & anathematis laqueos incurrat. Sedem etiam Rauennatis Archiepiscopi iubemus
semper esse à dextris nostris, nostrorumq; successorum secundum antiquae constitutionis au-
thoritatem, nisi fortè Imperator adsuerit, & tunc etiam ipsum sinistrum locum tenere per
hanc nostrae auctoritatis firmantis firmitatem huic nostrae narrationi subiectam. Et haec
anno 1047. statuta sunt.**

Ex his manifestum fit, Antistitem Aquileiensem nomine tenus Patriar-
cham fuisse, neque enim Metropolitae Italiae primum eidem locum dare recu-
sasset, neque Apostolica Sedes Rauennatem Archiepiscopum eidem praefe-
rendum iudicasset. Sed neque Ioannes XIX. cum primum illi ipsi locum dan-
dum inter Italiae Antistites pronunciauit, vllam Patriarchalis dignitatis men-
tionem fecit, sed ob antiquitatem Aquileiense Ecclesiae à D. Marco fundatae
eundem caeteris se praefere dixit. Fuit ergo Patriarcha Aquileiense antiqui-
tus solo nomine talis, nec vllò Patriarcharum priuilegio exornatus. Ita Græ-
ci quosdam habere penes nudum nomen Metropolitae, qui tamen alteri Me-
ropolitae subiecti erant. Marcianus Imperator act. 6. Synodi Chalcedonensis
ob habitam ea in vrbe Synodū honorare eandem volens dixit ad Patres: *Ad ho-
norem Sanctae Martyris Euphemiae, & vestrae pariter Sanctitatis Chalcedonensem ci-
uitatem, in qua sanctae fidei Concilium gestum est, Metropolis priuilegia habere sanc-
imus, nomine tantum hanc honorantes, salua videlicet Nicomediensium ciuitati propria
dignitate. Hos penes titulum Metropolitae Græci posteriores Archiepiscopos
dixere, quorum catalogum in Græco Imperio recitat Leo Sapiens in Notitia
Episcoporum ad Andronicum filium in calce libri Georgij Codini de Officijs
Aulae, & Ecclesiae C-P. De hisce Metropolitae legatur Lupus in notis ad ca-
nonem XII. Chalcedonensem, in quo haec statuta sunt: *Quaecumque vero ciuita-
tes iam literis imperialibus Metropolitanis nominis honore subnixae sunt, honore tantum-
modo perfruantur, & qui Ecclesiam eius gubernat Episcopus, saluis scilicet verae Me-
tropolim priuilegijs suis. Ita definita est lis inter Eunomium Nicomediensem, &
Anastasium Nicænum de iure Metropolitico contententium, de qua re agitur
tota actione 13. laudatae Synodi, in cuius fine haec per gloriosissimos Iudices
ex Patrum sententia statuta leguntur: *Autoritatem quidem Metropolitanam inter
Ecclesias prouinciae Bithyniae Nicomediensis reuerendissimus habebit Episcopus, Nicæ-
no habente honorem metropolitani tantummodo, subiacente autem ad exemplum aliorum
Episcoporum prouinciae Nicomediensi; hoc enim visum est Sancto Concilio. Sed ab ea
senten-***

sententia Nicani Metropolitæ postea recesserunt; excussa enim Nicomedien-
sis in ipsos iurisdictione, sex Bithyniæ Ecclesias eidem subreptas propriæ Me-
tropoliti subiecerunt, ut patet ex notitia laudata Leonis Imperatoris. Ibidem
tamen Nicanus solo nomine Metropolitæ cæteris suffraganeis Nicomedien-
sis Ecclesiæ præponitur. *Adductæ etiam leges, inquit Patres, nomine Metropolitæ
solummodò honorarunt Nicanam civitatem, & præponitur reliquis Episcopis provinciæ
solummodò.* Hac ratione etiam Metropolitæ Aquileiensis Patriarchæ titulo pe-
nes solum nomen ab Apostolica Sede decoratus fuit, ac reliquis Italiæ, & Oc-
cidentis Metropolitæ præpositus. Etenim cum Aquileiensi Patriarchæ, qui
anno 1047. à Clemente II. Ravennati decedere iussus fuit, paulò post succes-
sisset Gesobaldus (Gotepoldum, vocat Sabellicus lib. 5. de antiqu. Aquileiæ)
nempe anno 1049. ab Alexandro II. Ecclesiastica iurisdictione adactus, Fo-
rolii, & Istriæ dominio ornatus, ac Romani quoque imperij Principibus ad-
numeratus est, & primum locum tum ipse, tum successores ob utriusque im-
perij civilis, & ecclesiastici amplitudinem inter reliquos Occidentis Metro-
politæ obtinere, & etiamnum obtinent, licet provinciæ dominio exclu-
si, & in Synodis Oecumenicis cum alijs Patriarchis ante omnes Archiepisco-
pos sedent. Amplissima est Patriarchæ iurisdictione, Venetias enim, nempe Mar-
cham Tarvisinam moderatur usque ad Brixien-
sium confinia, insuper Forum-Iu-
lium, Istriam, Noricum Ripense, Noricum Mediterraneum, ac Rætiam I.
Hic corrigendus est Vghellus, qui tomo 5. Italiæ sacræ de Aquileiensi Antisti-
te ait: *Patriarcha interim tanquam pupillus veteri patrimonio, ac domicilio deturbatus
centenarium iam propè annum sua sede exulat, & precario Venetijs degit.* Nam licet
Aquileiæ, quæ parvarum modò casarum, rarique habitatoris ob aeris gra-
uitatem statio est, ac dempto templo satis amplo à Poppone extructo, ma-
gnæ quondam vrbs umbra, non resideat, Vtini tamen, quæ provinciæ Me-
tropolis est, moratur in nitidissimo, atque in structissimo palatio (Patriarcha-
tus vulgò civibus nuncupatur) ac quædam etiam insignia provinciæ oppida
pleno iure possidet. Illum modò Patriarchalem thronum insidet Eminentissi-
mus D. Ioannes Delphinus S. R. E. Princeps Cardinalis, de quo præstat sile-
re, quàm pauca dicere. Etenim siue auitam gentem belli, pacisque artibus
insignem, siue singularem eiusdem purpurati Principis eruditionem, atque
agendarum rerum scientiam, siue eximiam, omnibusque expositam, ac raro
summa cum dignitate coniunctam comitatem consideres, vix prima magni
Præfulis lineamenta duces; quicquid enim dixeris, minus erit.

CAPUT XI.

*Theodorum Mopsuestenum Pelagianum, Ibas, ac Theodoretum Theodori
laudatores contra Synodum V. ex Concilij Chalcedonensis Statu-
tis Halloix perperam defendit.*

Antequam in longius protractam contra nuperum Origenis defenforem
dissertationem claudam, trita illa obiectio à veteribus schismaticis
plenis buccis decantata, & ab aduersario ingenti animositate iterum producta
nobis reiicienda est: nempe Synodum V. in damnando Theodoro Mopsue-
stia,

stia, scriptis item Theodoretæ contra duodecim capitula S. Cyrilli, ac deni-
que Ibas epistola aduersatam esse Synodo Chalcedonensi. Dabo ipsamet ac-
cusatoris verba, ne per iram aliquid vel demere, vel addere videar. Ille lib.
4. q. 10. S. 14. hæc scripturæ: *In Concilio Chalcedonensi à S. Leone Pontifice habito,
& approbato iudicatus est Ibas Orthodoxus, & quidem ex epistola ad Marin scripta,
in quinto autem Concilio eadem epistola vocatur impia.* Rursus S. 16. subdit: *De per-
sona quoque Theodoretæ contraria senserunt Concilium Chalcedonense presidentibus Lega-
tis S. Leonis Papæ, & Concilium V. procurante Iustiniano. Nam illi Theodoretum
nulla afficiendum contumelia censuerunt &c. Iustinianus autem una cum suis assentato-
ribus scripta eiusdem Theodoretæ contra Cyrillum condemnari nominatim voluit.* Deni-
que S. sequenti 17. ita fatur: *Concilium autem V. contra proprium caput pugnant,
id est contra Vigilium Papam, damnauit Theodorum Mopsuestenum, quem Patres
Concilij Chalcedonensis, & Ephesini primi censuerant non damnandum.* Hæc ille. Pu-
det sanè ista referre, sed magis eadem piget refellere, cum à maioribus no-
stris adeo exactè cuncta dissoluta sint, ut mirum videatur, inde alicui potuisse
nouam difficultatem oriri. Ego ita agendum mihi constitui: Quid supremi
Ecclesiæ Iudices, hoc est, Romani Pontifices in hac causa definierint, expo-
nam, & ex oraculo deductis responsis aduersarij obiectionem explodam.

S. Gregorius Papa, cum nonnulli apud Theodelindam Longobardorum Re-
ginam Synodum V. calumniarentur, quòd hæc contra Concilij Chalcedonen-
sis decreta canones tulerit, datis ad Reginam literis hominum inscitiam hisce
perstrinxit libro 3. epist. 4. *Quantum vos purè diligimus, tantum de vobis fortius
dolemus, quia vos imperitis, stultisque hominibus creditis, qui non solum ea, quæ lo-
quuntur, nesciunt, sed vix ea percipere, quæ audierint, possunt. Dicunt enim pie mem.
Iustiniani temporibus aliqua contra Chalcedonensem Synodum fuisse constituta, qui dum
neque legunt, neque legentibus credunt, in ipso errore manent, quem sibi de nobis ipsi sin-
xerunt. Nos enim teste conscientia fatemur, de fide eiusdem S. Chalcedonensis Concilij
nihil motum, nihil esse violatum, sed quicquid prædicti Iustiniani temporibus actum est,
ita actum est, ut fides Chalcedonensis Concilij in nullo vexaretur. Rectè: nam Patri-
bus Synodi V. nihil magis cordi fuit, quàm Synodi Chalcedonensis fidem
sartam, tectam seruare. Hinc S. Eutychius Patriarcha C-P. qui primus sub-
scripsit Synodum, hæc apposuit: *Eutychius &c. suscipiens sanctas quatuor Syno-
dos, id est Nicenam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, & Chalcedonensem,
& quæ ab ipsis de una, eademque fide definita sunt &c.* Quæ clausula ab alijs Pa-
triarchis, & Metropolitæ iisdem planè verbis in subscriptionibus addita fuit.
Horum rationem Pelagius Papa egregiè tradidit; nam Synodus Chalcedo-
nensis finita est actione sexta, eò usque enim de rebus fidei actitatum fuit, ob
quas à S. Leone Papa coactus fuerat facer ille Præfulum congressus; in reli-
quis verò actionibus de priuatis quibusdam negotijs extra Apostolicæ Sedis
mandata peractum fuit à Patribus, quorum iudicia haud irrefragabili autho-
ritate munita sunt. Audiatur Pelagius in epistola tertia longiori ad Episcopos
Istriæ: *Vigilanti ergo cura, inquit, respicite, quæ in sexta illius actione sanctæ fidei
professio consummatur, moxque in septima ad institutionem iam fidelium regula canonum
figitur, & ulterioribus verò actionibus nihil de causa fidei, sed sola negotia priuata ver-
santur. Hoc probat, quia post actionem illam VI. & subscriptionem Patres à
Marciano Imperatore discedendi facultatem flagitarunt illis vocibus: Dimitte
nos,**



nos, pie Imperator, dimitte nos. Præterea quia Talassius Metropolita Cæsareæ Cappadocum rediens ex Synodo Chalcedonensi ad suam Ecclesiam non tulit nisi sex actiones Synodales teste Alipio eius successore, quod ea, quæ postea deliberata sunt, ad fidei dogmata, ac statuta Synodalia non pertinebant. Denique adducit idem Pelagius Papa S. Leonis epistolam 60. ad Maximum Antiochenum, in qua hæc scribit: *Si quid sanè ab his fratribus, quos ad Sanctam Synodum vice mea misi, præter id, quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis, quia ad hoc tantum ab Apostolica Sede sunt directi, ut excussis heresibus catholice essent Ecclesie defensores. Quicquid enim præter spectatas causas Synodali Conciliorum ad examen episcopale defertur, potest aliquam dijudicandi habere rationem, si nihil de eo est à Sanctis Patribus apud Nicenam diffinitum.* Ex quibus infert Pelagius, posse iterum causas retractari, quæ extra dogmata fidei à Patribus Chalcedone iudicata sunt.

Cum anno 431. præside Cyrillo Synodus Ephesina contra Nestorium celebraretur, lectum publicè fuit symbolum Theodoro attributum, quod cum Iudaicum appareret, damnatum fuit à Patribus, ita tamen, ut anathemati Theodori Mopsuesteni nomen insertum minimè fuerit, cuius rationem dat idem Cyrillus in epistola ad Proclum Antistitem C-P. hæc de eadem Synodo scribens: *Nullam viri memoriam fecerat dispensatiuè, nec ipsum nominatim anathemati subiecit propter dispensationem, ne quidam ad existimationem viri respicientes sese ab Ecclesijs separarent.* Hoc symbolum sub nomine Theodori fusiùs impugnaverat Marius Mercator paulò post celebratam Synodum Ephesinam, cuius MS. opus habetur in Bibliotheca Vaticana inter codices Palatinos Num. 234. quæ notauimus lib. 2. hist. Pelag. cap. 6. Iam enim vel ante Synodum Ephesinam malè audiebat Theodorus veluti Nestorij Magister, sed illius scripta de Inarnatione postrema ætate ab eodem confecta haud satis nota erant. Cæterùm damnato Nestorio, eiusque libris à Theodosio Imperatore proscriptis, ac eorum lectione interdicta, Nestoriani Theodori Mopsuestiæ, ac Diodori Tarsensis scripta in plura exemplaria transcribere, palam asserentes, Nestorium haud nouorum dogmatum authorem extitisse, sed ea tantum docuisse, quæ Patres olim tradiderant, statimque Theodori, ac Diodori sententias producebant, quorum libros Syriaca, Armena, ac Persica interpretatione scriptos ediderant. Rabulas Metropolita Edessenus non modò libros Theodori damnauit, verùm & personam anathemati subiecit, licèt idem olim mortuus fuisset. Scribit hoc in epistola ad Marim Ibas Rabulæ successor: *Hunc, nempe Theodorum, ausus est, qui omnia in Ecclesijs præsumit, clarè anathematizare.* Hinc ortæ nouæ in Oriente dissensiones, atque in eadem causa non vna erat Patriarcharum sententia. Ioannes Antiochenus nec personam, nec libros Theodori anathemate percellendos esse iudicabat; nam ad Cyrillum scribit cum sua Synodo: *Quale damnum non apertum erit, dicta non solum refutare, sed etiam anathematizare?* Et postea: *Vt autem anathema eis imponatur arbitramur audax, & asperum apparere, etsi personæ cum dictis non anathematizarentur.* Extat hæc epistola tomo 5. operum S. Cyrilli par. 2. Proclus C-P. excerpta ex libris Theodori solidè confutauit, atq; uti hæretica dogmata abiicienda dixit in romo scripto ad Armenos, qui legitur in bibliotheca PP. nihil interrim de persona Theodori decreuit. S. Cyrillus in epistola ad Proclum ita

de

de Theodoro statuit: *Si adhuc enim in uiuis esset, & Nestorij blasphemiarum fautor, aut suffragari uellet ijs, quæ scripsit, ipse anathema etiam in propria persona subiisset; quoniam uerò ad Deum abiit, sufficit, ut ego puto, & quæ absurdè ab ipso scripta sunt, reijci ab ijs, qui rectè sentiunt.* Scribit idem Cyrillus in epistola ad Acacium Melitenum, plerosq; Orientalium adeo Theodori studiosos fuisse, ut has in Ecclesijs exclamationes emitterent: *Crescat fides Theodori; sic credimus, sicut Theodorus.* Quod idem scribens ad Proclum testatur, simulq; adstruit ab alijs eundem anathematizatum: *Magnum uerò, inquit, eius nomen esse per Orientem, & mirificari nimium conscripta eius, & sicut dicunt, contristantur omnes, quòd uir nobilis, & defunctus in communionem Ecclesiarum anathematizatur.* Nunc uerò quòd in conscriptis eius inuenimus quædam nefariè dicta, & nimie plena blasphemie, nulli dubium est rectè sapientium. Idem tamen Cyrillus in Ephesina Synodo in Nestorio Magistri Theodori doctrinam damnauit. Author est Leontius in libro de sectis act. 6. S. Cyrillum interrogatum, cur Theodorum anathemate non percuteret, respondisse: *Quia Orientalium Ecclesie ingens dissidium excitabimus, quorum unus est Ibas, qui eum anathematizari non patietur.* Idem uerò Leontius act. 4. edisserens, cur nec Diodorus, nec eius discipulus Theodorus uiuentes impugnatì à quopiam fuerint, hanc rationem assignat: *Quòd pugnandi sectas maiores necessitas eiusmodi dogmata tegeret.* Verùm paulò post Imperatorum lege cautum est, ne quis Theodori libros legeret. Imperialem sanctionem Theodosij, & Valentiniani refert Synodus V. act. 5. Summa decreti est: *Si quis præterierit præsentem nostram sanctionem, & Theodoro, & Nestorio assenserit, & illorum socios imitatur, post ultionem gladij omnis eius substantia fisco abdicatur.* Nihil tamen contra personam iam demortui statutum fuit, nec defuere, qui ipsum impensius colerent, librosq; eius summis præconijs exciperent. Hos inter fuit Ibas Metropolita Edessenus in Mesopotamia, à quo in famosa illa epistola ad Marim Persam hisce laudibus ad vsque sydera Theodorus euehitur: *Theodorus ueritatis prædicator, & Doctor Ecclesie, qui non solum uita sua colaphis cecidit hereticos pro ueritate sue fidei, sed & post mortem spiritualia arma in opusculis suis Ecclesie filijs dereliquit.* Hæc encomia lecta fuerunt in Synodo Chalcedonensi, dum Ibe epistola examinabatur, quæ tamen apertè à Patribus reijcta non fuere. Hinc Acephali, qui nodum in sirpo querebant, inter alia argumenta, ob quæ à Chalcedonensi Concilio recipiendo se abstinere dicebant, hoc unum opponebant, quòd ea in Synodo Theodorus impunè laudatus fuisset. Quare Iustinianus, qui omnem mouebat lapidem, quò Acephalos ad Ecclesie unitatem reduceret, Theodorum licèt ante centum, & viginti septem annos defunctum in Synodo V. damnandum curauit. Nolo hic discutere, an mortuus in pace Ecclesie possit postea anathematizari, de qua re egregiè P. Lupus in notis ad collationem 5. nostræ Synodi, mihi satis est ostendere Synodum V. non esse aduersatam Concilio Chalcedonensi; nam Patres, ut mox dicam, de illa Epistola Ibe parum curarunt, nec unum fuit omnium de Iba iudicium, idque actione decima peractum est, nempe iudiciali, non Synodali sententia, Synodo iam circa actionem sextam terminata. Cum uerò Ibas in Synodo Chalcedonensi palam coactus fuerit Nestorio anathema dicere, idem & Theodorum damnasse dicendus est, præsertim qui iam lege Imperatorum ante Synodum reiectus esset. Itaque Synodus cogens Ibam ad publicè anathematizandum,

T

Nesto-



Nestorium, tacite Theodori confutationem iniunxit, & Ibas damnans discipulum, etiam magistrum proiecit, ac laudum huic delatarum palinodiam eo pacto cecinit.

Ita sane Romani Pontifices, ac Synodi Oecumenicae Theodorum Mopsuestiae cum haeticis postea semper nominarunt. Certè ex libro eiusdem à Photio producto, cuius etiam fragmenta ex Mercatore recitauimus lib. 1. hist. Pelag. cap. 9. Pelagianorum pessimus fuit, & omnium calumniarum author, quas Iulianus Eclanensis postea forbuit, eructauitque. Et quidem lib. 2. historiae memoratae cap. 4. diximus ex eodem Mercatore, Theodotum Patriarcham Antiochenum contra Pelagianos Synodum celebraffe, cuius decreta ad ipsam Theodorum transmissa fuisse certum est, erat enim Episcopus in Cilicia secunda, quae intra dioecesim Antiocheni Praesulis sita erat, quare à suo Metropolitano Anabarzensi Maximiano, vt moris erat, Synodalia Patriarchae Antiocheni statuta accepit, quibus perlectis, an Pelagianorum errorem exuerit, incertum est. Scribit Hysichius Hierosolymitanus in Ecclesiastica historia, vti Synodus V. act. 5. refert, vltima illum senectute Nestorij errores docuisse, atq; haec inter alia tradidisse: Christum non incarnatum Verbum, sicut Evangelicis vocibus edocti sumus, sed hominem per vitæ prouectionem, & passionum perfectionem coniunctum Deo Verbo. Imò Vigilius Papa in literis ad Eutyrium pro confirmatione Synodi V. eadem de Theodoro narrat: Etenim, inquit, inter ceteras ipsius blasphemias aperte ipsum dixisse inuenimus: Alium esse Deum Verbum, & alium Christum à passionibus animæ, & concupiscentijs carnis vexatum, & paulatim à minoribus recedentem ad meliora per profectum operum peruenisse, & conuersatione irreprehensibilem factum. Quae omni Pelagiana maior blasphemiam est, vt scribit S. Augustinus cap. 15. de praedestinatione Sanctorum. Viuentem autem Theodorum nonnulli Patres laudarunt, sed Pelagius in epistola ad Episcopos Istriae respondet: Quid itaq; obstat, si dum de eius errore occultum adhuc, & dubium fuit, ab vno Patre laudatus est, & innotescere post perfidia penè omnium magnorum Patrum sententijs VELVT IMMANIS BELVA, quasi crebescantibus iaculis est confectus. De Theodori damnatione haec tradit S. Gregorius Pelagij successor lib. 2. epist. 36. ad Episcopos Istriae: In Synodo, in qua de tribus capitulis actum est, aperte liquet, nihil de fide conuulsum esse, vel aliquatenus immutatum, sed sicut scitis de quibusdam illis solummodo personis est actitatum, quarum una, cuius scripta euidenter à rectitudine Catholicae fidei deuiabant, non iniuste damnata est.

At non solum Sanctissimi quique vetustioris Ecclesiae Patres Theodorum condemnarunt, sed etiam nostro saeculo, & Romana Sedes, ac Synodi eundem lata sententia proscripserunt. Cum in Oriente Nestoriani ex Theodori libris damnatos olim in Ephesino Concilio errores etiamnum defenderent, in id nostris maximè incumbendum fuit, vt Theodori nomen, ac libros euertarent. Noster Alexius Menezius Archiepiscopus Goanus, ac Orientis Prorex, dein Bracarensis in Lusitania Primas, ac regni totius itidem Prorex, magnum in vtroque Orbe Augustiniana gentis incrementum, hic inquam, cum in Oriente versaretur, nihil antiquius habuit, quam Nestorianos Orientales ad Orthodoxum dogma reuocare. Celebravit Synodum Diamperitanam, quam iusto volumine edidit Antonius Gouea Augustinianus vir insignis, & Persica legatione summa cum gloria functus. In ea autem actione III. decreto

IX. narratur, quod sexta feria post natalem Domini à Nestorianis recitabatur officium, vt vulgò dicunt, de Sanctis Nestorio, Theodoro, & Diodoro, quorum etiam nomina inter sacrosancta mysteria in Diuorum diptychis posita, quotidie memorabantur. Actione 5. decr. 1. haec à Diacono inter Missarum solemnias recitari solita asseruntur: Commemoramus quoq; Patres nostros Sanctos, & veritatis Doctores Dominum, & Sanctum Nestorium, S. Diodorum, S. Theodorum, S. Ephrem, S. Abraham, S. Narcisum, omnes quoq; Doctores, & Presbyteros veritatis cultores. Oremus, vt ipsorum orationibus veritas pura, ac sincera doctrina, quam docuerunt, & professi sunt, in omni Ecclesia Sancta custodiatur vsq; ad consummationem saeculi. Hinc Menezius professioni fidei, quam ad Catholicum dogma venientes recitabant, haec inferi iussit: Condemno, reprobò, & anathematizo specialiter diabolicam, & peruersam haesim Nestorianorum cum ipsius prauo authore Nestorio, huiusq; falsis magistris Theodoro, & Diodoro. Actione 2. decreto 1. Petrus Morinus vir eximia, & incomparabilis eruditionis par. 2. de Syrorum Nestorianorum ordinatione recitat ritum Episcopi consecrandi, vbi nonnullis Patribus laudatis adduntur & Diodorus, & Ioannes, & Theodorus MARE SAPIENTIAE. Et ibidem dicuntur: Architecti Ecclesiae Sanctae, Magistri mysteriorum Dei, & Doctores cultus veritatis, preces eorum sint nobis murus, & propugnaculum. Sed Pauli V. grauissima censura hic sanè repetenda est, qua Theodorum Mopsuestenum, eiusq; scripta confixit. In epistola ad Patriarcham Babylo-nis data VIII. Kal. Aprilis 1614. haec habet: Sectatores Nestorij nefaria eius dogmata ex commentarijs, vt diximus, Theodori Mopsuesteni, à quo virus perditissimae haeresis hauserat, & ex his, quae ab eius fautoribus contra B. Cyrillum, sanctamque Ephesinam Synodum scripta fuerunt, callide instaurare, atq; in vulgus serere studuerunt. Vnde maxima Orientis pars postmodum infecta fuit, praecipue Chaldaei, qui hac de causa deinceps Nestoriani dicti sunt. Propterea monemus fraternitatem tuam, atq; efficacissime hortamur, vt Theodori Mopsuesteni scripta, pariterq; Diodori Tarsensis, qui cum eo pessime sentiebat, lethalis huius mæsis infausta semina, si vt accipimus, apud vos reperiuntur, delere, effringere, penitusq; ex vestra Natione exterminare omnino studeas. Quippe Theodorus tanquam haeticus, ac pessimae doctrinae author à Sanctis Patribus in Quinta vniuersali Synodo, vt videre poteris, secunda videlicet Constantino-politana, damnatus est &c. Apud Paulum de Angelis lib. 11. descript. Basilicae S. Mariae Maioris cap. 11. Adeo rei Ecclesiasticae Nestorij discipuli nocuere, cum Diodori, ac Theodori volumina malitiose in Syrorum, linguam, & Armeniorum, atq; Persarum transtulere, teste Liberato cap. 10. Breuiarij. Quid hic reponet Halloix? Paulum V. ignorasse Vigilij Constitutum, quod primus Baronius publicauit? At haec ipsa post celeberrimos illos Baronij annales prodierunt. Episcopi Armeniae in literis ad Proclum C-P. hocce epitaphium Theodori sepulcro inscribendum exararunt: Fuit autem aliquis PESTIS HOMO, magis autem FERA HOMINIS HABENS FORMAM DIABOLICAM MENTITO NOMINE THEODORVS, qui schisma, & nomen Episcopi habuit in angulo, & ignobili loco Orbis terrarum latitans in Mopsuesteno Cilicia secunda oppido. Haec leguntur in Epist. 3. Pelagij ad Istros, & act. 5. Synodi Quintae.

De Iba epistola scribit Halloix: In Chalcedonensi Concilio à S. Leone Pontifice habito, & approbato iudicatus est Ibas Orthodoxus, & quidem ex epistola ad Marim scripta, quam Legati Leonis iudicarunt esse orthodoxam, quod idem sensere Iuue-

ialis Hierosolymorum, & alij omnes, etsi alijs, atq; alijs verbis tamen eodem sensu, & conformiter Legatis Pontificis. S. 14. Ibas Episcopus Edeffenus paulò post initam pacem inter S. Cyrillum, & Ioannem Antiochenum, qui apud Ephesum cum suis Orientalibus schisma conflarat, epistolam ad Marim Persam perscripsit, qua rerum tum Ephesi, tum alibi postea gestarum eundem certiore redderet. Quòd verò haud rectè in illa de Patribus, ac Cyrillo præsertim sentiret, in Synodo Chalcedonensi ab aduersarijs producta fuit, vt eum hæreticum Nestorianum ostenderent, eaq; ratione Sedi, vnde anno 449. à Dioscoro expulsus fuerat, minimè restitueretur. Epistola Ibæ lecta fuit in Synodo actione 10. in qua eiusdem causa cognita fuit: at epistolam vt orthodoxam approbatam fuisse à Patribus falsum est. Legati Pontificij dixerunt: *Relecta eius epistola, agnouimus eum Orthodoxum.* In qua sententia adhuc dubium est, num Ibas ex pura recitatione epistolæ iudicatus fuerit Orthodoxus, vel ex eiusdem contestatione dicentis, ante factam duodecim capitulorum à Cyrillo explanationem cum Episcopis Orientalibus malè se de Ephesinis Patribus sensisse. Anatolius Antistes C. P. dixit: *Omnem in presenti de eo suspicionem abijcio, quoniam consentit, & subscribit ei, quæ nunc de fide sententia data est à S. Concilio, & epistola Sanctissimi Archiepiscopi Romæ Leonis.* Audita Ibæ explanatione sinistram de illo, quam dudum conceperat opinionem, deposuit. At Maximus Antiochenus, qui tertio loco sententiam dixit, ita censuit de epistola Ibæ: *Orthodoxa est eius declarata dictario.* Vnus hic affirmavit epistolam Ibæ esse Orthodoxam. Cæterum Iuuenalis Hierosolymitanus ita pronunciauit: *Qui conuertuntur, hoc scriptura diuina suscipi iubet. Quapropter & eos, qui ab hæreticis reuertuntur, suscipimus. Vnde per uideo Reuerendissimum Ibam impetrasse clementiam, quia & senex est, & ut habeat episcopatus gradum, orthodoxus existens.* Sanè Iuuenalis ex epistola hæreticum Ibam cognouit, at ex palinodia, dum epistolam S. Leonis receperat, ad Catholicam Ecclesiam reuersum eundem pronunciauit. Cum verò es actis in Synodo Berytensi in Chalcedonensi Concilio relectis constaret, Ibam Nestorio anathema dixisse, quod idem erat ac dicta in epistola ad Marim retractasse, Patres Ibam suscepere, ita tamen, vt antequam sedi restitueretur, publicè exclamarint: *Omnes eadem dicimus, Nestorium modo anathematizet.* Respondit Ibas: *Et iam in scripto anathematizauit Nestorium, eiusq; dogma, & nunc anathematizo eum decies millies.* Ita nihil aliud de epistola curarunt Patres tam clara Ibæ professione contenti.

Certè si illa epistola examinetur, erroribus tota plena est. Pelagius in epistola ad Episcopos Istriæ, & Gregorius lib. 7. epist. 53. ad Secundinum pluribus ostendunt, aduersari illam Synodo Chalcedonensi, vt nulla ratione ab eadem approbari potuerit. Scripta est epistola statuta pace inter Cyrillum, & Orientales, nam istam Ibas in epistola laudat; at tunc Ibas prauè sentiebat de Synodo Ephesina, nam scribit de Patribus Synodi: *Nestorium ex Episcopatu deposuerunt iudicio, et inquisitione non facta.* Ita Patres negligentia, & præcipitis sententia contra Nestorium laræ accusantur. Rursus eisdem Cyrilli donis corruptos aserit: *Præcedens, inquit, idem Cyrillus aures omnium quodam medicamentis quod solet sapientium oculos oboccare, præoccupauit.* Hanc Cyrillo calumniam Schismatici inferebant, illorum enim verba sunt tomo 3. Concilij Ephes. cap. 9. de Cyrillo: *Sic enim poterit Ægyptius omnes excacare muneribus suis.* Quàm verò ma-

lo in

lo in Cyrillum animo esset, patet, dum eundem tanquam hæreticum traducit inquiens: *Cyrillus autem libros Nestorij volens destruere, lapsus est, & inuentus est in Apollinarij dogma incidens.* Quòd enim Vigilus in Constituto reposuit, Ibam illa dixisse ante explicationem capitulorum à Cyrillo peractam, post Iustinianum in edicto contra tria capitula refutat S. Gregorius in laudata epistola ad Secundinum: *In ipsa, inquit, hac epistola perpende, quia legitur, quòd inter Orientales Episcopos, & B. Cyrillum pax fuerit celebrata. Si ergo post concordiam pacis, post satisfactionem amotæ dubitationis hæc eadem epistola scripta est, constat, quia non est Catholica, quæ Patrem Catholicum, atque in toto Synodi volumine laudatum hæreticum appellat.* Erga Nestorium verò benigno, & amico animo erat; nam recusans scribere Nestorium in exilium vt hæreticum deportatum dato ei successore Maximiano ait: *Nestorius autem, quia in sua erat adio ciuitatis, & virorum, qui in ea sunt, maximorum, in eam reuerti non potuit.* Vnde Vigilus Papa re melius perpensa profanas blasphemias in Ibæ epistola contineri dixit: *eadem erroris plena dicta est à Gregorio lib. 1. epist. 24. & non catholica.* in memorata epistola ad Secundinum.

Pater Lupus in notis ad Synodum Ephesinam cap. 3. ex Ibæ epistola dubium quoddam mouet. Ibas in his literis recensita Nestorij per Cyrillum depositione, ait: *Post duos autem dies damnationis huius venimus in Ephesum, & cognoscentibus nobis & c.* Ex quibus verbis Ibam tempore Synodi Ephesinæ Episcopum fuisse Lupus existimat: synodalis enim cognitio Episcoporum tantum propria est. Rursus epistolam ad Marim Persam omnino iam ab Episcopo scriptam dicit. Verùm cum Synodus haberetur, & cum illam epistolam Ibas scriberet, Rabulas Episcopus Edeffenus viuebat, nam de illo ibidem loquens Ibas ait: *Nostræ ciuitatis tyrannus occasione fidei non solum nunc uiuentes insequitur, sed & hos, qui olim ad Deum præcesserunt, quorum vnus est beatus Theodorus.* Et in fine epistolæ narrata pace inter Cyrillum, & Ioannem Antiochenum constituta inquit: *Qui seditiosè aduersus viuos, & mortuos irruerant, in confusione sunt.* Itaque duo tunc videntur Lupo sedisse in Edeffena cathedra Episcopi. Quòd verò Ibas Rabulam tyrannum nominauit, hæc infert Lupus: *Vox tyrannus non canonicum introitum importat, sed adulterinam intrusionem.* Additque: *Res obscura est, quam velim à peritioribus doceri.* Ego quidem rem pandam, non tamen vt peritior te doceam, vir eruditissime, quippe qui sacræ historiæ penetrabilia te duce sapè assecutus sum, Rabulas, alij Rabulum, vel Rambulum vocant, iuuenis profana literatura suffultus Christiana mysteria abhorrebat. At cum ad urbem, cuius idem præfecturam gerebat, venisset S. Alexander Monachorum Acæmetarum Pater, sancti viri adhortationibus rectum dogma securus est, & cum in solitudinem recessisset, virtutum illius paulò post fama latè personante Edeffæ, quæ nobilissima est Mesopotamiæ vrbs, Episcopus consecratur. Legitimum illius, & non adulterinum ad illam Ecclesiam accessum fuisse constat ex vita S. Alexandri, quæ apud Bollandum habetur die 15. Ianuarij. Cap. 3. de Rabulæ electione hæc scribuntur: *Cum decessisset Episcopus Edeffenus, uniuersa ciuitas, ac circumiecta regio eum, nempe Rabulam, Pastorem proponit. Plurimorum igitur suffragijs deligitur populi Princeps. Est autem Edeffa Metropolis Mesopotamiæ. Ille verò statim Christianas ea in vrbe scholas aperuit, in quibus variarum gentium nationes nostræ religionis dogmata docerentur: Ordinatus Episcopus*

Iscopus portus quidam diuina cognitionis factus est non solum Syria, Armenia, Persidi, sed & toti propemodum Orbi terrarum. Cum verò Nestoriana hæresis in Oriente inualefceret, Rabulas hæreticorum conatibus obuiam iuit, neque vnquam cum Ioanne Antiocheno, atque alijs Episcopis quicquam fauoris Nestorio impendit. Hinc S. Cyrillus in epistola ad Rabulam ait: *Semper quidem tua splenduit sanctitas, præcipue autem modo facta omnibus Orientalibus columna, & fundamentum veritatis, & sicut quemdam pestiferum expellens morbum noua, & abominanda hæreseos Nestorij blasphemiam.* Nam procedit quidem ex altera radice (illius dico qui de Cilicia erat) ista impietas. Ita Theodorum Episcopum Mopsuestiæ, quæ secundæ Cilicia vrbs est, non obscure Nestorij magistrum notat, contra quem Rabulas æquè, ac in Nestorium insurrexit vnà cum Acacio Meliteno, vt auctor est Liberatus cap. 10. Breuiarij. Cum Theodoretus post celebratam Ephesinam Synodum contra duodecim capitula S. Cyrilli scripsisset, Rabulas pro Cyrillo, atque Ephesina Synodo contra Theodoretum stylum acuit. Audiatur Theodorus Lector lib. 2. collectaneorum: *Post reconciliationem cum Orientalibus Theodoretus contra duodecim capita Cyrilli scripsisse fertur. Rabulas Episcopus Edessenus cæcus erat; Andreas verò Samosatenus accusauit eum, quasi contra duodecim capitula Theodoreti scripsisset.* Erat Samosatenus Theodoretum amicissimus, vt patet ex literis ad illum datis. Rabulas, vt cap. 3. de vita S. Alexandri Abbatibus refertur, totis triginta annis Edessenam Ecclesiam summa cum laude rexit. Viuebat anno 435. nam occasione literarum Rabulæ, & Acacij Antistites Armeniæ de libris Theodori Proclum C. P. consuluerunt, qui eisdem respondit Theodosio XV. & Valentiniano IV. Coss. anno 435. Quare cum Ibas in epistola ad Marim Persam hunc ipsum initæ inter Cyrillum, & Orientales pacis certiorum reddat, atque Rabulæ viuentis contra Theodorum conatus mentionem faciat, nondum erat Episcopus, sed Presbyter Edessenus, & quidem suo Episcopo satis infensus, dum eundem tanquam tyrannum falsò, & insolenter traducit. Neque vt putauit Lupus, venit Ephesum Episcopus, suffragiumque vnà cum Ioanne Antiocheno tulit contra Cyrillum, nam tomo 3. gestorum apud Ephesum Episcoporum, qui cum Antiocheno stabant, nomina semel, iterum, ac tertio sigillatim subscripta leguntur, at inter illos Ibas Edessenus nunquam recitatur; quare Clericus tantum venit Ephesum, si enim Episcopus accessisset, vnà cum cæteris Orientalibus acta subscripsisset. Est insigne testimonium in laudem Rabulæ in Ephesina Synodo, vbi tomo 3. cap. 15. legitur sacra diualis Theodosij Imperatoris ad Metropolitanas, qui initio statim epistolæ nominantur hoc pacto: *Celestino Papæ Romano, Ruso Thessalonicensi, Augustino Hipponensi, Alexandro Apameensi, alijsque post vigesimum scribitur Rembulo Edesseno, Alexandro alteri Hierapolitano &c.* Data sunt literæ anno 431. post damnatum Nestorium. Erat ergo tum temporis Rabulas legitimus Antistes, neque vlla Ibas vtpotè Clerici mentio ibidem facta fuit.

Et hæc quidem mihi certissima sunt. Rabulæ successit Ibas, statimque Nestorij libros Syriaca lingua editos latè per Orientem sparfit, vnde à pluribus Monachis, Clericis, ciuibus, ac militibus apud S. Proclum accusatus fuit, qui satis acrem ad Ioannem Antiochenum epistolam misit, qua Patriarcham negligentia in Iba compescendo repræhendit, atque subscriptionem dato abs se ad Armenos tomo Ibas intimandam imponit. Hæc epistola Procli legitur to-

mo 5. Bibl. PP. p. 1. Videntur hæc accidisse circa initia Episcopatus Ibas ante annum 440. nam eo anno decessit Ioannes Antiochenus. Decedente Domino. Ibas verò anno 440. fuisse Episcopum certò constat ex actis Concilij Chalcedonensis anno 551. celebrati, in quibus idem actione 10. in libello Samuelis accusatur surrepti ante annos undecim gemmati calicis. Ibas tum apud Imperatorem, tum apud Synodos grauissimos accusatores passus est, & in latrocínio Ephesino à Dioscoro sede pulsus fuit; tandem publicè in Synodo Chalcedonensi damnato Nestorio dignitati anno 551. die 27. Octobris restitutus fuit. Vbi decessit Rabulas Persicam scholam omnino catholicam instituit, Ibas eandem Nestorij, ac Theodori pessimis doctrinis infecit, diuque in ea Theodorus triumphauit, donec Zenon Imperator scholam Edessenam, quam Persicam vocabant, tanquam quæ Nestorij, ac Theodori doctrinam traderet, subuertit, & abrogauit. Ita Theodorus Lector lib. 2. collectaneorum. Hactenus de Ibas epistola, quæ etiam in Synodo Chalcedonensi approbata fuisset actione illa decima, tantis tamen erroribus plena est, vt minimè illorum Patrum sententiæ nobis standum esset. Tradit hoc S. Pelagius Papa scribens ad Episcopos Istriæ his planè verbis: *Quamuis ab eadem epistola alienum se Ibas respondeat, quia approbata sit, aut difficulter, aut nullatenus demonstratur, licenter tamen unusquisque eam reprehenderet, etiam si Episcopi in eodem Concilio residentes suis illam subscriptionibus approbassent; quia postquam B. Leone scribente, ius retractandi, & dijudicandi conceditur, etiam si qua esse poterat eorum, qui interfuerant, à priuatis negotijs auctoritas, vatuatur.* Hæc Pontifex.

Opponit denique Halloix, à Synodo Chalcedonensi nulla Theodoretum iniuria affectum, Quintam verò Synodum eiusdem scripta nominatim condemnasse. Sed more solito rancida Schismaticorum argumenta reponit. Theodoretus à puero Antiochenæ Ecclesiæ Clericus fuit, vbi per plures annos Catechesim docuit, vnàque cum Nestorio ibidem presbyter fuit. Verùm Cyrensis postea Episcopus renunciatus Ioanni Grammatico contra S. Cyrillum in Ephesina Synodo adhæsit, Orientalium factionis primipilus, erat enim multæ doctrinæ, & supra cæteros eloquentissimus, vnde in Synodis, quò volebat, reliquorum animos rapiebat. Quare vti turbarum auctor à Theodosio Imperatore ab omnibus Synodis procul esse iussus intra Cyrensem diocesim sese continuit. Pessimè certè audiuit, dum contra duodecim capitula S. Cyrilli stylum acuit. Immò etiam peracta pace cum Cyrillo duodecim illa capitula, quæ Ecclesia vniuersa vt canones veneratur, nunquam recipere voluit. Nam in epistola ad Domnum Patriarcham Antiochenum vocat eadem capitula temerè sancita, hortaturque eundem, ne in Synodo, quæ sub Dioscoro Ephesi cogenda erat, illis capitulis consentiret: do illius verba ex epistola 112. *Infelix anima mea suspirat, lugetque nihil expectans boni; neque enim insitum in duodecim capitibus venenum norunt, qui aliarum sunt diocesum, sed eius, qui illa scripsit, claritatem attendentes, nihil sinistrum suspicantur.* Et qui eius sedi successit, omnia opinor, mouet, vt altera Synodo illa confirmet. Hoc animo erat Theodoretus contra duodecim capitula S. Cyrilli anno 449. quando sub Dioscoro Alexandrino alterum Concilium Ephesi cogebatur anno decimo octauo post priorem Synodum ibidem præside S. Cyrillo celebratam. Porrò cum ob ista Theodoretus vt Nestorianus passim haberetur, à Dioscoro, & Synodo, in qua supra-



Centum & viginti Episcopi sententiam tulere, sede pulsus fuit. Postea à Leone Papa huius pseudosynodi actis rescissis (in ea enim Eutyches absolutus fuerat, damnatus verò S. Flavianus Antistes C. P.) Oecumenicum Concilium Chalcedone Marciano Imperatore coactum fuit, in quo iterum Eutychetis causa discuteretur. Conuenere anno 451. sexcenti, & triginta Episcopi, & VIII. Idus Octobris prima actio habita est, in qua cum legerentur acta Ephesini latrocinij, vbi ventum est ad sacram diualem, qua Theodosius intra Cyrense diocesim Theodoretum circumscripsit, Iudices Synodi dixerunt: *Ingre diatur Reu. Episcopus Theodoretus, vt sit particeps Synodi, quia & restituit ei Episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo, & pijsissimus Imperator sanxit eum adesse S. Synodo.* Verum his auditis omnia tumultu agitari cœpta sunt; nam Ægyptij, Illyriciani, & Palæstini exclamarunt: *Miseremini, fides perit, istum canones eijciunt, hunc foras mitte, magistrum Nestorij foras mitte.* Pravam adeo de Theodoro opinionem induerant nobilissimi Patres ex Africa, Asia, & Europa. Pro Theodoro intercedebant Orientales, Pontici, & Thraces. Iudices ex decreto Leonis, & Marciani Theodoretum sedere in Synodo iussere, ea tamen conditione, vt postea illius causa à Patribus iterum cognosceretur. Ille verò cum sedisset, Orientales exclamarunt: *Dignus, dignus.* At Ægyptij è contra: *Non est Episcopus.* Et postea: *Cyryllum Theodoretus accusauit, Cyryllum eijcimus, se Theodoretum acceperimus. Canones istum eijciunt: Hunc Deus auersatus est.* Iudices gloriosissimi, & amplissimus Senatus dixerunt: *Acclamationes ista populares neque Episcopos decent, neque partes iurant; patiamini ergo vniuersorum fieri lectionem.* Rursus conclamatum est: *Vnum eijcite, & omnes audimus. Pro pietate clamamus, pro Catholica fide hæc dicimus.* Denique quieuerunt, seditque Theodoretus, atque vnà cum reliquis sententiam contra Eutychetem pronunciauit; immò Ephesinum Concilium, & Synodales S. Cyrilli literas ad Nestorium, ac Orientales suscepit, atque actione 7. subscripsit cum cæteris Episcopis, quos inter leguntur Ibas, & Nonus ambo Episcopi Edesseni.

Terminata Synodo, in qua de causis fidei actum fuerat, Patres VIII. Kal. Nouembris in vnum coacti Theodreti causam discutere, & quidem compendiarid, hoc enim vnum iniunxere: *Theodoretus modò anathematizet Nestorium.* Rogabat ille, vt legeretur abs se composita apologia, seu libelli supplices exhibiti tum Imperatori, tum Legatis Pontificijs. At exclamarunt Patres: *Nihil relegi volumus, modò anathematiza Nestorium.* Respondit Theodoretus natum se, ac nutritum in Catholica religione, quam & publicè professus fuerat, auersari se Nestorium, Eutychetem, reliquosve, qui non rectè saperent, quæ dum interloqueretur: *Episcopi clamauerunt: Clare dic, anathema Nestorio, & dogmatibus eius, anathema Nestorio, & amantibus eum.* Sed cum tergiversaretur, ac coram Synodo eruditam fortè apologiam recitare vellet, rursus conclamatum est: *Iste hereticus est: iste Nestorianus est: hereticum foras mitte.* His vocibus perterritus statim dixit: *Anathema Nestorio, & eis, qui non dicunt Dei genitricem Virginem Mariam &c.* Tunc Iudices dixerunt: *Omnis iam dubitatio de Reuerendissimo Theodoro est soluta.* Tot, tantique Patres Chalcedone Theodoretum hæreticum dixerunt actione prima, & omnes actione 8. cum recusaret in Nestorium anathema pronunciare; at Quinta Synodus illum nunquam hæreticum dixit, sed ipsius tantum scripta contra duodecim capitula S. Cyrilli,

Non

Non exegit Synodus à Cyrensi, vt scriptos contra S. Cyrillum libros damnaret, nam eos planè abrogauerat, dum subscripserat cum reliquis actionem quintam, in qua Patres Nestorium damnantes receperunt *epistolas B. Cyrilli Alexandrinæ Ecclesie Presulis, Synodicas vtiq; literas ad Nestorium, & ad alios per Orientem.* Ex quibus deducitur, errasse Acephalos calumniantes Synodum Chalcedonensem, quæ hominem Nestorianum non plenè discussum ad ferendum suffragium admisisset, nam Theodoretus apud S. Leonem Papam, ac Marcianum Imperatorem Nestorium anathematizarat, quod ante examen habitum actione 8. præstitit subscribens definitionem Synodi, in qua vnà cum Eutychete Nestorius nominatim damnabatur.

Nocuere etiam Theodoro laudes Theodoro Mopsuestiæ delatæ, quibus suam historiam clausit dicens: *Moritur Theodorus Episcopus Mopsuestiæ cum omnium Ecclesiarum Doctor, tum heretica cohortis profligator. Hic Diodorum magnum audierat, commilito, & socius diuinissimi Ioannis &c. S. Gregorius Papa lib. 6. hist. 31. ad Eulogium Alexandrinum hæc scribit: Ipsam quoque historiam Sedes apostolica recipere recusat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopsuestiæ nimium laudat, atque vsque ad diem obitus sui magnum Doctorem Ecclesie fuisse perhibet. Reperat ergo, vt si quis illam historiam recipit, Synodo, quæ piæ mem. Iustiniani temporibus de tribus capitulis facta est, contradicat. Qui verò huic contradicere non valet, illam historiam necesse est, vt repellat.* At ibidem Gregorius historiam illam Hermiæ Sozomeno adscribit. Melchior Canus acerrimi iudicij vir Gregorium reprehendit, quòd Theodreti dicta Sozomeno adscribat; Pontifex lapsus est memoria, scribit Lupus in notis ad collat. 5. Synodi quintæ, dicens *Hermiæ Sozomeni historiam finiri in laudibus Theodori.* At Baronius in notis Martyrol. ad diem 23. Decembris acerrimè pro Gregorio pugnat, asserens nos non habere integram Sozomeni historiam, quam ipse in præfatione ait initium sumere à tertio Crispini, & Constantini Cæsarium consulatu vsque ad consulatum Theodosij decimum, & septimum, nempe ab anno 324. vsq; ad annum 439. At finitur historia circa Constantij mortem, qui, inquit Baronius, *vt auctor est S. Prosper in Chronico, & alij, occisus est Agricola, & Eustachio Coss. anno 421. sed nequaquam Constantius occisus traditur à Prospero, Constantius, inquit ille, Imperator moritur.* Morbo enim, ac mœrore decessit à nemine trucidatus; legatur lib. 1. hist. Pelag. cap. 20. Neque Gregorius ait, finiri historiam Sozomeni in Theodori laudibus; verba Gregorij dedimus. Vossius lib. 2. de hist. Græcis cap. 20. Gregorio fauet. Iustinianus in edicto contra tria capitula cum Theodori lapsum recitarit, hæc addit: *Pro his testimonium præbent Sozomenus, & Hesy chius, et Socrates, et Theodoretus, qui multas pro Theodoro laudes fecit.* Ex his sententia Cani fit probabilior. Ego tamen nihil audeo contra Gregorium scribere. Certè Theodreti historia eadem Pontificis sententia reprehenditur.

Nolumus vltiùs contra recentem Origenis Apologiam progredi illa sigillatim confutantes, quæ in prægrandi volumine pro suo Amasio infaustis auspicijs hinc inde confarcinavit, inanem enim operam illum posuisse nullus inficias ibit, qui Origenem ab vniuersa Ecclesia damnatum fuisse intelliget. Miror autem hominem hunc nouam Origeni apologiam procudere ausum, cum sciret Eusebium Cæsareensem à Romana Synodo reprehensum, quòd in laudibus, atq; excusatione Origenis Schismatici vnum conscripserit librum. Quare

V

can-



eandem Ecclesiam suorum decretorum tenacissimam in ipsum pariter Halloix quod in laudibus, atq; excusatione Origenis Schismatici quatuor conscripserunt libros, sententiam pronunciaffe cognouimus. Etenim Sacra Congregatio Romana anno 1655. die 12. Maij Petri Halloix Apologiam pro Origene composuit hæc præfata: *Prodierunt aliqui libri, qui nisi vel omnino, vel in parte tollantur, erroribus Christi fideles inficere possunt etc.* Quo quidem decreto cecidit totus ille apparatus, quem tanto studio recentior Origenis aduocatus protulit, vt profectò nequaquam tantum laboris nobis subeundum fuerit, quò apologiam Romanæ Ecclesiæ iudicio reiectam refelleremus; hoc enim perinde fuit, ac prostrato insultasse. Interim nostram hanc Synodi V. defensionem irrefragabili Sexti Concilij approbatione concludam. Nam cum palam constaret, Monothelitas eiusdem Concilij Quinti acta corrupisse, in eisdem act. 14. à Patribus anathema publicatum fuit his planè verbis vno omnium ore conceptum: *Anathema simul qui falsificauerunt acta Sancti, & vniuersalis Quinti Concilij.* Halloix verò grauius in eandem Synodum peccauit, qui appellauit eundem Patrum conuentum *Concilium perniciosissimum instigante Diabolo coactum* pag. 355. *merum Conciliabulum* pag. 380. *pro nihilo habendū* pag. 363. At ipsius apologetico Apostolicæ Sedis iudicio nigro theta signato præposteri consilij pœnas tulit. Aurea Patrum Sextæ Synodi sententia, quæ in laudata actione 14. recitatur, Quinti Concilij dignitas aduersus quælibet Halloix obiecta aded evidenter asseritur, vt nullius aduocatione post tam illustre, ac locuplex testimonium indigere videatur. Hæc ibidem leguntur: *Sanctum Concilium exclamauit: Sanctorum quatuor Conciliorum sempiterna memoria.* Et postea: **SANCTI QUINTI CONCILII SEMPITERNA MEMORIA.** Hæc Sancta Synodus.

CAPVT XII.

Origenem de diuina gratia rectè sensisse perperam quidam Recentiores docuere.

Initio statim historiæ Pelagianæ Origenem diuinæ gratiæ hostem fuisse monstratum est, vt iure meritò Pelagiani erroris Princeps, ac Pelagianorum Amasius à S. Hieronymo ignominia causa appellatus sit. Quid ex Origene alij Hæresiarchæ præsidij habuerint, non est nostri instituti demonstrare: Pelagianos errores illum procudisse nobis ex eiusdem sententijs ibidem recitatis compertum est. At Recentiores non contenti, Origenis personam contra tres Oecumenicas Synodos defendisse, contendunt illius etiam doctrinam de diuina gratia non modò Catholicam, sed *Catholicissimam* fuisse. Theophilus Raynaudus in apologia pro Valeriano Cemeliensi cap. 9. Origenis *Catholicissimam de gratia sententiam* asseuerauit, & quidem ea ex Origene eo loci producit, quæ Pelagianorum illum dogma prædocuisse significant. Ex lib. 7. contra Celsum scribit hæc Adamantium dixisse: *Postquam obtulerimus nos, quæ ex nobis sunt, venimus ad hoc, vt consequamur ea, quæ ex Deo sunt. Cum enim fidem nostram, et affectum obtulerimus ei, tunc et ipse largitur nobis diuersa dona Spiritus Sancti, de quibus dicit Apostolus, omnia autem ex Deo sunt.* Igitur ex Origene fides, & affectus, seu cupiditas boni non sunt ex ijs donis, de quibus ait Apostolus omnia

nia

autem ex Deo sunt. Quare cum fides, & cupiditas boni non sint ex Deo, consequenter iuxta sua principia dixit esse ex ijs, *quæ ex nobis sunt.* Hæcine est, Raynaude, *Catholicissima de gratia sententia?* Est Pelagianorum delirium, qui nescio quam gratiam admiserunt, ita tamen, vt teste Augustino *sine illa putarent hominem posse habere boni, sed imperfecti cupiditatem, perfecti autem non facilius per illam posse, sed nisi per illam omnino non posse.* Lib. 2. ad Bonifacium cap. 8. Quam sententiam fusiùs ibi S. Pater vsq; ad finem libri insequitur dicens: *Verum & sic gratiam Dei dicunt secundum merita nostra dari, quòd in Oriente Pelagius Ecclesiasticis gestis damnari timendo damnauit. Si enim sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum ceptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratia veniat adiutorium, ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed merito nostro dabitur.* Vocatque ibidem ita sentientes *superbos sui arbitrij defensores, & fidei Catholica desertores.* Fidem autem esse ex nobis capitalis Semi-Pelagianorum error fuit, quem S. Pater toto libro de prædestinatione Sanctorum confutat. Pelagianorum decantata sententia erat: *Gratiam Dei secundum merita nostra dari.* Hoc verò ita pertinaciter Origenes adstruxit, vt ne quem diuinæ gratiæ sine præiis meritis locum daret, alterius vitæ merita commentus sit, quod initio eiusdem historiæ nobis commemoratum est. Certè lib. 1. Peri-archon nullo pacto Ioannem Baptistam in vtero sine meritis sanctificatum fuisse tradit, quòd Deus foret personarum acceptor, illi vni, & non alteri eam gratiam largiendo. Libeat hic Origenis verba repetere, quibus Catholicam sententiam de noua animarum creatione impetit exemplo Præcursoris: *Quomodò, inquit, cum corpore simul facta est, & plasmata iam illius anima, qui antequam in vtero formaretur, notus esse Deo dicitur, & antequam de vulua procederet, sanctificatus est ab eo? Ne fortè non iudicio, nec pro meritis replere aliquos Deus uideatur Spiritu Sancto, & sanctificare NON MERITO.* Et quomodò effugiemus illam vocem, quæ ait: *Nunquid iniustitia est apud Deum? Absit. Vel illud: Nunquid Personarum acceptio est apud Deum? Hoc enim consequitur eam defensionem, qua animos subsistere simul cum corporibus asseueratur? Quæ sanè positio totius diuinæ gratiæ vim, ac maiestatem deprimit, vbi citra personarum acceptionem gratis sine vllis meritis præcedentibus dari nequit. Sed de his iam satis alibi. Hinc factum est, vt Pelagius, qui veteres Patres in sui dogmatis defensionem producere solebat, nunquam Origenem adduxerit, quod patet ex fine libri de natura, & gratia S. Augustini; optimè enim sciebat, grauari se Origenis magisterio, exprobante eidem Hieronymo hæc ipsa in epistola ad Ctesiphontem: *Doctrina tua Origenis ramusculus est.* Itaque Origenes Pelagianorum Amasius fuit, cuius vnus autoritate illi ducebantur. Hinc insignis ille, & cum laudis præfatione semper cuiuslibet nominandus Cardinalis Baronius ad Annum 402. tomo 5. hæc ait: *Tantum absuit, vt Rufinus parato à S. Hieronymo antidoto curaretur, quin potius post Origenis errores, quos fouit, Pelagianæ heresis aspides ex eis obortos percarum sibi sobolem enutriuit.* Ex his liquet, quàm inanis sit illa Annati exclamatio contra Baianos: *Vestrum est illud: Origenes Pelagianorum omnium origo.* Lib. 7. sui Aug. cap. 12. §. 2. & in indice V. Origenes. Erras, ò bone vir, non Recentiorum illæ voces fuere, nuperq; auditæ, sed antequam tui illi Baiani, & horum antagonista nascerentur, Patrum illa sententia fuit Ecclesiasticis etiam annalibus inserta. Orolius in apologetico hæc contra Pelagianos scribit: *Quanquam & hæc venenatissimo**

Rom. 9.

Rom. 2.



rum dogmatum abominatio habet etiam nunc viuentes mortuos, mortuosq; viuentes. Nam Origenes, Priscillianus, & Iouinianus olim apud se mortui in his viuunt, & non solum viuunt, sed etiam loquuntur. Nunc vero Pelagius, & Celestius, si in his perseuerauerint viuentes mortui &c.

At alij Recentiores de indifferentia libertatis humanæ ad bonum, & malum exactam esse Origenis doctrinam contendunt. Ioannes Martinez de Ripalda hæc scribit: Nec refert Origenis scripta erroribus esse resperfa, quia nullus Patrum, & Scriptorum, qui eos diligentissime notarant, retulit inter eos doctrinam de indifferentia ad libertatem necessariam. Næ D. Thomas ex Patrum, ac Scriptorum albo abradetur? Sanctus Doctor lib. 3. con. Gent. cap. 88. & 89. hanc de Origene sententiam tulit: Solus Deus potest mouere voluntatem per modum agentis absq; violentia. Hinc est quod dicitur Proverb. 21. Cor Regis in manu Domini, & quocumque voluerit inclinabit illud: & ad Philip. 2. Deus est, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate. Quidam vero non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absq; præiudicio libertatis voluntatis, conati sunt has auctoritates malè exponere, ut scilicet dicerent, quod Deus causat in nobis velle, & perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem sic, quod faciat nos velle hoc, vel illud, sicut exponit Origenes in 3. Peri-archon liberum arbitrium defendens contra auctoritates prædictas. Cum suo Præceptore omnes sapientissimi Thomistica scholæ professores sentiunt: & sexcentos Scriptores nullos dicentes? Sed reclamant à tergo fictus ille Moraines: Pari impudentia, vel malitia carpsit erroris Pelagiani Origenem, quod dixerit, unumquemq; in manu sua habere, et in arbitrij potestate, ut aut peccati seruus sit, aut iustitie. Disp. 8. Anti-Iansenij num. 47. At si D. Thomæ testimonio luculentissimo non ceditis, ad Origenis scholam vos prouoco, ea hic repetendo, quæ initio historia Pelagiana narrata sunt. Ille libro 3. Peri-archon à S. Thoma citato cap. 2. hæc scribit: Non enim idem est habere vincendi virtutem, et vincere, sicut idem Apostolus cautissimo sermone signauit dicens: Quia dabit Deus exitum, ut sustinere possitis, non ut sustineatis, multi enim sustinent, sed in tentatione vincuntur; à Deo autem datur, non ut sustineamus, alioquin nullum iam videretur esse certamen, sed ut sustinere possimus. Ea autem virtute, quæ nobis data est, ut vincere possimus secundum liberi arbitrij facultatem aut industriè utimur, et vincimus: aut segniter, et superamur. Et capite primo explicans illa Pauli: velle, et perficere ex Deo est, ait: Ex quo utiq; non intelligitur, quia quod mouetur manus v. g. ad verberandum iniuste, vel ad surandum ex Deo est, sed hoc ipsum, quod mouetur, nempe manus, ex Deo est, nostrum vero est motus istos, quibus motum ex Deo habemus vel ad bona, vel ad mala conuertere. Ita ergo est, quod dicit Apostolus, quia virtutem quidem voluntatis accipimus, nos autem utimur voluntate vel in bonis, vel in malis desiderijs. Itaque authore Origene in eo sita est indifferentia liberi arbitrij, ut à Deo ipsam quidem voluntatem acceperimus, sed velle actuale sit à nobis. Fatetur enim esse à Deo, ut possimus sustinere, quod idem est ac ipsa potentia volitiua, ut sustineamus verò, qui est ipsemet actus potentie, negat esse nobis ex Deo. Ita manum nobis inesse ex Deo concedit, at non item benè, vel malè uti eadem manu. Clariùs certè non potuit loqui, imò nec locutus est Pelagius, eius sententia tota hac de re audiatur apud S. Aug. de grat. Christi cap. 4. Quod possumus, inquit, omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse adiuvat, quod verò benè uel agimus, uel loquimur,

1. Cor. 10.

Phil. 2.

mur, vel cogitamus, nostrum est. Item: Quod loqui possumus Dei est, quod verò benè, vel malè loquimur nostrum est. Et ubi Origenes exemplum manus adducit, Pelagius oculi exemplo vtitur: Quod possumus uidere oculis nostrum non est, quod verò benè, aut malè uidemus hoc nostrum est. Rectè igitur S. Thomas tradidit, Origenem liberum arbitrium contra diuina oracula defendisse, atque illius indifferentiam nequaquam in Catholico sensu accepisse; eo enim prorsus modo illam exposuit, quo postea Pelagius explicuit, ut ad oculum demonstrauius. Cæterum S. Augustinus Origenis, eiusque discipuli Pelagij explicationem per plura capita explodit in libro de gratia Christi. Hæc autem eandem Pauli sententiam expendens scribit cap. 5. Non ait: Deus est enim, qui operatur in vobis posse, tanquam ipsi iam uelle, & operari per se ipsos habeant, nec in his duobus adiutorio eius indigeant, sed ait: Deus enim est, qui operatur in vobis & velle, & perficere, uel sicut in alijs, & maximè Græcis codicibus legitur, & velle, & operari. Videte si non Apostolus gratiæ Dei futuros aduersarios (Origenem, & Pelagium) Sancto Spiritu tanto ante præuidit &c. Hæc Augustinus.

Acutè notauit Baronius ad annum 394. tomo 4. ex falsis Origenistarum delationibus inter magnos illos Ecclesiæ Duces Hieronymum, & Augustinum discordias (nam pugnantibus secum literis decertarunt) subortas fuisse, ut illis quidem mutuis sese vulneribus conficientibus res suas Origenistæ à nemine exagitari promouerent. At fraude detecta, inquit Baronius, datis postea inter se mutuo dextris, iunctis animis aduersus primogenita Origenistarum germina Pelagianos hæreticos sub eodem Catholico fidei vexillo commilitones acerrimè decertarunt. Non est, Annate, Baronius ex Baianorum grege, sed S.R.E. Cardinalis, idemque summus antiquitatis testis, & veterum monumentorum indagator sincerissimus, qui Pelagianos primogenitos Origenistarum nuncupauit, & Hieronymus Origenem in calce Dialogorum Pelagianorum Amasium dixit. Iacta nunc Raynaude Catholicissimam Origenis de diuina gratia sententiam, nam ex S. Thoma (quod etiam Adamantij scripta confirmant) Pelagiano dogmati conformem illam scimus. Sit, Morainio iudice, malitiosus, & impudens, qui Origenis sententiam de indifferentia voluntatis culpatur, nam sub Magni Aquinatis patrocinio inanes horum verborum sonos irridemus. Ita Origenis persona ab Halloix contra Synodos defensa, eiusdem Origenis doctrinam alij Recentiores à Pelagiani erroris labe purgare conati sunt. Scio illos producturos sententias Origenis, in quibus diuina gratia commendabitur; sed & gratiæ nomen in Pelagiana synagoga personabat. At spuria est illa gratia, quam tanquam meritorum præmium ante Pelagianos Origenes statuit, nam alterius vitæ merita prædicare, est planè delirare, & fabulas, ac somnia vendere; unde Origenistarum errores in Synodis nugæ, ac fabulæ dicti sunt, ut ex dictis cap. 6. est manifestum. His accedit, Pelagium, uti superius diximus, nusquam Origenis pro se testimonium laudasse, qui tamen Lactantij, Hilarij, Ambrosij, Chrysostomi, imò & Hieronymi, & Augustini quoque sententias sibi, ut perperam arbitratur, fauentes recitauit teste S. Doctore in lib. de nat. & grat. à cap. 61. Quippe qui probè norat Origenem ut in cæteris, in dogmate etiam de gratia, & libero arbitrio à vero exorbitasse.



Rufinus Origenistarum, ac Pelagianorum Coryphæus, itemque Eusebius Cæsarensis Arianus ab Halloix perperam defenduntur.

Origene hominibus, ac Superis inuitis propugnato, Rufini Origenistarum pugilis defensandi onus Halloix pariter suscepit. Hic Rufinus Aquileiensis Alexandria Didymo Magistro Origenis dogmata tanta pertinacia secutus est, ut quò eadem latè per Orbem spargeret, Origenis libros Latino donauerit. Sanctus Epiphanius agrè tulit hominem pium, ac doctum inter Origenistas militare, vnde ad Ioannem Hierosolymitanum scribebat: *Te autem frater liberet Deus, & sanctum populum Christi, qui tibi creditus est, & omnes fratres, qui tecum sunt, & maximè Rufinum Presbyterum ab heresi Origenis, & ab alijs heresibus.* Hinc pro Origene graues Rufinus cum Hieronymo inimicitias contraxit, mutuisque se inuectiuis, quæ hucusque supersunt, persecuti sunt, de quibus lib. 1. Hist. Pelag. cap. 2. diximus, vbi etiam Pelagianorum hæresim eundem Rufinum docuisse monstrauimus, peccatum enim originale sustulit, & gratiam ex meritis dari, atque Sanctorum impeccantiam adstruxit, quæ hic, ne actum agam, haud vacat repetere. Perpetuæ Rufini ignominia vertetur, Celestium Pelagij Achatem in Synodo Carthaginensi interrogatum, ecquis dixisset, non dari peccatum originale? respondisse, *Sanctus Presbyter Rufinus*, teste S. Augustino lib. de pec. orig. cap. 3. Vnde rectè dixit Baronius ad annum 412. tomo. 5. *At obserua & illud, citari à Celestio non Pelagium ipsum, ex quo heresis nomen accepit, sed Rufinum, ut Coryphæum, atque sectæ antesignanum.* S. Gelasius Papa cum Romana Synodo Rufinum uti Pelagianizantem damnauit hac in eundem sententia lata: *Quoniam B. Hieronymus Rufinum in aliquibus de arbitrij libertate notauit, illa sentimus, quæ prædictum B. Hieronymum sentire cognoscimus.* Hic autem, quò Origenis sectam promoueret, insigne facinus commentus est, Librum apologeticum pro Origene publicauit sub nomine S. Pamphili Martyris, qui tamen ab Eusebio Arianorum Principe scriptus fuerat. Quod vbi D. Hieronymus animaduertit in epistola primùm ad Pammachium, dein in duabus contra Rufinum apologijs insignem hominis fraudem acerrimè infecutus est. Rem narrat in secunda Apologia contra Rufinum: *Postea verò, inquit, per interpretationem tuã quæstione contra Origenem toto Orbe commota, in quærendis exemplaribus diligentior fui, & in Cæsariensi bibliotheca Eusebij sex volumina reperi à παολογίας Ὀριγένους. Quæ cum legissem, primum eum librum depræhendi, quem tu solus sub nomine Martyris edidisti, de filio, & Spiritu S. in bonam partem plerisque blasphemijs commutatis.* Idem habet lib. 2. apologiæ 1. vbi testatur se perspicuè depræhendisse, quòd primus liber sex voluminum Eusebij ipse esset, qui vnus sub nomine Pamphili à te editus esset. Et lib. 1. ait: *Sex libros, ut ante iam dixi, Eusebius Cæsariensis Episcopus Arianae quondam signifer factionis pro Origene scripsit, latissimum, & elaboratum opus, & multis testimonijs approbauit Origenem iuxta se Catholicum, idest iuxta nos Arianum esse; Horum tu primum librum vertis sub nomine Martyris.* Hæc diligentius adnotaui, ne Amanuensis error in re graui S. Doctori attribueretur, nam in epistola ad Pammachium, & Oceanum hæc scribit Hieronymus,

ronymus: *Vnum nunc proferam, cui contradicere vel stulti sit, vel impudentis. Sexti libri Eusebij super Origenis defensione principium usque ad mille fermè versus liber iste, qui Pamphili dicitur, continet. Vbi manifesta paret contradictio, ex qua nulla Hieronymi contra Rufinum accusatio videatur; nam in apologijs, primus liber sex voluminum Eusebij iste sub nomine Pamphili editus à Rufino dicitur, qui in hac epistola sextus nominatur. Certè indè Amanuenses errarunt, quòd legentes abbreviatas hæc notas VI. lib. Eusebij super Origenis defensione principium, sexti libri Eusebij reddiderint, cum sex librorum Eusebij super Origenis defensione principium, scribere debuissent. Miror Rufini aduocatum isthæc non adnotasse, ac more solito altiùs pro cliente exaggerasse. Rufinus S. Hieronymi accusationi frigidam responsionem reposuit: obijci nempe sibi rem ridiculosam. At Hieronymus in posteriori apologia barbarismi Rufinum infimulans ait: *De Pamphili libro non ridiculosa, ut tu scribis, sed ridicula mihi fortè res accidit.* In secunda inuectiua Rufinus vbi ad hanc sibi fraudem obiectam diluendam venit: *Superfluum, ait, videtur vel respondere aliquid, vbi piè, & religiosè dicta martyris Pamphili aut falsa dici vult, aut etiam si vera sint, spernenda decernit.* Vbi verò pauca satis amarulenta euomuit, concludit: *Superflua est de Authore quæstio, vbi defensio talis est, quæ assertore non egeat.* Cecidit sanè causa Rufinus; debebat enim locum, ac testem producere, vnde illa Origenei cusa Apologia S. Pamphilo adscribenda esse censeretur. Hoc egregiè vrget Hieronymus in apologia 2. *Dic ergo & tu, à quo exemplar acceperis, nec mihi ad subterfugiendum crimen mortuos aliquos nomines, ut cum authorem ostendere non potueris, illum proferas, qui non possit respondere.* Hæc S. Pater.*

Quis autem non miretur Rufino ante duodecim sæcula apertæ falsitatis conuicto, ac nullam pro semet defensionem adornanti recentem hominem supplicias contra Hieronymum ferre, pro eodem testimonium dicere, illique promptam aduocationem gratuitò commodare? Petrus Halloix lib. 4. Origenis defensi quæstione prima hanc thesim ponit: *Vera propositio: Apologia pro Origene olim edita, & nomine S. Pamphili Martyris inscripta verè est eius, & non alterius.* Probat id autoritate Eusebij lib. 6. hist. Eccles. cap. 33. scribentis: *Quæcunq; autem ex ijs, quæ ad illum pertinent, cognitu necessaria sunt, faciliè est ea cognoscere ex apologia pro illo a nobis, & à nostri temporis S. Martyre Pamphilo elaborata, quam propter obtrectatores collatis operis studiosè confecimus.* Eundem Pamphilum pro Origene scripsisse testatur Socrates lib. 4. cap. 27. vel 22. vbi de Gregorio Neocæsariensi, & Nicephorus Callistus libro 10. capite 14. verba Eusebij reddens. Photius verò, cuius testimonium supra cæteros iactat Halloix, ita scribit Num. 118. *Lectus est Pamphili Martyris, & Eusebij pro Origene codex, tomi autem sunt sex, quorum quinque à Pamphilo in carcere degenti præsentè etiam Eusebio elaborati sunt; sextus autem postea quam Martyr gladio vita pulsus ad Deum, quem desiderabat, emigravit, ab Eusebio deniq; est absolutus.* At Halloix post longam causæ meditationem hæc literis prodidit loquens de primo libro apologiæ à S. Pamphilo, ut ait, conscriptæ: *Illum igitur cum absoluisset, atq; Eusebio velut alteri sibi ostendisset, isq; approbasset: tum verò nouis, ut sit subortis difficultatibus, eiusdem hortatu, atq; adiutu alios quatuor addidit, quibus postea Eusebius illo demortuo sextum adiecit.* Itaque primum librum sex voluminum pro Origene à solo S. Pamphilo elucubratum affirmat, & quinque priores asserit fuisse Pamphili ob-



compositionem, Eusebij ob inspectionem. Hac quidem ille, quò Rufinum contra Hieronymum defendat.

In primis non possum non ridere hominis consilium, qui vel contra Eusebium testimonium dicere non veretur. Nam iste loquens de apologia pro Origene aperte ait: à nobis, & à nostri temporis S. Pamphilo Martyre elaborata, quam propter obrectatores collatis operis studiosè confecimus. At si Eusebius illam tantum inspexit, haud illam collata opera studiosè confecit; aliàs Ioannes Baptista Rubeus, ac tres insuper focij Theologi, qui tuam apologiam inspexere, ac typis evulgandam censuere, dici possent eandem collatis operis studiosè confecisse. Imò, quod magis mirere, adiutu Eusebij quatuor libros à S. Pamphilo compositos scribit, statimque eosdem Eusebij ob inspectionem tantum fuisse sui tam citò oblitus asseuerat. Sex illi libri apologetici pro Origene ab Eusebio compositi fuere. Et quidem de sexto libro hæc scribit ipsemet Eusebius lib. 6. cap. 29. *Horum habes certa argumenta in libro sextæ Apologie, quæ in Origenis defensionem à NOBIS scripta est.* Sed omnes sex Eusebio passim attributi sunt. S. Hieronymus in catalogo Eccles. Script. cap. 81. recensens Eusebij libros ait, illum *Απολογίας pro Origene libros sex* conscripsisse. Hæc autem dixit Hieronymus ante decem annos, quàm de hac Pamphili apologia cum Rufino litigaret. Antipater etiam Metropolita Bostrensis contra Eusebij apologiam plures libros scripsit, quorum titulus sic in Synodo VII. Oecumenica act. 5. refertur: *Antipatri Episcopi Bostrorum refutatio apologiæ pro Origene ab Eusebio Pamphili Episcopo Casareæ conscriptæ liber primus.* Synodus Romana cum S. Gelasio Papa Eusebium Casareensem repræhendit: *Quòd in laudibus, atque excusatione Origenis Schismatici unum conscripserit librum.* Sed satis solide ab Eusebio elucubratam totam illam apologiam inde probatur, quòd Ariana dogmata in illis libris apologeticis aperte tradebantur. Hieronymus, qui illos legit, hæc scribit: *Sex libros, ut ante iam dixi, Eusebius Casariensis Episcopus Ariana quondam signifer factionis pro Origene scripsit, latissimum, & elaboratum opus, & multis testimonijs approbavit Origenem iuxta se Catholicum, idest, iuxta nos Arianum esse.* In Apologia priori. In posteriori etiam tradit, se perspicuè depræhendisse: *quòd primus liber sex voluminum Eusebij ipse esset, qui unus sub nomine Pamphili à te editus est tam Græcè, quàm Latine immutatis dumtaxat sensibus de Filio, & Spiritu Sancto, qui apertam blasphemiam continebant.* Hoc ipsum ex Antipatro Episcopo Bostrensi in Synodo laudata refertur, qui hæc scripsit: *Prius enim apologiam illam excutere volumus, ut ita non solum illum, pro quo apologia scribitur, sed & ipsum authorem hæreticos ostendamus.* Floruit hic Antipater circa annum 460, nam S. Euthymius Abbas ad eundem scripsit ex cap. 16. de vita Euthymij apud Surium. Successit Constantino Archiepiscopo, qui Synodum Chalcedonensem anno 451. subscripsit. Verùm noster Halloix aliter sentit, clamatque S. 4. *Propè pro certo tenemus, non modò primum librum sanam continere doctrinam, quòd oculis ipsis cernimus &c. sed etiam omnes reliquos, & quòd certum sit Pamphilum ipso teste Eusebio supra in illis collaborasse, excepto tantum sexto, quem haud dubiè Eusebius nè à Pamphilo, & à se ipso disideret, conformem cæteris composuit.* At Patres, qui eos libros legere, Arianam hæresim eosdem continere dixerunt; vel ergo mentiti illi sunt, quòd Arianam hæresim minimè perspectam haberent, vel falsum somniat Halloix de incognitis sibi libris (neque enim extant) iudicium ferens. Quòd si Pam-

Pamphilo illi libri adiudicentur, Ariana hæresis Doctor Christi Martyr euaudet, & ne Rufinus mendax videatur, Pamphilus Arianus publicabitur. Non tibi expedit, clamat Hieronymus in posteriori apologia, *ut per te clarissimus martyr hæreticus iudicetur, ut qui effudit pro Christo sanguinem, contrarius fidei Christi approbetur &c. Melius est, ut tu erraueris, quàm ut Martyr hæreticus fuerit.* Interim de presenti compe de utcumq; erue pedem. In futuro iudicio tu videris, quid ad Martyris contra te respondeas querimonias. Eusebius Casareensis, ut Ariano dogmati, quòd in apologia illa docet, aliquod authoritatis pondus adijceret, eandem à se, & à Pamphilo compositam scripsit, quem utpotè Ariana factionis signiferum (ita enim hominem vocat Hieronymus) mendacij accusare malim, quàm glorioso Martyri hæresicos notam inurere. Fuit Eusebius amicus Pamphili, unde eiusdem cognomine honoris causa decoratus est; idem tamen Pamphili desertor etiam extitit, nam istum fortiter pro Christi fide martyrium subeuntem haud secutus fuit, sed Dijs sacrificans fidei proditor turpiter è carcere eualet, uti eidem S. Potamon Heracleæ Episcopus in Tyrio Concilio obiecit, de quo mox sermo redibit.

Haud vacat ab Halloix pro Rufino susceptam defensionem pluribus oppugnare, hominis tantum malæ causæ patrocinati errores subnotabo. Errat primò, dum putat librum apologeticum sub nomine Pamphili editum à Rufino esse sextum librorum Eusebij, nam teste vbique in apologijs, & in epistola ad Ctesiphontem Hieronymo *primus liber est Eusebiani apologetici.* Textus verò epistolæ erat planè illi, si aduertisset, corrigendus. Quòd si liber editus à Rufino mille fermè versus ex sexto Eusebij continet, ut ex Hieronymo putas, nè huic irascaris, quòd scripsit librum illum non esse Pamphili, sed Eusebij, te hæc ipsa S. 3. scribente: *Sextum omnes, ne uno excepto, attribuunt Eusebio.* Itaque de primo, si sapis, lis est, num Eusebij, an Pamphili sit, non de sexto. Errat deinde dum S. 4. tradit, nec ipsum quidem Hieronymum constanter librum illum attribuisse Eusebio, sed semel, atque iterum dixisse, esse potius Didymi, aut cuiusvis alterius, quàm Eusebij, aut Pamphili. Nusquam hoc Hieronymus putavit, sed vbique constanter asseruit, librum illum esse Eusebij, quem testatur vidisse se, ac legisse in bibliotheca Casareensi, at à Didymo, vel Rufino correctum ablatis ijs, quæ pro Arij hæresi Eusebius inibi posuerat, & eo pacto à Rufino sub nomine Pamphili publicatum. Do verba Hieronymi in apol. 2. *In Casariensi bibliotheca Eusebij sex volumina repperi à πολογιας Ἀριστεύου. Quæ cum legissem, primum eum librum depræhendi, quem tu solus sub nomine martyris edidisti, de filio, & Spiritu S. in bonam partem plerisq; blasphemijs commutatis: Et hoc vel Dydimum, vel te, vel alium fecisse nescio quem, quòd tu apertissime in libris Peri-archon fecisse conuinceris.* Errat tertio, dum in eodem S. 3. Hieronymum repræhendit, quòd scripsit, in illo primo volumine mentionem fieri sequentium: *Nam in illo primo volumine, inquit, quòd totum legi non semel, sed sæpius, nulla prorsus facta est librorum sequentium mentio.* Imperitè: Hieronymus non loquitur de primo libro prout corruptus fuit à Rufino, sed prout in autographo Casareensi abs se lectus fuit, dicens in primo libro sequentes appellari, & in posterioribus primi libri fieri mentionem. Verba Hieronymi in prima apologia sunt: *In ipso volumine, quòd tu Pamphili simulas, sequentium librorum facta mentio est. In secundo quoque, & reliquis dicit Eusebius, quòd in primo iam ante di-*

de dixerit, & quod eadem repetere non debeat. Errat quartò, imò pessimam calum-
niam Hieronymo struit, dum §. 2. loquens de apologia Pamphili, quam initio
quidem etiam S. Doctor eidem Pamphilo adscripsérat, postea verò fraude de-
tecta Eusebio legitimo Authori adiudicauit, hæc asserit. *Ea, quæ ipse in con-
stanti, ac matura etate, & firma adhuc memoria, placidoq; animo conscripserat, plus
mereri apud equos Iudices fidei, quam ea, quæ præcipiti æuo, & recordatione fluxa, &
mente præsertim ex quibusdam circa res literarias dissidijs nonnihil exulcerata per palin-
diam exarauit.* Vide quò malæ causæ defensio hominem præcipitem egit? Non
illum pudet recordationis fluxa Hieronymum arguere, qui non modò eorum,
quæ priùs scripserat, optimè meminit, verùm etiam aperit, cur per errorem
illa exarauit? Audi Hieronymum lib. 2. Apologiæ prioris hæc scribentem:
*Etiam ante annos ferme decem, cum Dexter amicus meus, qui præfecturam administra-
uit Prætorij, me rogasset, ut authorum nostræ religionis ei indicem texerem, inter ceteros
Tractatores posui & hunc librum à Pamphilo editum ita putans esse, ut à te, & tuis di-
scipulis fuerat diuulgatum. Itaq; fraudem tuam errori meo imputare non debes.* Et Apol.
2. *De tuo codice quasi Pamphili exemplar accepimus. Credidi Christiano, & credidi Mo-
nacho, non putavi tantum sceleris à te posse confingi.* Certè Hieronymus in lib. de
Script. Eccles. loquens de Pamphilo ait: *Scriptis, antequam Eusebius scriberet, apo-
logeticum pro Origene.* Quod falsum est, nam Eusebius, vnà simul secum scrip-
tum illud fuisse à Pamphilo autumauit. In Rufinum igitur tota culpa deuoluitur,
cum Hieronymus à Rufino se deceptum testetur. Et quidem Halloix no-
bilibioribus S. Hieronymi scriptis autoritatem subtrahit, quòd ea scripserit
æuo præcipiti, ac recordatione fluxa. Ille enim post lites illas cum Rufino, imò &
eodem mortuo, etiam Dialogorum libros contra Pelagianos procudit, aliaq;
conscripsit, quæ inter eiusdem codices principem sibi fermè vindicant locum.

Volo hic insignem Rufini fraudem monstrare. Cum legerem Gennadij li-
brum de Scriptoribus illustribus, in capite 17. vbi de Rufino agit, hæc ad-
notauit ab eodem de Rufino scribi: *Interpretatus est etiam sententias Pamphili mar-
tyris aduersum Mathematicos.* At cum apud Eusebium, cuius verba producit
Hieronymus in prima apologia, habeamus Pamphilum proprij operis nihil
omnino scripsisse, ea statim cogitatio animum subiit, vndenam Gennadius
aduersus Mathematicos operis alicuius Pamphilum authorem habuerit? A
Rufino in errorem inductum cognoui. Hic in priori inuectiua contra D. Hie-
ronymum ait: *Macarius cum opuscula aduersus fatū, vel mathesim haberet in ma-
nibus, eaq; utili, ac pernecessario labore componeret &c. Quid porrò Origenes, quem
opinatifissimum apud Græcos audierat, sentiret de talibus percunctatur, breuiterq; sibi eius
de singulis quibusq; sententias orat exponi. Ego rem primùm dicebam factu esse diffici-
lem, Sanctum tamen Pamphilum Martyrem dixi quadam ex parte tale aliquid operis
conscripsisse in apologetico suo. Continuo id sibi poscit in latinum verti. Nullum dice-
bam me usum huiusmodi operis habuisse, & ad latinum sermonem tricennali iam pen-
incuria torpuisse. Perstitit tamen deprecans, qualicumq; sermone notitiam sibi tantum
eorum, quæ cupiebat, ostendi. Cumq; id, quo potui sermone, fecissem, maiori desiderio
accensus est ad illa ipsa plenius cognoscenda, è quibus pauca illa, quæ transtuleram, vbi
debantur assumpta. Aitq; se precibus eiusdem victum libros Peri-archon tran-
stulisse. Vide quæso suasmet imposturas fatentem reum. Scribit Rufinus,
S. Pamphilum Martyrem contra Mathematicos aliquid operis conscripsisse in apolo-*

getico

getico suo, & Macarium amicum deprecatum ex Pamphilo notitiam sibi tantum
eorum, quæ cupiebat, ostendi. Additq; se id, quo potuit sermone, fecisse. Ita scripsit
latino sermone Apologeticum pro Origene, quod Macario eidem nuncupa-
uit. At in hoc apologetico nihil probatum legitur contra Mathematicos, vel
fati assertores, sed tantum de Patre, de Filij æternitate, & consubstantialita-
te, de S. Spiritus diuinitate, De Verbi Incarnatione, ac Christo Domino, de
pœnis damnatorum, & de animarum trãsmigratione ibidem disseritur. Quod-
nam igitur opus contra Mathematicos Pamphilus scripsit, quomodò eorum,
quæ Macarius scire cupiebat, notitiam, Rufine, tradidisti? Contra fati asser-
tores instrui ille vult, & alia à te magni hiatus promissore edocetur. En impo-
sturæ origo. Eusebius sex libros apologeticos scripsit pro Origene, in quo-
rum aliquo adducit dicta Origene contra Mathematicos. Rufinus volebat
quidem integros sex libros transferre, sed veritus ne inscripto nomine S. Pam-
phili, ex numero librorum ipsissimi Eusebij esse statim cognoscerentur (Hie-
ronymus enim in catalogo librorum Eusebij sex apologeticos eiusdem pro
Origene numerauerat) vix primum interpretatus manum de tabula amouit, &
Peri-archon librorum versionem aggressus est. Noluit tamen translatum apo-
logeticum inscribere primum librum, quò vnus à S. Pamphilo compositus habe-
retur, atq; de reliquis Eusebij libris omnis prorsus suspicio tolleretur. Quæ-
sote Halloix, si Rufinus probè nouit, S. Pamphilum in reliquis operis illius
libris contra Mathematicos scripsisse, cur illa, vti rogabatur à Macario, non
est interpretatus? cur apologeticum primum librum non inscripsit? cur illius
tantum in præfatione ad Macarium mentionem fecit, ac si nihil aliud pro Ori-
gene Pamphilus elaborasset? At dicis, primum librum tantum esse totum à S.
Pamphilo scriptum, cuius nec versus Eusebij sit. Bellè tibi ista fingis sine te-
ste; at Rufinus contra Mathematicos aliquid operis scripsisse Pamphilum nar-
rat, nulla Eusebij mentione facta. Audio Rufinum isthæc ad Macarium in
præfatione scribentem: *Librum Pamphili, quem pro Origene in Græco scripsisse
traditur, transferri tibi poposceris in latinum.* Ita passim, & vbiq; loquitur, ac si
translatum à se tantum vnicum illum librum S. Martyr composuisset. Verùm
non semel in his se dolis Rufinus exercuit, nam quò Origene scholam qua-
cumq; arte promoueret, Sexti Philosophi Ethnici librum sententiarum publi-
cauit specioso titulo apposito S. Xysti Pontificis, & Martyris, quo quidem
libro vsus est Pelagius ad liberum arbitrium supra gratiam erigendum, & ini-
tio etiam id credidit S. Augustinus, vt patet ex lib. de nat. & grat. cap. 64.
quem tamen errorem corrigit 2. Retract. cap. 42. à Hieronymo fortè admo-
nitus, qui in epistola ad Ctesiphontem de Rufino dudum mortuo scripserat.
*Illam autem temeritatem, imò insaniam eius quis digno possit explicare sermone, quòd li-
brum Sexti Pythagorei hominis absq; Christo, atq; Ethnici immutato nomine Syxti mar-
tyris, & Romanæ Ecclesie Episcopi prænotauit &c.* Quare idem Sanctus lepidè
olim his Rufinum perstrinxit in priori apologia: *Cum tantam habeas licentiam
nominum immutandarum, ut de Eusebio Pamphilum, de heretico Martyrem feceris,
cauendus homo, & mihi maxime declinandus, ne me repente, dum nescio, de Hieronymo
Sardanapalum nomines.* Quis igitur Rufinum Authorum nomina immutare so-
litum procul ab his infidijs in apologetici pro Origene editione putabit,
Hieronymo hominis fraudes repetitis exemplis confirmante? Sed dolum dolo

X 2

auxit,

auxit, dum primum Eusebij librum haud fideliter interpretatus est; nam Hieronymus, qui oculatus testis utrumque contulit, & Pamphili à Rufino editum, & primum ex sex libris Eusebij, scribit in priori apologia: *Quamuis de Eusebij libro multa subtraxerit. Et postea: Cumq; de ipso libro, quem Pamphili simul las, multa peruerteris.* Quæ quidem, nisi vera essent, numquam coram Orbe Catholico, coram tot illius ætatis hominibus doctissimis, quibus integer colorum, atq; aurium vsus erat, tanta confidentia magnus Ecclesiæ Doctor asseuerasset.

Qui verò post Eusebium Pamphilum Martyrem pro Origene apologeticum scripsisse prodiderunt, quorum testimonia initio statim adducta sunt, nempe Socrates, Nicephorus, & Photius, Eusebij Ariani hominis fidem secuti sunt. Socrates certè Origenem impensius coluit, ut patet ex lib. 6. cap. 13. ubi Origenis aduersarios his excipit, quos inter numerat S. Methodium, & magnum Theophilum Alexandrinum: *Homines nullius momenti, & qui sua ipsorum virtute nequeunt emergere, per hoc aliquid existimationis acquirere volunt, quòd potiores viros carpunt.* Et lib. 7. cap. 45. ait: *Subit autem mihi admiratio, quomodo liuor Origenem etiam mortuum preferit. Ille namq; post ducentos annos à morte sua à Theophilo est excommunicatus.* At Theophili sententiam vniuersa Ecclesia approbavit, ut lib. 1. hist. Pelag. cap. 2. ostendimus, imò & eiusdem scripta contra Origenem, quæ Halloix iniuriosè carpit, S. Gelasius cum Romana Synodo in decreto de libris recipiendis vnà cum aliorum Patrum, quos nominat, voluminibus dicit se approbare *Opuscula Beati Theophili Alexandrini Episcopi.* At Socrates non vnicum librum apologeticum scriptum fuisse à Pamphilo narrat, sed plures, inquiens: *Meminit autem eius, & Pamphilus martyr in libris, quos de Origene lucubravit.* Eundem verò Pamphilum non solùm illos scripsisse, sed vnà cum Eusebio idem affirmat lib. 3. cap. 5. ubi: *Testes horum fide digni sunt S. Pamphilus, & qui ab ipso cognomen traxit Eusebius, uterq; enim communiter vitam Origenis commendantes &c. composita pro illo insignibus libris apologia &c.* Cur igitur Rufinus vnum librum sub vnius tantùm Pamphili nomine publicauit, cum ille primus inscribendus foret, & authoribus Eusebio, & Pamphilo, si Ariano Cæsarensi, & huius auctoritatem secuto Socrati Origenistæ fides habenda est? Nudatur omni pallio Rufini dolus, nec superest lacinia, qua se quacunq; parte tegat, iisdem enim testimonijs conuincitur, quibus illum potenter defendi Halloix nouus Origenis aduocatus existimauit. Sanè vidit Rufinus, quantum auctoritatis liber ille perderet, si Eusebiana manu vel ex parte conscriptus probaretur. Et quidem Eusebius licèt in historia Ecclesiastica dicat, se libros illos à Pamphilo adiutum scripsisse, illis tamen suum ipsius tantùm nomen inscripsit, eoq; pacto vulgati sunt, ut ex catalogo Scriptorum S. Hieronymi cap. 81. probabam, sciebat enim Eusebius, S. Martyrem nullam vel leuem in illis operam posuisse. Testimonia Photij, ac Nicephori, qui idem ex Eusebio post plura sæcula exscripserunt, eodem modo accipienda sunt.

Hæc fusiùs, quàm nostrum institutum poscebat, congestisse contra Rufinum eiusque defensorem fortè videbor, sed longiorem in ijs moram suasere Hieronymi monita exclamantis in epistola ad Ctesiphontem tantum fraudis à Rufino admissum, *ut librum primum sex librorum defensionis Origenis Eusebij Casariensis (quem fuisse Arianum nemo est qui nesciat) nomine Pamphili Martyris prænotaret, quòd*

scilicet

scilicet egregia illa quatuor Origenis *περί ἀρχῶν* volumina latinis infunderet auribus. Quis enim libros Origenis non recipiat, quos à S. Martyre probatos, ac defensos fuisse cognouerit? Profectò S. Pamphili apologeticum libris Periarchon, seu de principijs ab inuidorum accusationibus tutandis cūsum fuisse fatetur, imò gloriatur Halloix in fine quæstionis primæ libri quarti scribens: *Ego quidem diuina attribuo prouidentia, quòd eius quoq; libri defensionis, qui maxime oppugnatur, libri inquam de principijs optimum, ac potentissimum suscitavit defensorem Sanctum Pamphilum Martyrem.* Vah quàm diuersa sunt Diuorum, atq; hominum iudicia! Hieronymus id Rufino temeritati, imò insaniæ vertit in epistola ad Ctesiphontem, quod Halloix *diuina attribuit prouidentia.* Vtri magis credendum? Illi libri Periarchon totius vetustioris Ecclesiæ sententia reprobati sunt. Continere illos impia dogmata scribit S. Anastasius Papa ad Ioannem Hierosolymitanum, additque eosdem Ecclesiam maculare, probatos mores euertere, aures circumstantium vulnerare, iurgia, iras, dissensionesq; dispungere, piorum mentes immissa sui caligine labefactare. *Detestanda plurima, scorpiones, & colubros habere scribit Hieronymus Auito. Ineptias, & digna odio, ac inimica Deo verba, S. Epiphanius epistola ad Ioannem Hierosolymitanum.* Quos cum Sanctus vir Pammachius legisset, exhorruit, & inclusit scrinio, ne prolatis in vulgus multorum animos vulnerarent, Hieronymo teste in laudata epistola. Horum, inquam, librorum *diuina prouidentia, si Halloix vlla fides habetur, optimum, ac potentissimum suscitauit defensorem S. Pamphilum Martyrem.* Vnius Pamphili ducatum in defendendo Origene secutum se idem protestatur in præfatione libri quarti bellissimas inibi fabellas nectens; sed quid aliud diceret, qui Origenis nugas, fabulasq; ut loquitur Synodus VII. in definitione fidei, defensus erat? Fingit sibi Veritatem hæc intimasse: *Comitem habebis in omnibus, fautricemq; VERITATEM. Ac ne diffidas, eum tibi Ducem prouidebo, cui resistere nulli queant aduersarij, Ducem scilicet belli scientissimum, & certæ harum rerum notitiæ indagatorem sagacissimum. Dux enim tuus in hac Origeneis mei, & tui defensione, futurus est ille nominis amabilissimi Beatus Pamphilus, ille Martyrum sui æui nobilissimus, ille germanorum Origenis Scriptorum propugnator acerrimus, qui & apologiam pro illo fortissimam primus omnium exarauit, & illos errores, quos quidam partim ignari, partim inuidi, partim maleuoli iniquè ipsi affingebant, ab illo longissimè, atq; certissime propulsauit.* Hæc pars prologi est, in quo Veritatis sese familiarem venditans, auditores ad reliquam fabulam, quam satis prolixam ludit, benignis auribus excipiendam promptiores reddere conatus est. Porro eadem veritate suadente his se vindicandam S. Pamphilo apologiam animatum scripturit: *Tantum hoc sedulò age, ut puram putam in omnibus Dei Optimi, Maximi gloriam quæras, iisdem vestigijs in protegendo Origene, qua Pamphilus meus olim expressit, gradiare. Ita minimè tibi difficile fuerit, quam ille conscripsit Apologiam, hanc ipsi ut germanissimam, sicuti re vera est, quæ ratione, qua auctoritate vindicare. Quod proinde (quando MAGNAM PARTEM IN EO SITA EST VICTORIA) primo tibi loco aggrediendum, ac toto nisu perficiendum est: Ibidem. Si Concilia erroris arguere, Pontifices ignorantia insimulare, Sanctos Patres inuidia, obliuionis, inconstantia, liuoris, inscitia, ac denique malevolentia incusare, Origenem Schismaticum, atq; Hæresiarcharum pessimum ab Ecclesia pronunciatum defendere, haud equidem est Dei Optimi Maximi gloriam quærare, sed Diuorum auctoritatem eleuare,*

uare, ac propriæ famæ iacturam facere. Nullam librorum Peri-archon defendendorum rationem meliorem inuenire potuit, quàm ab Apologia Pamphilo afficta viam sibi aperiens, falsus enim est, *magnam partem in eo sitam esse victorie*. Hinc veluti in arce causæ de apologia Pseudo-Pamphili mihi cum aduersario pluribus litigandum fuit, vt tanti nominis Patrono libri Peri-archon à Pelagianorum Magistro exarati nudarentur. Hieronymus impium duxit Christi Martyrem Arianae hæresis sectatorem fieri, vnde quòd apologeticus ille liber Arianismum saperet, à Pamphilo scriptum fuisse negauit. Quare cum Pelagij errores, ac capitalia superbæ hæreseos theoremata in iisdem libris Peri-archon tradantur, Sancti Martyris famæ interesse arbitratus sum, eundem à Pelagianorum delirijs vindicare, illa enim Pelagiana dogmata Author Apologetici non correxit, imò loquens de animarum productione eadem repetita assertione probauit.

Huic capiti audax hominis dictum coronidem imponet, ita enim longior nostra hæc contra Origenem dissertatio terminum habebit. Quando in factiones diuidimur, eos, qui nostræ sectæ amici, ac defensores sunt, impensius diligimus, nostramque eisdem, vbi occasio fert, operam libentissimè commodamus. Hinc factum est, vt Halloix, cum videret Eusebium Cæsareensem tot apologeticis editis de carissimo sibi Origene benemeritum, haud passus sit, hunc ipsum tanquam Arianum accusari. Itaque de collegæ fama sollicitus omnem ab eo Arianae hæreseos suspicionem excutere pertentauit vociferans lib. 4. q. 1. S. 4. *Verum de Eusebio, & de recta eius doctrina, quam nonnulli perperam suggestillarunt, alibi tractamus; de quo cum scripsero, quid mihi videtur, libenter audiam, quid alij sentiant*. Et antea statim dixit Hieronymum haud rectè suspicatum, quòd Eusebij libri apologetici pro Pamphilo *sectam Arij redolerent*. Eusebium Arianum fuisse certissimum est. Etenim S. Athanasius in epistola de decretis Nicænae Synodi hæc scribit: *Eusebius ex Caesarea Palestinae, quum pridie abnegasset, in eandem sententiam tamen postridie subscripsit, quam etiam Ecclesia legendam misit, dicens eam esse Ecclesiae fidem, & Patrum traditionem (nempe filium esse Patri æterno consubstantialem) omnibusque manifestò apparuit eum prius & temere errasse, & frustra contra veritatem pugnasse*. Quare cum sex illos libros apologeticos ante Synodum Nicænam scripserit, nam viuente Pamphilo illos exarauit, qui passus est ante Constantini baptismum, tum temporis eosdem dictauit, quandò teste Athanasio *temerè errabat*. Et quidem ipse Arius in epistola ad Eusebium Nicomediensem scribit, sibi adhæsisse Eusebium Cæsareensem, vnde idem Eusebius à S. Alexandro Patriarcha Alexandrino excommunicatus fuerat: *Et quoniam, inquit, Eusebius frater tuus Cæsareensis, & Theodotus, & Paulinus & c. asserunt priorem esse Deum Filio ante principium, anathema sunt facti*. Eusebium verò Cæsareensem primum ferè Episcoporum literas pro Ario quaquaersum sparsisse testatur Arianae factionis Coryphæus Eusebius alter Nicomediensis, qui contra S. Athanasium pessimæ factionis, quam etiam Eusebianam dixere, author fuit, in literis ad Paulinum Tyrriorum Episcopum, in quibus exemplo Eusebij Cæsareensis hortatur ipsum ad scribendum pro Ario: *Neque studium, inquit, Domini mei Eusebij pro veritatis defensione susceptum, neque tua de eadem retacurnitas in silentio quidem iacet, sed ad nostras usque aures utrumque perlatum est*. Nos, vt par fuit, magno gaudio à Domino nostro Eusebio, à te dolore affecti sumus.

Has

Has literas refert Theodoretus lib. 1. cap. 5. Quare duo illi Eusebij Ariani curus biuges iure meritò sunt appellati. Literæ Eusebij Cæsareensis pro Ario scriptæ recensentur in Synodo II. Nicæna act. 5. quarum blasphemias cum Patres audiissent exclamarunt: *Hic reliquis nobis maiore odio prosequendus*. Itemque: *Anathema & libris, & illis, qui illa legunt*. Et Legati Pontificij addiderunt: *Ipsa lectio indicat, quòd Arianorum sententiam sapiat, habet enim ante lectus Eusebij Pamphili liber & alias blasphemias, quas Synodus audire respuit*. Inter alia negat Filium esse verum Deum, inquit enim in epistola ad Euphrationem: *Vt cognoscant te solum verum Deum, non vt vno solo existente Deo, sed vt solo vno existente vero Deo, cum maximè necessaria adiectione VERO: quandoquidem & ipse quidem Deus filius, sed NON VERVS DEVS, vnus enim est & solus verus Deus, quia neminem habet ante se*. Lege ibi alia.

In Nicæna Synodo Eusebius vterque subscripsit Catholicum symbolum, sed Eusebium Cæsareensem paululum substitisse, scribunt Socrates lib. 1. cap. 8. alijque. Epistolam ad suos Cæsareenses Nicæa dedit, in qua Synodalis statuti rationem assignat; illam autem Cardinalis Baronius examinat ad annum 325. Certè ob illud factum Ariani Eusebium reprehenderunt, *defectionem ipsius insimulantes*, teste Theodoro lib. 1. hist. Eccles. cap. 12. An verò manu eque, ac mente fidem Nicænam subscripserit, ex ijs, quæ postea contra Athanasium struxit, dubium fecit. De illo dixit Socrates lib. 1. cap. 23. quòd *bi-linguis iudicatus est*. Etenim prævalente Antiochiæ Arianorum factione vrbe pulsus fuit magnus Antistes Eustathius, qui, vt ait Hieronymus in epistola ad Euagrium 126. *Contra Arium clarissima tuba cecinit*, atque Eusebius ab Hæreticis in Episcopum ab Imperatore Constantino flagitatus fuit, quòd illum magnum Arii defensorem norant. Imperatoris ea de re responsum refert idem Eusebius lib. 3. de vita Constantini cap. 57. Cum verò Eusebiani graues contra Athanasium Arianorum hostem infensissimum vbique turbas darent, Constantinus, qui ex falsis Hæreticorum delationibus in prauam de Athanasio opinionem abierat, Synodum Cæsareæ in Palæstina fieri mandat. Athanasius autem ad illam, vt scribit Sozomenus lib. 2. cap. 25. *vocatus non obedit, Eusebij illi Episcopi, & eius, qui Nicomediæ erat, aliorumque, qui cum istis erant, malitiam veritus*. Quis igitur Eusebium Pamphili Arii fautorem negabit, cum Athanasio hostis extiterit, qui cum solis Arianis inimicitias exercuit, Catholicis omnibus semper carissimus? Verum paulò post coactæ apud Tyrum Synodo vnà cum cæteris interfuit Athanasius ita iubente Constantino. De qua re S. Epiphanius lib. 2. con. Hæreses num. 68. vbi agit de secta Meletij hæc narrat: *Et iussit iudicare causam hanc Eusebium Cæsareæ Episcopum, & alios quosdam, erant autem hi quodammodo magis inclinati ad Arianorum vanitatem*. Ibidem raræ libertatis exemplum cum perpetua Eusebij infamia dedit S. Potamon Heracleæ Episcopus oculo ob Christi fidem in persecutione orbatus. Hic enim, do verba S. Epiphaniij, *quum vidisset Eusebium sedentem, ac iudicantem, & Athanasium stantem, superatus tristitia, & lacrymans ob ea, quæ apud veritatis professores fiunt, inuectus est voce magna contra Eusebium, ac dixit: Tu sedes Eusebi, & Athanasius innocens existens à te iudicatur, quis tulerit talia? Dic verò mihi tu: Nonne tecum fuisi in carcere tempore persecutionis? Et ego quidem oculum amisi pro veritate, tu verò nihil mutilatum in corpore habere videris, neque testimonium per confessionem præbuisi, sed*

sed stetit vivens nulla parte detruncata. Quomodo discessisti e carcere, nisi quod praemissisti his, qui necessitatem persecutionis nobis intulerunt, id, quod nepharium est, te facturum esse, aut certe fecisti. Generosis illis vocibus Eusebius perterritus conventum dissoluit, misitque Vrsacium, & Valentem contra Athanasium inquisitores. Ex his emissarijs, ac satellitibus, an Cæsarensis fuerit Arianus, quis non intelligat? Hinc apud veterem Ecclesiam adeo certum erat, Eusebium Arii studiosum fuisse, vt id omnes citra dubium pro comperto haberent. S. Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem mentionem facit Eusebii Cæsariensis, quem fuisse Arianum nemo est, qui nesciat, &c. Idem lib. primo contra Rufinum ait: Eusebius Cæsariensis Episcopus Arianae quondam signifer factionis. Et lib. 2. meminit Eusebii Arianorum Principis. In Synodo VII. Oecumenica actione 6. hæc leguntur: Etiam Eusebius Pamphili ab illis in testem aduocatur, qui tamen ab omni Catholica Ecclesia Arianae heresis defensor esse cognoscitur. Item: Quis enim fidelium in Ecclesia, quiue verorum dogmatum scientiam habet, ignorat Eusebium Pamphili in reprobum sensum traditum consensisse Arii placitis?

Verum Halloix §. 4. in fine reponit pro Eusebio: Quos quidam putant in illo fuisse errores, ostendam fuisse Græcorum Sanctorum Patrum, quos ipse studuit imitari, & vulgatas opiniones, nec pro erroribus tunc habitas. Quod Patres, ac Synodi iudicarunt de Eusebio, quosdam, nempe paucos id putasse fingit: sed ista relinquamus. Fateor quidem nonnullos Patres de Filio Dei eo prorsus modo, quo Eusebius, alicubi locutos esse, sed cum illi Orthodoxi fuerint, atque in alijs libris rectam de Filio Dei sententiam exposuerint, in bonam partem trahendi sunt, vbi ijs vocabulis, ac phrasibus vsi fuere, quas postea Ariani vsurparunt. At Eusebius, cum Arianae illi heresis sectatorem fuisse ex Arii, Eusebii Nicomedienfis, nec non magni Athanasij testimonijs constet, non est cur in bonam partem eius verba interpretatione prorsus violenta trahantur. Certe quæ in Synodo Nicæna II. ex eius epistolis adducuntur, si rectè explicare poterit Halloix, eadem planè facilitate Arium quoque Catholicum vendicabit, ac Nicænos Patres iniustos Iudices publicabit. Quod verò Eusebius Symbolum Nicænum subscripsit, nullam eidem defensionem parat, nam hoc grauidocissimi Patris S. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani testimonio conuincuntur, qui cum Halloix Cæsarensis Arianum inde excusant: Eusebius, ait, fuit Arianae insanae Princeps, & plura, & peiora, quam omnes Ariani, in filium Dei, & D. N. Iesum Christum, & Deum contumeliosè, & impiè protulit &c. Qui autem impium eius dogma amplexi sunt, & aiunt pœnituisse eum, & à Synodo susceptum esse, sciant falsum esse, siquidem post aliquot annos, cum nonnulli ex simplicioribus eum in Ecclesia commemorarent, coacta est Synodus Alexandria, & istis quidem pœnas constituit, memoriam verò eius ex Ecclesia deleuerunt, & tanquam ab hac Sancta Synodo eiecto nequaquam in Ecclesia memoria eius habetur. Contra Iconomachos cap. 2. In eandem sententiam in Synodo septima act. 6. Epiphanius hæc de Eusebio pronunciauit: Labris illum dicimus veritatem coluisse, corde autem longè ab ea absuisse, quemadmodum & omnes epistolæ illius, & commentaria ostendunt. Postea: Verum pro illis epistolis suis nusquam apologiam conscripsit, mansit enim Æthiops non commutans cutem suam. Qui ergo hunc Æthiopem lauare conantur, non modo operæ, verum etiam & famæ iacturam faciunt, insignè heresis professorem aduersus Patrum Synodos excusando. Hinc constat, Halloix Origenis

ad

aduocatum tota causa cadere, dum damnatos à Synodis præpostero profusus consilio defendere pertentat. Haud tamen necesse fuit, nos in illo refellendo tantum operæ, ac laboris impendere, nam olim à S. Gelasio Papa Hieronymo contra Rufinum causa adiudicata fuit hac planè sententia irreuocabili: Quoniam B. Hieronymus eum, scilicet Rufinum, in aliquibus de arbitrij libertate notauit, illa sentimus, quæ prædictum B. Hieronymum sentire cognoscimus, & non solum de Rufino, sed etiam de diuersis, quos vir sepius memoratus zelo Dei, & fidei religione reprehendit. Item: Origenis nonnulla opuscula, quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus, reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus esse reuenda. Hæc ille.

APPENDIX.

Iuliani Pelagiani Laudatores, Cassiani & Fausti Semipelagianorum defensores confutantur.



Vt vsque Origenis, ac Theodori Mopsuesteni Apologum confutauimus; nostra enim intererat, in id operis diligenter incumbere, qui Pelagianos, quos inter vtrumque & primo quidem loco fuisse certum est, ab Augustino plenè conuictos, & ab Ecclesia Orthodoxa ritè damnatos iusto volumine ostendimus. Monet verò hoc loco idem studium, quod Augustinianæ doctrinæ, ac Romanæ in primis Ecclesiæ debemus, vt nescio quos stultissimos Iuliani Pelagiani defensores, itemque quosdam Cassiani, ac Fausti Reiensis, quos vnà cum Iuliano inter reprobos à Romana Sede Scriptores S. Gelasius Papa in Synodo recensuit, importunos, vt mitiùs loquamur, laudatores, seu propugnatores reiiciamus, quod vbi feliciter (neque enim magnæ difficultatis res est) præstabimus, Pelagianæ Sectæ quocunque patrocínio, ac laude nudatæ deformitas apparebit.

CAPVT I.

Probatum S. Augustinum satisfecisse argumentis Iuliani. Sex libri contra eundem Iulianum recens inuenti S. Augustino auctori à Synodis attributi. Egregium de iisdem Marij Mercatoris testimonium.

Hæresis Pelagiana sacris Vaticanis securibus percussa, ac Imperatorum edictis confixa vix spiritum trahebat, cum Iulianus Eclanensis Episcopus Pelagio, ac Celestio sectæ Magistris tot circumquaque strepentibus fulminibus territis, ac latitantibus iuuenili arrogantiâ desperatam causam suscipiens contra Augustinum in aciem prodijt, ac diuturniori certamine S. Doctorem exercuit, eo sanè euentu, vt omnium sapientum consensu penes Augu-

I

stinum



Minum integra victoria steterit. Erupit tamen nudius tertius nescio quis Aristarchus, qui ingenti temeritate, imò stultitia è victoris manu palmam eriperet, deuiçiq; hæresiarchæ caput eadem coronare pertentauit vociferatus, Augustinû in Iulianano bello inferiores partes tulisse. Impudentissimi Sycophantæ voces Ecclesiastici exercitus Imperatori adeo iniurias probi quiq; excreati sunt. Doctissimus P. Magister Ioannes Riuius Belga Augustinianus ignauissimi Zoili deliria eruditissimè explosit lib. 4. de vita Augustini cap. 10. Anno 1650. die 28. Martij Vallisoleti in Hispania sacri fidei Censores vigintiduas propositiones suppresso authorum nomine damnarunt, quippe quæ erant, vt aiunt, nimium iniuriosæ Sanctitati, pietati, & doctrinæ vnius Columnæ Ecclesiæ Catholicæ, qualis est gloriosus Pater Augustinus. Edictum typis excussum per vniuersam Europam publicatum est. Porrò eas inter theses hæ tres recensebantur.

- 9. Augustinum Iuliani argumentis non satisfacisse.
- 10. Si triumpho Ecclesiæ de Pelagianis niterentur posterioribus Augustini scriptis, immeritò de illis Ecclesiæ triumphasset.
- 11. Volentes sustinere partes Iuliani non posse Augustini rationibus conuinci.

Quinam isti homines fuerint, nec scio, nec inquirò; certè eos nouit Sacra Facultas Theologorum Louaniensium, quæ easdem contumeliosas propositiones proscripsit. Hoc tamen mihi planè compertum est, Ioannem Adamum nihilo meliùs esse locutum. Etenim vbi innominati illi dixere, volentes sustinere partes Iuliani non posse Augustini rationibus conuinci, Adamus hæc scripsit: *Contendimus ipsius Augustini arma omni ex parte inexpugnabilia non esse, sint licet illustria. Neque eum in sententiarum suarum, & fundamentorum, quibus eas confirmat, delectu adeo felicem esse (vt demonstrabo, si mihi illud iniunctum fuerit) quin mentibus nostris plenissimam ipsius doctrinæ non consentiendi, imò oppositam partem tuendi libertatem relinquat.* Lib. 3. sui Caluini destructi cap. 3. pag. 581. Igitur si adeo debiles Augustini rationes sunt, Iuliano non multum negotij facerent, facilèq; subtilissimi vjr ingenij illas vel elusit, vel elisit. Addunt illi, Augustinum argumentis Iuliani non satisfacisse. At Adamus hæc insuper in Augustini commendationem scripturiuit: *Sapissimè S. Augustinus factus est, difficultates aut à se ipso, aut ab aduersarijs factas in hac materia datas abs se responsiones excedere, mentemq; suam magis obiectionibus vexari, quàm solutionibus acquiescere.* Ibidem cap. 6. pag. 611. Itaq; si qua viro fides, obiectiones Pelagianorum, quibus omnibus sese Iulianus anteponebat ex fine lib. 2. con. eundem, excederent responsiones S. Augustini, quod perinde est, ac Augustinum non satisfacisse argumentis Iuliani. Tota fanè causa cecidisset Augustinus, si apud istos ludices debilibus adeo argumentis innixus cum Iuliano litigasset.

Hic Iulianus Dialecticis, ac Philosophicis disciplinis excultus cæteris Pelagianis pro hæresi defendenda operosius laborauit. Profana literatura tumidus irridebat Sanctorum Patrum Synodos, quòd illi nescirent, iuxta categorias Aristotelis de dogmatibus iudicare; ausus Augustinum ipsum Philosophum sapientissimum ignominia causa Philosophastrum, Aristotelem Panum, physicum nouum nuncupare. Augustinus initio statim lib. 1. con. Iulianum cap. 1. hæretici ratiocinationes elaborata argumenta dixit, affirmans etiam in fine lib. 2. eundem ad pugnam descendere rationis tuba inflata. Vbi etiam S. Doctor v-

ctoriam

ctoriam inani sibi plausu canentem Pelagianum irridet: *Quid est, inquit, quòd exultas, & mihi quasi victor insultas, tanquam non inuenirem, quid facerem, quòd confugerem, si Iudicum premerer potestate, si in medio eruditorum consisterem tecum?* Iulianus certè gloriabatur, Augustinum suis argumentis nullam satis aptam responsionem reponere: *Ita enim, inquit ibidem S. Pater, tibi ponis ante oculos nostrum in disputatione certamen, & te argumentante, me quid respondeam non habentem fingis, vt placet.* Cum Augustinus probè intelligeret, cum quo sibi hæretico luctandum foret, omnes vires collegit. Hinc libros priores contra eundem modestissimus alioqui vir vocat tantum, tamque elaboratum opus lib. 2. Retract. cap. 62. Ibi verò omnium hostilium argumentorum machinas fregit. Audiat lib. 3. cap. 1. *Ne longum faciam, non omnia verba tua ponam, sed si Dominus adiuuerit, tuarum velut acutarum argumentationum nihil non solutum, destructumq; dimittam.* Itemq; lib. 1. in fine aduersarij argumenta deprimit, nec pili quidem facit: *Vitreas, inquit, argutias tuas, & fragilia, quibus tibi multum videris acutus, & nitidus, argumenta confringam.* Sanè S. Doctor omnibus Iuliani argumentis se plenè satisfacisse professus est; ita enim in libri vltimi epilogo scripsit: *Ad omnia me tibi respondiße Iuliane, & omnia refelliße &c. puto quòd perspicis, si peruicax non sis.* Cum verò Iulianus lib. 1. oper. imperf. cap. 15. dixisset: *Nihil itaq; ibi de omnibus Augustini argumentis, & propositionibus inexplosum remansit.* S. Pater respondit: *Hoc quidem dicis, sed tu dicis, qui autem legit, & intelligit, si non Pelagianus est, hoc non dicit.* Sed sibi in sua causa fauens sit Iudex Augustinus, ad alios prouoco.

Cum duæ Iuliani literæ Bonifacio Summo Pontifici traditæ essent, quarum vnâ Romam, alteram Thessalonicam miserat, vt Latinis, ac Græcis auribus Pelagianismum ingereret, Pontifex easdem ad Augustinum refellendas transmissit, de quo S. Prosper in libro contra Collatorem cap. 42. hæc scribit: *S. mem. Bonifacius Papa cum esset doctissimus, aduersus libros tamen Pelagianorum B. Augustini Episcopi responsa posebat.* Vnum Augustinum furenti Iuliano Apostolica Sedes opposuit, adeo illius ingenium, doctrinæ veritatem, argumentorum robur perspectum habuit. Quare si Augustinus Iuliani argumentis non satisfacit, neq; suis eundem ratiocinijs conuicit, Ecclesiæ ipsa in Augustino victa fuit, quòd impium est cogitare. Vetustioris sanè Ecclesiæ iudicio, antequam noui censores, & Aristarchi emergerent, Augustinus Pelagianorum, ac præcipuè Iuliani argumentis satisfacit. S. Prosper hæc olim scribebat ad Augustinum: *Quicquid etiam in libris contra Iulianum ab ipso sub hac questione obiectum potentissimè debellasti &c.* Marius Mercator in libro contra Iulianum ait: *Sanctus autem sæpè dictus Episcopus Augustinus & suis libris quatuor illius priores euertit; octo quoque posteriores singulis responsionibus suis ad singula capitula subleçtis. Ac sic vanos eius, ac plumbeos pugiones malleo Catholicæ veritatis obrudit, imò confregit.* Hic Mercator anno 429. oblato Theodosio iuniori libello supplici contra eundem Iulianum, ac collegas author fuit, vt ijdem Constantinopoli eijcerentur, vt narrauimus lib. 2. hist. Pelag. cap. 6. S. Prudentius Episcopus Tricassinus in epistola ad Venilonem Episcopum Senonensem ait: *Pelagianis cum à Patribus, præcipuèq; beatissimo Augustino competentissimè, abundantissimèq; responsum fuerit &c.* Beda in præfat. ad Cant. de Iuliani, & Augustini conflictu ita sensit: *Iulianus homo vt Rethor peritissimus ita gratiæ Dei post Pelagium impugnator*

I 2

acerris-



acerrimus, ut apertius scripta eius, quibus contra strenuissimum eiusdem Gratia propugnatores Augustinum insaniuit, ostendunt. S. Gelasius Papa in epistola ad Honorium Dalmatiae Episcopum Pelagianos ita conuictos fuisse scribit, ut nihil ulterius contra ipsos à quopiam noui sperandum superfit: *O si studerent, inquit, aduersus eos Maiorum nostrorum libros, responsaq; cognoscere, illis modis omnibus cerneretur, nihil esse prorsus, quod ab istis non fuerit ventilatum, & ab illis magnifica veritate contritum, sicq; de cunctis eorum nequitijs refutandis fideles quoque viderentur instructi, ut nihil amplius quaereretur.* Sanctus Prosper hanc veterem Augustino à Semipelagianis importatam calumniam, quod Pelagianorum argumentis non satisfecerit, non vno loco irrisit: *Cur de his armis, inquit, contra Collatorem in fine praefationis, quibus communis fides est defensata causantur? Cur bellum confectum retractant, ac munitiones securae dudum pacis infirmant? An victores displicent, & victi placent?* Et in carmine contra Ingratos cap. 2. de Concilijs Africanis, quorum ibidem Augustinus Ingenium dicitur, haec canit.

*Nec sola est illic Synodorum exerta potestas,
Ceu quos non possent ratione euincere nostri,
Vi premerent; discussae artes, virusq; relictum est
Haereticis sensus, nullumq; omnino relictum,
Docta fides, quod non dissolueret, argumentum.*

Iulianus quidem post haec Synodos scripsit, sed in promouenda haeresi magistris nequaquam felicius fuit. Diu ille quidem vixit post editos priores sex contra ipsum ab Augustino libros, at cum se penitus victum cerneret, nullam vnquam responsionem reposuit, qui ingentes sane gratias agit, saltem debet, vel apud inferos ijs Recentioribus, qui ipsum Augustino praetulere. Vtinam parum solida Africani nostri Doctoris argumenta indigitaissent, profecto inuicta illa ostendissemus, vnus saltem exemplo accusationem probare debebant; sed praestanda forsitan Pelagianis aduocationis religione tacti, manum de tabula amouerunt. Certè Augustiniano excellentius ingenium istis natura dedit, quippe qui ea argumenta, quae Hipponensi inuicta visa sunt, nullo negotio dissoluit. Adamus contendit, *arma Augustini inexpugnabilia non esse.* Quare si obtusa erant Africana tela, depromenda è noua pharetra sagittae fuerant, quae Pelagiana haeresis configeretur, ne haeretici se potestate oppressos, non verò ratione conuictos fuisse publicarent.

Venio iam ad alteram aduersariorum calumniam: *Si triumphi, inquit, Ecclesiae de Pelagianis niterentur posterioribus Augustini scriptis, immerito de illis Ecclesia triumphasset.* Exesum rubigine, penitusq; obtusum telum est, Semipelagianorum olim arcibus excussum. Massilienses à Celestino laudes ob priora scripta Augustino delatas fuisse contendebant apud S. Prosperum in fine libri contra Collatorem dicentes, *istam in S. Augustinum laudationem pro anteriorum scriptorum meritis fuisse collatam.* Neq; enim posteriora S. Doctoris volumina aequali in pretio apud eosdem erant, contra quos ibi pluribus S. Prosper inuehitur. Posteriora S. Patris pro diuina gratia defendenda volumina sunt libri de praedestinatione Sanctorum, & de dono perseuerantiae, omnium verò postrema sex illa operis imperfecti contra Iulianum. Illi duo priores libri contra Semipelagianos ad Prosperum, & Hilarium scripti S. Hormisdæ Papæ iudicio approbati sunt; etenim in epistola ad Possessorem scribit: *De arbitrio tamen libero, &*

gratia

gratia Dei, quid Romana, hoc est Catholica sequatur, & seruet Ecclesia, licet in varijs libris B. Augustini, & maxime ad Hilarium, & Prosperum abundè possit agnosci &c. Sex verò vltimi contra Iulianum imperfecti operis libros passim S. Agatho, ac Patres Synodi VI. ut ostendemus, laudarunt. Illos attentiori studio S. Doctor elucubrauit, grauiori enim Episcopatus onere in Eradij humeros depositò, suorum librorum retractationi se totum dederat. Etenim cum acceptis ab Alipio nouis Iuliani libris, eisdem refellendis totus incubisset, penè ab incepto Retractationum opere reuocatus fuit. Scribit S. Doctor ad Quodvultdeum de his Iuliani libris: *Nam me & ab eo, quod habebam in manibus, auerterunt. Hoc autem est, ubi respondeo libris Iuliani, quos octo edidit post illos quatuor, quibus ante respondi.* Cum verò Augustinus nollet alterutrum opus omittere, ita utriusque operam dedit, ut vni diebus, alteri noctibus vacaret. Sapiunt igitur lucernam sex ista postrema contra Iulianum volumina, quibus magnus Vir ferocientem aduersarium veluti vltimo ictu confecit. In his noster Cygnus suo funeri proximus dulcius occinuit, cuius suauissimo cantui inuidentium solummodò coruorum sit, stridula crocitate interstrepere. Fateor in hoc opere S. Doctorem breuius quandoque responsiones Iuliani argumentis reponere; id fecit, eò quòd antea de iisdem rebus in prioribus sex contra eundem Iulianum exaratis voluminibus copiosius disseruerat. Hinc est, quòd saepè aduersarium ad eosdem remittit, ne actum agere videatur. Lib. 4. cap. 26. ait: *Huius libro tuo secundo satis respondi quarto meo. Item cap. 167. Respondi tibi libro meo sexto. Lege lib. 2. cap. 25. 37. & passim alibi.*

Nonnulli tamen Recentiores in eam sententiam abiire, ut hosce sex operis imperfecti libros ab Augustiniana bibliotheca relegatos in apocryphorum sententiam proijcerent, quorum iudicium hic nobis castigandum est. Duo priores libri à V. C. Claudio Menardio Andium Propratore in Gallijs inuenti in lucem primùm editi sunt, ijdemque postea iterum in Belgio correctiores impressi cura, ac studio insignis Theologi, nec non Professoris Louaniensis Michaelis Paludani Augustiniani. Cum verò quidam in iisdem libris suas opinioniones, in quas conceptis verbis iurauerant, suffocari prorsus animaduertissent, illorum fidem in dubium vocare cœperunt. Doctorem locupletissimum Ioannem Riuium lib. 4. de vita Augustini cap. 10. haec ipsa scribentem: *Verum quidem est, duos hosce posteriores contra Iulianum operis libros in dubium ab ijs vocari, qui noua suorum Doctorum opinione delectati veterem deseruerunt, & scriptis suis persecuti sunt.* At diuina prouidentia factum est, ut nuper Hieronymus Vignierius Congregationis Oratorij Sacerdos quatuor insuper alios eiusdem operis libros in Clareuallensi S. Bernardi bibliotheca repertos in lucem emitteret, atque Augustinianam scholam nouis suppetijs eximio, atque immortalis profusus beneficio solidaret. Vir doctissimus singulari diligentia congeffit Lupi Abbatis, Bedæ, & Prosperi testimonia ex his postremis S. Augustini contra Iulianum libris deprompta, quibus egregiè eadem volumina suo Authori deputantur. Ioseph Maria Suarezus ob multiplicem eruditionem literatis omnibus commendatus anno proximè elapso Romæ dissertationem edidit, in qua omni exceptione maioribus testimonijs sex illos libros posteriores contra Iulianum ab Augustino scriptos fuisse conuicit. Viderat ista olim amicus, ac Concellita Christianus Lupus Doctor Louaniensis, qui cum anno 1657. Romæ

in no-



in nostra Angelica bibliotheca Sextam Synodum euolueret, atque in testimonio ex libro quinto contra Iulianum ab Agathone Papa laudata incidisset, monuit me de proximo nescio quas chartas lectitantem, ut dicta testimonia in libro quinto operis imperfecti quærerem. Morem è vestigio gessi, atque ex hoc posteriori opere contra Iulianum verba illa Augustiniana excerpta deprehendi, quod primus omnium idem Lupus in notis ad eandem Synodum cap. 6. publicauit. Agatho Pontifex in epistola Synodica ad Imperatores, quæ recitata est act. 4. Synodi VI. sex S. Augustini sententias ex libro 5. operis imperfecti contra Iulianum laudans ait: *Veritatis prudentissimus prædicator beatus Augustinus in quinto volumine disputationis aduersus Iulianum Pelagianistam quid sit voluntas, his definit verbis: Motus animi quid est nisi motus natura &c.* Hoc testimonium legitur lib. 5. cap. 40. alterum ibidem adductum cap. 53. Tertium cap. 42. Quartum cap. 56. Quintum cap. 60. Sextum denique cap. 56. Rursus act. 8. repetitum fuit testimonium Augustini ex eodem lib. 5. à Theophane Abbate. Cum in ea Synodo VI. act. 10. testimonia Patrum ab Agathone in Synodica adducta ad fidem codicum, qui in Constantinopolitana Patriarchali bibliotheca seruabantur, examinarentur, hæc ibidem recitantur: *Item relectum est ex eodem codice testimonium S. Augustini Episcopi Hipponensis ex libro 5. contra Iulianum Pelagianistam continens ita: Motus animi quid est, nisi motus natura &c. Quod testimonium similiter collatum est ad librum latinis literis scriptum interpretante Constantino Deo amabili Presbytero; & defensore sanctissimæ huius magnæ Ecclesiæ, & latino Grammatico; & constitit.* Itaque non modò Latina, verùm etiam Græca Ecclesia laudatos operis imperfecti libros contra Iulianum Augustino tanquam legitimo eorundem authori adscripsit, atque in suis bibliothecis seruauit, quò eisdem instructa hæreticorum omnium conatibus obuiam iret. Monet autem doctissimus Suaresius, eosdem S. Doctoris libros laudatos fuisse in Synodo Lateranensi à S. Martino Papa anno 649. celebrata, cui quinque supra centum Episcopi interfuere. Etenim Maximus Metropolita Aquileiensis collat. 5. dixit: *Sed & Sanctus Augustinus in quinto libro contra Iulianum Pelagianistam similiter ait: Nunquid, Iuliane, quando Angelus, aut homo aliquid vult, non natura eorum aliquid vult? &c.* Et statim alterum ex eodem volumine testimonium producit. Hæc eò libentiùs recensui, ut palam fieret, eosdem S. Patris libros in nostræ huius Venetæ prouinciæ bibliothecis antiquitus extitisse, quando eosdem noster Metropolita laudauit.

His tamen omnium antiquissimum, ac luculentissimum testem addam Marium Mercatorem S. Augustini & viuentis amicum, ac demortui aduersus Iulianum strenuissimum defensorem, de quo plura diximus lib. 1. Hist. Pelag. cap. 9. & lib. 2. cap. 6. Extat in Vaticana Bibliotheca ut ibidem notauimus, Commonitorium eiusdem MS. Num. 234. inter codices Palatinos, quo plura à Iuliano Pelagiano in octo libris contra Augustinum asserta confutat. Ibi verò fragmenta ex hæretici volumine exscripta eadem omnino sunt cum ijs, quæ in libris operis imperfecti leguntur. Pagina 4. memorati codicis adducit ex lib. 1. cap. 112. hæc Iuliani verba: *Sed currunt ad eum, qui clamat &c.* In editis illa leguntur cap. CXI. Ibidem ex lib. 2. cap. 17. hæc verba recitat: *Verùm imbecillum cæcæ opinionis patrocinium &c.* Habentur autem illa ipsa in eodem libro cap. 16. Pagina 5. ibidem ex eodem capite hæc Iuliani dicta me-

morat:

morat: *Ostensum est ergo nihil posse per Scripturas sanctas probari &c.* Quæ pariter in editis voluminibus recitantur. Rursus ex eodem lib. 2. cap. 58. hæc producit: *Aut si fortè, quoniam aliter dogma tuum stare non potest &c.* Quæ cum editis eodem prorsus loco concinunt. Alias etiam eiusdem hæretici sententias recendet, quæ in imperfecto S. Augustini opere eisdem verbis leguntur. Methodum verò illorum librorum ex Hæretici argumentis, & statim apposis Augustini responsionibus conflari, idem testatur scribens: *Sanctus autem sæpè dictus Augustinus & suis libris quatuor illius priores euertit: octo quoque posteriores singulis responsionibus suis ad singula capitula subleclis.* Ut planè constet laudatum volumen non esse suppositum, sed magni Hipponensis Doctoris manu conscriptum. Quare cum Romani Pontifices, cum Oecumenicæ Synodi, cum antiquiores etiam Scriptores sex memoratos contra Iulianum libros veluti germanam Augustini prolem agnouerint, ac probarint, nostrum est, qui Catholico nomine gloriamur, eosdem inter Augustinianæ Bibliothecæ volumina reponere, & veluti postremam Ecclesiæ ab Augustino traditam hæreditatem religiosius colere, ac venerari. Hic tamen notandum est, codicem operis imperfecti à Vignierio editum pluribus mendis scaterere. Certè lib. 5. num. 53. ita legitur: *Nonne cum Angelus, vel homo aliquid vult, natura aliquid vult? Et Angelus, & homo natura sunt. Quis hoc dixerit? Si ergo natura sunt Angelus, & homo, profectò natura vult, quandocunq; vult Angelus &c.* Verùm apud Maximum Aquileiensem ita habetur: *Nunquid, Iuliane, quando Angelus, aut homo aliquid vult, non natura eorum aliquid vult? Angelus, & homo natura non sunt? Quis hoc diciturus est, quia non sunt? Si ergo natura sunt Angelus, & homo, certum est, quia natura vult, quando Angelus vult &c.* Rursus ibidem legit Vignierius: *Veritas autem dicit, quandiu est voluntas vlla, natura non potest separari.* At S. Agatho ita recitat: *Quandiu est voluntas vlla, à natura non potest separari.* Sed de his hæc tenus. Etenim speramus, doctissimos Patres S. Germani à Pratis in noua operum Augustinensium editione, quam Parisijs singulari studio, atque labore moliantur, memoratos S. Doctoris libros nitidiores emissuros. Gratias inter plurimas sapientissimi, atque eruditissimi Antistitis Suaresij industriæ debemus, & ego quidem quàm maximas ago, quòd è Græcis codicibus Augustiniana illa testimonia omnium primus Reipublicæ Christianæ exhibens insulsam quorundam hæsitacionem, quæ eosdem remorabatur, ne tam insigne, ac præclarum opus Augustino authori deputarent, penitus profligauit, atque eximiam animi deuotionem erga Magnum Ecclesiæ Doctorem ostendit. Idem autem in dissertatione priori scribit, se meditari exactiorem operum S. Augustini chronologiam. Ego quidem, quòd ad libros contra Pelagianos editos pertinet, arbitror me id sedulò præstitisse. Quòd si in hoc

mea me fallit opinio, idem opus diligentiori ille cura retinet, nostramque Chronologiam non lima poliat, sed ad incudem rara, ac singulari, qua pollet eruditione, reformet.



CAPVT II.

Cassianus à Semipelagianismo infeliciter à nonnullis vindicatus. Massilienses Semipelagiani à quibusdam iniuste excusati.

Nonnulli, queis S. Augustini doctrina contra Pelagianos tradita plene non probabatur, media veluti via incedentes Semipelagianismum condidere. Horum Princeps fuit Cassianus Massiliensis cœnobij Abbas, & Presbyter, qui collatione XIII., vt ait S. Prosper, ad instrumentum inimicorum gratie Dei studuit talem proferre doctrinam. Hinc factum est, vt S. Gelasius Papa in Romana Synodo ob praua de diuina gratia dogmata in illius Scriptoris opusculis contenta eiusdem libros omni prorsus authoritate exutos inter apocryphorum quisquilias proiecerit. Contra Cassiani librum Prosper singulari veluti certamine dimicauit in opere, quod contra Collatorem inscripsit, illius verò, ac concellitarum, seu sectatorum mores, ingenium, consilia, insidiasq; egregiè suis coloribus in præfatione, ac peroratione eius voluminis depinxit, de quibus lib. 2. hist. Pelagianæ cap. 10. differuimus. Cassiodorus lib. de diuinis instit. cap. 29. ait: Qui Cassianus tamen de libero arbitrio à B. Prospero iure culpatus est, unde monemus, vt in rebus talibus excedentem sub cautela legere debeat. Certè Synodus Arausicana II. Cassiani sententias contrarijs editis dogmatibus penitus proscripsit, vt ad oculum mox ostendam. Hinc coram Clemente VIII. olim quæsitum fuit ex professo, vt aiunt: An doctrina Molina conueniret cum damnatis sententijs Cassiani. At quæ in illis sessionibus dicta sunt, post Alexandri VII. decretum proferre minimè licet. Hoc certò constat, vtramque litigantium factionem palam admisisse, damnatas esse ab Ecclesia Cassiani opiniones de gratiæ diuinæ auxilijs, nec id à quopiam in dubium reuocatum.

At ante paucos annos editus est liber inscriptus S. Ioannes Cassianus illustratus auctore Ioanne Baptista Guesnaio Aquensi, cuius quidem voluminis errores alibi castigauimus, hoc verò loco patentissimum eiusdem figmentum refellendum venit. Scriptor ille lib. 1. cap. 52. narrat ortam fuisse Massiliæ Semipelagianorum hæresim, quos nequissimæ sectæ Doctores ibidem ignominia causa vocat. Addit Cassianum contra eosdem acerrimè inuectum: Cassianus ergo, inquit, cum perturbata videret omnia, & iam propè ad desperationem adducta, quod reliquum fuit, Catholico populo, profligatisq; ab hæresi ciuitatibus cauendum putauit. Item: Eò formidolosius superbissimorum aduersariorum conscientiam plenam spei maxime percellerat, atq; affligebat. Imò scribit Cassianum ea in concertatione cum Prospero copias iunxisse: Denique, ait, ipsa robora Ecclesia Gallicana Prosper, & Hilarius, quibus cum Massilia fuit Cassiano tum fortè consilium, & militia communis. At capite 64. quo prius volumen terminat, agens de libris Cassiani, quos contra Nestorium edidit, hæc habet: Cum verò hanc venenosam hæresim nuper, idest suo tempore emerissee, eamq; incerti nominis, sed certi erroris esse dicit Cassianus, manifestè designat, non Pelagianos, sed ipsorum reliquias, aut Semipelagianos, quos idcirco Pelagianos cineres appellat. Nunc, inquit, quod paulò austerius dicere cœpimus, exequemur, vt omnes sciant in Pelagianis cineribus ignes quærere te, & nouis sacrilegiorum flatibus fauillas veteres excitare. Qua mihi videntur idoneæ

conis-

coniectura ad probandum, spectasse in primis Cassianum in hac contra Nestorianos disputatione, in tantis tenebris erroris, & inscitia Semipelagianorum præferre clarissimum lumen, ac bonæ cuiusuis voluntatis etiam primæ exordia in nostræ iustificationis exordio diuinæ gratiæ auxilijs adscribere. Hæc ille pagina 220.

Hic Scriptor, cum Cassianum sibi illustrandum proposuisset, simulque animaduertent, quantum notoris amitteret, si cum Semipelagianis censeretur, lepidam illam de eodem fabulam (cur enim alio nomine vtar?) concinnauit. Etenim lib. 1. cap. 39. num. 39. ingenuè concesserat, quòd Pelagianismi suspicio Cassiano obiecta salutiferam illam in dies latius inclarescentem infuscavit lucem, ac nominis, quam neq; captaret vir modestissimus, neq; defenderet, obscurarit auctoritatem. Quòd ergo hæc à Cassiano tenebras repelleret, non modò inter Semipelagianos illum militasse negauit, verum etiam contra Semipelagianos strenuè depugnasse pronunciauit, & quod mirabile est, Prospero, Hilarioq; secum foedere iunctis. Hoc sanè vltimum sine risu legi non potest; nemo enim non ignorat, S. Prosperum collato veluti pede cum Cassiano pro D. Augustini doctrina singulari certamine conflixisse in eo opere, quod contra Collatorem inscripsit, quia Cassiani collationes Pelagianis erroribus infectas impugnabat. Ille sanè post prologum palam protestatur, se scribere contra librum, cuius prænotatio est de Protectione Dei, qui planè est titulus collationis XIII. Cassiani. In sequentibus verò prauas eiusdem opiniones de diuina gratia ad verbum recitat, ac neruòse confutat, hæc in fine subiungens: Sufficenter, vt arbitror demonstratum est, reprehenses S. Augustini, & vana obijcere, & recta impugnare, & praua defendere, peremptorumq; armis intestinum bellum mouentes diuinis, atque humanis constitutionibus rebellare. Ergo teste Prospero Cassianus reprehensor S. Augustini & vana obiecit, & recta impugnavit, ac Pelagianorum armis bellum ciuile apud Massiliam inter Catholicos conflauit. Et tamen, si superis placet, Prospero, & Cassiano contra Semipelagianos, Guesnaio auctore, fuit consilium, ac militia communis. Commilitones publicat, quos dicere debuerat Antagonistas. Quæ tamen si credis, iam alter quoq; tibi persuadebit Dauidem, ac Goliath in arenam ad certandum vti commilitones descendisse. Quod verò addit, Semipelagianos dici à Cassiano Pelagianos cineres, Scriptoris illius sensum se non percepisse vel saltem dissimulasse, demonstrat; eo enim infami vocabulo Nestorianos, qui ex Pelagianis prodire, significat. Vnde & Prosper hæresim Pelagianam matrem, Nestorianam verò filiam lepidè appellauit, quas eodem etiam sepulchro tumulatas inscripto epitaphio irrisit, vt diximus in lib. 2. hist. Pelag. cap. 9. Video eundem opponere: Cassianum in libris de Incarnatione aduersus Pelagianum quemdam Antiochenum Episcopum disputasse sicut & 6. & 7. lib. 6. capitibus & ex 31. capite libri vltimi manifestum est. Hinc nulla ratione Cassianum Pelagianis cineribus asperum existimat. Memoriam hominis malo appellare, quam fidem, neq; illum adeo fraudolento animo isthæc literis consignasse puto, vt tot figmenta Lectoribus consultò credenda obtruderet. Lege vtrumque caput ex libro 6. à te productum, videbis ex symbolo præcisè Antiocheno Nestorium à Cassiano erroris conuictum, quòd ille Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter fuerat, antequam renunciaretur Antistites G-P. Quare vbi Cassianus symbolum Antiochenum producit ad hæreticum redarguendum, fingis eundem contra nescio quem Episcopum

Z

Antio-

Antiochenum Pelagianum insurgere. Post exortam Pelagij hæresim federe Antiochiæ Alexander, Theodotus, & Ioannes, quorum nullus Pelagianorum deliria secutus fuit. Theodotus contra Pelagianos Synodum celebravit, ut ex Mercatore diximus lib. 2. hist. Pelag. cap. 4. Et licet huius successor Ioannes in Ephesina Synodo hæreticis patrocinari visus fuerit, eosdem tamen acriter infectatus est, de quo plura habes lib. eodem cap. 9. Ex qua ergo officina Pelagianus hic tibi Antiochenorum Antistes procuditur? Hæc scribit Cassianus cap. 6. *Symbolum ergo, hæretice, cuius superius textum diximus, licet omnium Ecclesiarum sit (quia una omnium fides) peculiare tamen Antiochenæ urbis est, atq; Ecclesiæ, idest, illius, in qua tu editus, in qua instructus, in qua renatus es. Quibus designat Nestorium Germaniciæ in Euphratesia prouincia natum, sed Antiochiæ sacris initiatum, vnde Episcopus C. Politanus euasit, quod pluribus describit Theodoretus in epistola ad Sporacium, & alibi. Sed neq; cap. 31. Cassianus quicquam de illo Episcopo recitat, ibi enim S. Ioannem Chrysostomum eximie laudat, cuius auctoritatem Nestorio opponit.*

Verum temporis iacturam facio: compendio agam aduersarij ipsius testimonio vsus. Scribit in præfatione ad Lectorem de Cassiani in materia de gratia opinionibus, quod illas S. Prosper IVRE REFELLIT, ET ERRORIS COARGVIT. Fuit ergo, te hoc ipsum asseuerante, S. Prosper Cassiani hostis, atq; expugnator. Vbi ergo, quam iactas, Prosperi, ac Cassiani contra Semipelagianos militia communis? Addis lib. 2. cap. 12. num. 8. *Liquet Prosperum ab Augustini zelo incalcescente commotorem præliari stylo velitationem esse aduersus Collatorem, & qua in deprehendis, consutandisq; EIVS ERRORIBVS efficacissima præualebat sagacitate &c. Grauior, crede mihi, pugna fuit Cassianum inter & Prosperum; neque enim hic contra aduersarium velites tantum emisit, sed vniuersum triariorum robur eduxit, ac plena acie dimicauit. Si tamen non pugnam, sed velitationem certamen illud vocare mauis, Prosperi robur, ac Cassiani debilem aciem fatere, qui vel sola velitantis Prosperi impressione facta, non loco tantum motus, sed fusus, ac dissipatus nec pugnam repetere, nec vires restaurare vnquam potuerit.*

Tradit tamen Guesnaius, pacem Prosperum inter, ac Cassianum stabilitam, & quidem sequestro Leone Magno tum temporis Archidiacono. Etenim lib. 1. cap. 55. num. 8. & 9. scribit Sixtum Pontificem, cum exortis inter Bonifacium, & Aëtium ciuilibus discordijs, itemq; Litorio ab eodem Aëtio dissidente, & huic ipsi & Albino grauius Valentiniano Augusto indignato, Romanum imperium passim à barbaris vastaretur, id consilij arripuisse, ut misso in Gallias Leone Archidiacono Apostolicæ Sedis legato Duces discordes ad amicitiam reuocaret, atq; in Valentiniani gratiam reduceret. Addit cap. 56. Leonem legatum plenissimis velis breui Massiliam secundo cursu peruenisse, ac ad Cassianum veterem suum consiliarium, & amicum diuertisse. Aderant, inquit num. 2. *Cassiani delatores Hilarius, & Prosper, qui cum Leonem salutationis officia præstituri conuenissent, & fortè fortuna Cassianus quoque adesset, testatur Legatum egisse, ut mutuis colloquijs, & vsu inter eos familiari congressos, discussis vtrò, citroque suspicionum tenebris vocaret in lucem, eosq; pacis interpret suis commotionibus ita placaret, ac leniret, ut omnes constituta concordia, quam ipse cum omnibus haberet communem, sine querela discederent. Nec irritam Leonis legationem*

fuisse,

fuisse, hæc enim de illo affirmat num. 4. *Nec temerè laudi eius adscripseris, quod nefarij consilij, ac furoris sui pœnitens Bonifacius reconciliata sibi Placidia Augusta cum Vandalis reditum in Hispaniam persuadere non posset, bello eos aggressus est, sed victus Romam venit anno 432. Hæc ille. Monui non semel præfertim lib. 2. hist. Pelag. cap. 1. hunc Scriptorem ex fabulosis tantum coniecturis Cassiani vitam consarcinatam edidisse, quibus non modò se ipsum, sed & quem laudare omni arte conatur, lectoribus deridendum exhibuit. Celebris Leonis Archidiaconi legatio contigit circa annum 439. Nam S. Prosper in Chronico ad annum 440. ait: *Valentiniano Aug. V. & Anatelio Coss. Defuncto Xysto Episcopo quadraginta amplius diebus Romana Ecclesia sine Antistite fuit mirabili pace, atq; patientia præsentiam Diaconi Leonis expectans, quem tunc inter Aëtium, & Albinum amicitias redintegrantem Gallia detinebant. Postea. Igitur Leo Diaconus legatione publica accitus, & gaudenti patriæ presentatus XXXXIII. Romane Ecclesiæ Episcopus ordinatur. Hic verò interrogatum velim Guesnaium, vnde sciuerit, Leone eo anno apud Massiliam existente, Cassianum adhuc in viuis fuisse, quem ante quadriennium mortem obiisse narrat Trithemius, & antea etiam defunctum Gennadius indicat? Quo authore adeo constanter affirmat tum temporis Prosperum Massiliæ procul à patria commoratum? erat enim Aquitanus. Illa igitur pax non Leonem sequestrum, sed Guesnaium architectum habuit. Imò Prosper cum non personam, sed vitia opinionum Cassiani infectaretur, nequaquam Cassiano conciliandus erat. Pacato animo noster Doctor strinxit in Collatorem stylum, & ad prælium descendit mente pacifica, nam cum profligato hoste ex acie in castra reuerteretur: *Nobis, inquit, Deo adiuuante sit studium quietæ, modestaq; patientia odijs dilectionem reddere. In fine libri contra Collatorem.***

Hunc quidem defensorem in Gallia Cassianus sortitus est, sed & alterum in Hispania aduocatum obtinuit. Ioannes Mariana lib. de mor. & immort. cap. 6. hæc scribit: *Videò, quæ à Cassiano dicta sunt, omnia de gratia certè, & libero arbitrio à viris eruditis nostra ætate defendi quasi pietati consona, neque deflexa à fidei regula sancta. Si Augustinus modò inter homines versaretur, profectò Cassiani forti inuideret, quippe qui suam de prædestinatione sententiam uti duram & diuina bonitate indignam reprehendi animaduertet, Collatoris verò dogmata laudari tanquam non deflexa à fidei regula sancta. Certum est Felicem IV. scriptis ad Cæsarium Arelatensem literis Semipelagianorum, ac Cassiani in primis errores Apostolica sententia condemnasse, eaq; decreta fuisse in Synodo apud Arausicam anno 529. publicata. Canone tertio, & quarto damnatur, qui inuocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri, itemq; qui, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit. Illa planè docuerat Cassianus collat. 13. cap. 13. dicens Deum quandoq; à nostro libero arbitrio quosdam conatus bonæ voluntatis vel exigere, vel expectare, ne penitus dormienti, aut inertis otio dissoluto sua dona conferre videatur. Et cap. 12. ait: *Expectat nos, cum dicitur per Prophetam: Propterea expectat nos Dominus, ut misereatur nostri. Canone V. damnatur, qui initium fidei, ipsumq; credulitatis affectum, quo in Deum credimus, qui iustificat impium &c. naturaliter nobis inesse dicit. Cassiani error proscribitur dicentis cap. 11. Sin' verò gratia Dei semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zachæi fide, quid de illius in cruce Latronis pietate dicemus, qui desiderio suo vim quandam regnis celestibus inferentes specialia uocationis**

Z 2

monita

monita praeuenerunt. Et cap. 14. ex modo loquendi Christi probat, fidem Cornelij Centurionis non fuisse ex gratiae dono, sed ex viribus liberi arbitrij: Nul-
 lus enim, inquit, laudis esset, ac meriti, si id in eo Christus, quod ipse donauerat, prae-
 tulisset. Alioquin dixisset: Amen dico vobis, non dedi tantam fidem in Israel. His
 contrarium definit laudata Synodus in fine: Vnde, inquit, manifestissime cre-
 dendum est, quod & illius Latronis, quem Dominus ad paradisi patriam reuocauit, &
 Cornelij Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachaei, qui ipsum Do-
 minum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed diuinae largi-
 tatis donum. Canone VI. damnat eum, qui sine gratia Dei credentibus, volentibus,
 desiderantibus &c. petentibus, quarentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit
 conferri diuinitus. Fuit celebre Cassiani effatum lib. 12. de instit. Coenobiorum
 cap. 14. vbi ait: Pronunciamus laborantibus tamen, ac desudantibus misericordiam
 Dei, gratiamque conferri &c. Dicimus enim secundum Saluatoris sententiam dari qui-
 dem petentibus, & aperiri pulsantibus, & a quarentibus inueniri, sed petitionem, &
 inquisitionem, & pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei id,
 quod petimus, dederit, vel aperuerit, quod pulsamus, vel illud, quod quærimus, fecerit
 inueniri. Praesto est namque occasione sibi tantummodo à nobis bonae voluntatis oblatæ,
 ad haec omnia conferenda. Ita petere, pulsare, quærare occasiones à nobismet
 viribus liberi arbitrij oblatas nuncupat. Canone VII. nihil boni sine gratia
 fieri posse determinatur, quæ sententia etiam canone XXII. his verbis asseri-
 tur: Nemo habet de suo nisi mendacium, & peccatum. Contrarium planè docue-
 rat Cassianus cap. 12. collationis citatæ: Nec enim, inquit, talem Deus homi-
 nem fecisse credendus est, qui nec velit unquam, nec possit bonum; alioquin nec liberum
 ei permisit arbitrium, si ei tantummodo malum ut velit, & possit, bonum verò à se-
 metipso nec velle, nec posse concessit. Canone VIII. Si quis, inquiunt Patres, alios
 misericordia, alios verò per liberum arbitrium (quod in omnibus, qui de praeuacatione
 primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum) ad gratiam baptismi posse venire conten-
 dit, à recta fide probatur alienus. Damnatur hic famosum illud Cassiani effatum
 cap. 17. Deum aliorum esse Saluatorem, aliorum etiam susceptorem: In eo
 enim, inquit, quod prior aduocat, & ignorantes nos, atque inuitos attrahit ad salutem
 protector, atque Saluator noster est. In eo autem, quod annitentibus nobis opem ferre, re-
 fugientesque suscipere, ac munire consuevit, susceptor, ac refugium nominatur. Contra
 quam Collatoris distinctionem pluribus inuehitur S. Prosper. Post hosce verò
 octo canones, quibus diuersi Semipelagianorum errores configuntur, pluri-
 mæ sententiæ ad verbum ex S. Augustini libris exscriptæ adiunguntur, de qui-
 bus in historia Pelagiana differuimus; sufficiat hic illa tantum adduxisse, qui-
 bus Cassiani doctrina palam damnata esse intelligatur, ut iam penitus falsum
 sit, quod Mariana ex aliorum fortè sententia dixit, Cassiani dogmata de gra-
 tia, & libero arbitrio non esse destituta à fidei regula sancta; sunt enim citra vllam
 dubitationem hæretica post Arausiana decreta.

Sed Masilienses quoque Semipelagiani Ioannis Cassiani, qui Masiliæ
 confederat, discipuli, ac sectatores egregium aduocatum sortiti sunt Roderi-
 cum de Arriaga, qui eosdem ex ignorantia inuincibili in errores lapsos asseruit,
 cuius verba præcedere debet testimonium S. Prosperi de Masiliensibus ijs-
 dem loquentis, quod Recentior ille præpostera prorsus explicatione interpre-
 tatur. Hæc Aquitanus Doctor ad suum Augustinum scripsit: Illud etiam quali-

ter

ter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demones, quod retractatis
 priorum de hac re opinionibus, penè omnium par inuenitur, & una sententia, qua
 propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt. Arriaga tomo
 1. in 1. partem disp. 36. num. 11. hocce scholion laudatis Prosperi verbis af-
 figit: Nominè priorum, & antiquiorum, de quibus Prosper, non intelligi Sanctos Pa-
 tres, sed Masilienses aliquos Episcopos, & viros moribus, & pietate insignes inuincibiliter
 tamen, ut puto de multis, Semipelagianos. Quot verba, tot errata. In pri-
 mis falsum est, nominè priorum non intelligi Sanctos Patres, quod ipsemet An-
 natus irridens disp. 4. defens. scient. med. num. 80. exclamauit: Appellanda est
 aduersarij fides, qui quod Prosper Catholicis scriptoribus attribuit, dictum putat de Se-
 mipelagianis. Perspicua sunt Prosperi verba. Semipelagiani suas opiniones, te-
 ste Prospero, vetustate defendebant, dictitantes Augustinum noua docere, ac
 Patribus inaudita. Hoc pacto Prosperi dictum intellexit Augustinus lib. de
 prædest. SS. cap. 14. inquit: Si huius ergo sententiæ defensionem ex diuinorum elo-
 quiorum nos præCEDENTIBVS CATHOLICIS TRACTATORIBVS prome-
 rem, profectò hi fratres, pro quibus nunc agimus, acquiescerent, hoc enim significastis li-
 teris vestris. Alterum Arriagæ erratum capitale est, dum suos hosce Mas-
 silienses Episcopos excusare conatus, eos inuincibiliter Semipelagianos finxit.
 Clara, ac perspicua sunt Prosperi verba in laudata epistola: Obstationem suam
 vetustate defendunt. Cum Masiliæ lites de diuina gratia, ac libero arbitrio in-
 crudescerent, nonnullis Augustino, pluribus Cassiano fauentibus, allatus est
 Masiliam liber S. Doctoris de correptione, & gratia. Tunc putauimus, inquit
 Prosper, omnes querelas resistentium sopiendas, quia vniuersis quaestionibus, de qui-
 bus consulenda erat Sanctitas tua, tam plenè illic, absolutèque responsum est, quasi hoc
 specialiter studueris, ut quæ apud nos erant turbata, componeres. Porro hoc libro
 recensito sicuti Augustiniani longè, ut idem ait intelligentiores euasere, ita qui
 persuasionis suæ impediabantur obscuro, auersiores, quàm fuerant, receperunt. Cum ve-
 rò ex Augustini doctrina illorum errores Prosper, ac collegæ vellicarent, ob-
 stationem suam vetustate defendebant. Addit: Eò postremò, peruicacia tota descen-
 dit. Itane qui illata ex Augustini libro plurima luce oculos obstinatissimè clau-
 dunt, ne videant, qui obstinati, & peruicaces in opinionibus suis perdurant,
 qui Prosperi, atque Hilarij disputationes audiunt, inuincibiliter verum igno-
 rasse dicentur? Audi Prosperum hæc ad Augustinum scribentem: Cum contra
 eos scripta beatitudinis tuæ validissimis, & innumeris testimonijs diuinarum Scriptu-
 rarum instructa proferimus, ac secundum formam disputationum tuarum aliquid etiam
 ipsi, quo concludantur, adstruimus, obstationem suam vetustate defendunt. Et hos
 tot disputationibus instructos, tot Augustini libris edoctos inuincibili igno-
 rantia laborasse autumabis? Semipelagianos bona ingenia dixit Augustinus cap.
 20. de prædest. SS. nec despicienda ingenia Prosper initio libri contra Collato-
 rem. Fuere viri doctissimi, & sapientissimi Cassianus, Hilarius, Faustus, Vin-
 centius Lerinensis, alijque, ut in Pelagiana historia dictum est. Et hæc quidem
 in vna Prosperi periodo explicanda Arriagæ errata sunt. Franciscus Ouidio
 1. 2. tract. 9. contr. 1. pun. 4. num. 76. illa verba Prosperi, retractatis priorum
 de hac re opinionibus ita interpretatur: Quibus verbis, ait, asserit Prosper, iam plures
 ex Masiliensibus priores opiniones retractasse. Non ita est: scribit Prosper, retra-
 ctatis, hoc est, relectis, seu recensitis Patrum opinionibus, vnam ex Semipela-
 giano-

gianorum opinione omnium sententiam repertam, nempe prædestinationem præscientia dirigi. Profecit dixisset Prosper: *Retractatis prioribus de hac re opinionibus*, si vt perperam Ouviedo intellexit, *Massilienses priores opiniones retractassent*. Verùm *Retractatis*, inquit, *priorum de hac re opinionibus*, neque enim illi maiorum suorum Semipelagianantium opiniones retractare poterant, cum eo tantum tempore Semipelagiani in Gallijs primitus apparuerint. Imò si verbum illud ita accipiendum esset, quasi Massilienses prioris opinionis palinodiam cecinissent, non asseruisset Prosper, iam plures ex *Massiliensibus*, vt perperam Ouviedus accepit, sed omnes priores opiniones retractasse, nam apertè ait. *Retractatis priorum de hac re opinionibus*, penè OMNIUM par inuenitur, & una sententia, qua propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt.

CAPUT III.

Faustus alter Semi-Pelagianorum Princeps defenditur à Recentioribus, Sancti Patres Fausti damnatores ab eisdem improbat, & hæreseos falso accusati.

Semipelagianæ Reipublicæ principatum post Cassianum tenuit Faustus ex Abbate Lerinense Reiensis Episcopus, de quo plura in Pelagiana Historia. At Recentiores, qui pro Origene Pelagiani erroris Principe, ita illum dixit Hieronymus, apologias cudere ausi sunt, Faustum etiam Semipelagianorum antesignanum vt ait Petauus tomo 1. dogmatum Theol. lib. 9. cap. 2. *Semipelagianorum Corypheum*, vt illum nuncupauit Baronius tomo 6. ad annum 490. totis viribus defendere conati sunt. Iacobus Sirmondus de Ecclesiastica antiquitate benemeritus effœta atate sociorum litigijs sese immiscens pro Fausto in historia Prædestinatiana apologiam satis prolixam concinnauit, hæc statim cap. 3. præfatus: *Admonet, hoc loco studium veritatis, amorque innocentie, vt Fausti Reiensis vicem doleamus, sanctoque, & clari nominis Antistitis reuerentiam, quæ fas est, deprecemur &c. Faustum hunc, inquam, quis æquo animo ferat, librorum nuncistorum nomine, quod Prædestinatorum in his errores ex Synodi sententia refellerit, vexari passim à multis, traduci que tanquam hereticum? Idque authore, quod dissimulare non possunt, ac duce Ioanne Maxentio Scythæ Monacho ex eorum numero, qui Eutychis hæresim clam fouentes Synodum Chalcedonensem aduersus Hormisdam, eiusque Legatos occultis artibus impetebant. Doluit quoque Sirmondi sodalem Ludouicum Cellorium, ultra meritum modò Faustum ab aduersarijs vexari. Lib. 2. hist. Gotteschalci cap. 4. S. vnico, vbi Ioannes Maxentius Eutychianus, & Monachorum Eutychianorum Patronus ignominie causa dicitur. Quid de Fausti doctrina, & sanctitate dicendum sit in historia Pelagiana nobis descripta abundè patet; neque enim ex morum integritate doctrinæ veritas adstruitur, neque ex doctrinæ erroribus morum sanctitas vexanda est, in quo plerique excessere. Sirmondus veritate cogente fatetur, quod Faustus circa initium fidei, & alia plus aliquanto tribuere, visus est, quam par erat. Noluit dicere, tribuisse, sed usum tribuere, cum tamen id sole clarius sit, additque ita illum sapuisse, quando ita loqui fas fuit. Quod sanè verisimum puto. Nimio tamen bonus ille senex erga suum Faustum studio abreptus Sanctorum Patrum, & antiquorum testimonia, qui-*

bus

bis Fausti autoritas penitus deprimitur, partim negat, partim arguit, vt pluribus hominis apologia nobis hic reijcienda sit. Vti verò Petrus Halloix supra deiecta Patrum capita suum Originem Pelagiani erroris Principem attollere tentauit, ac Synodum V. mille diebus impetijt; ita etiam Sirmondus Semipelagianorum Principem Faustum propugnans Patrum iudicia explorat, ac Præsulum sanctissimorum Synodum in suspensionem hæreseos vocare non dubitauit.

Itaque ille in primis Ioannem Maxentium carpit, vocans eundem hominem amentem, eiusdem in Faustum obiectiones fallaces. At non hoc fuit sapientissimorum de Maxentio iudicium. S. Fulgentius initio libri 1. de veritate prædestinationis, & gratiæ ita Ioannem Maxentium, eiusque syncellitam Venerium alloquitur: *Deo gratias ago, sancti fratres Ioannes Presbyter, & Veneri Diacone, cuius ope tales estis, vt pro gratia, qua saluamur, magno spiritu, & seruore certetis. Et Synodus sanctorum Episcoporum pro fidei defensione apud Sardiniam exulantium eiusdem Maxentij, ac sociorum fidem commendauit. Cardinalis Bellarminus in libro de Script. Eccles. ad annum 520. ait: Ioannes Maxentius Faustum, & Pelagianos egregiè refellit ex libris S. Augustini. Veniat huic suppar Cardinalis Baronius, qui tomo 6. ad annum 490. hæc scripsit: Quinam autem Cardinalis Baronius, qui tomo 6. ad annum 490. hæc scripsit: Quinam autem colligantur ex Fausti duobus libris illis errores scriptis S. Augustini, & sententiæ Catholicæ aduersantes, tu vide illos collectos à Maxentio in responsione ad Hormisdam Pontificem, vbi in pluribus Faustus declaratur hereticus. At clamat Sirmondus: Maxentij porro in Faustum obiectiones fallaces, & minimè sinceræ multorum iudicio habitas esse quis nescit? Quinam sint isti multi, non insinuat, certè illorum multorum iudicio insignes illis purpurati non steterunt. Multos dixit, qui nec pauci fuerunt, sed vix vnus, & alter. Audiat Sirmondus summos suæ Societatis Theologos, quibus, vbi de Theologica re disputatio sit, & ipse summus historicus assurgat. Franciscus Suarez proleg. 5. de grat. cap. 5. S. De Fausto, hæc scribit: Maxime verò contra illos libros Fausti inuehitur Ioannes Maxentius in responsione ad epistolam Hormisdæ Papæ ad Possessorem sub finem, vbi assumit onus probandi illos libros esse hereticos, idque latè ostendit eo fere modo, quo nos statim idem præstabimus. Magnus vir in Fausto oppugnando Maxentij vestigijs inhæsit. Gabriel Vasquez & ipse pro Maxentio testimonium dicit 1. 2. disp. 199. cap. 3. Sententia Petri, & Ioannis Maxentij tam in materia de gratia, & libero arbitrio, quam in dam-nandis libris Fausti magni momenti esse debet. Sed haud opus habet Maxentius villo suffragio, neque enim ipse inibi argumenta quædam contra Faustum effingit, vnde minùs sinceræ, & fallaces eiusdem contra Faustum obiectiones dici possint, sed per antithesim testimonia S. Augustini, & Fausti hinc inde producit, vt cum in breui, inquit Maxentius, collata ad inuicem contraria sibi reperita fuerint, euidenter clareat libros Fausti esse hereticos. Qui verò Faustum eadem cum Augustino docuisse contenderet, procul hinc Anticyras ablegandus esset. Sed non vnus, neque primus Fausti libros Maxentius damnauit, nam superioris sæculo, vt dicemus, S. Gelasius Papa eosdem proscripserat, & Synodus Africanorum Patrum apud Sardiniam in epistola ad eundem Maxentium, Archimandritam, quam primus ipse Sirmondus, nondum apologiam pro Fausto meditatus, in lucem emisit, pronunciauit memorati Fausti commenta veritati contraria, Catholicæ fidei penitus inimica. Cap. 18.*

Quid

Quid hic ager eruditus apologeta? quod euadet? quem clypeum Africano rebo obijciat? Illæ Synodi censuram nè pili quidem fecit, hæc ipsa vociferatus: *Difficile non erat, ab Afris id sperare, apud quos nata, ut dictum est, Prædestinatianorum hæresis in multorum adhuc mentibus hærebat.* O dictum non ferendum! Ne Faustii liber hæreseos incusetur, hæreticos audes appellare Episcopos Africanos, qui pro tuenda fide à Trasamundo Ariano in exilium eiectione fuerant? ut hominem liberes, integrum doctissimorum, ac sapientissimorum Patrum Senatuum damnas? ne Fausto erroris nota inuratur, vniuersa Africa Catholica in hæresis suspitionem adducitur? Olim quidem viuente Augustino nonnulli Adrumetini Monachi plus iusto, vt scribis, gratiæ tribuere, sed intra illorum claustra vix natus error Augustini opera extinctus fuit, & si qui postea ea vesania, morboq; correpti fuere, è plebe, non ex Episcopis illis sanctissimis, ac doctissimis fuisse dicendi sunt, ad quos veluti ad oracula ex vniuerso Orbe literæ consultantium volitabant. Illi quidem de S. Fulgentio hæc scripsere: *Aduersus duos libros Faustii Galli septem libros edidit, quos cum recensueritis, agnoscetis protinus, quemadmodum memorati Galli commenta veritati contraria, Catholice fidei penitus inimica, discussio prodidit, ratio manifesta conuicit, autoritas diuina compressit, & præcedentium Patrum consona prorsus attestatio confutauit.* Quid de isto Fulgentio dices Sirmonde, itane Prædestinatiana illum quoq; peste afflatum asseuerabis? Hic Faustii dogmata probauit esse *veritati contraria, Catholice fidei penitus inimica.* Ille tamen Fulgentius Monimum amicum à Prædestinatiano errore, in quem inclinabat, reuocauit integro ea de re eidem inscripto volumine. At si Fulgentium absoluis, & socij etiam Episcopi omni prorsus Prædestinatianæ hæresis suspitione tibi liberandi sunt, qui non iam mea aduocatione indigent, sed temet falsitatis conuincunt in ea ipsa epistola, quam ipse posteris publicasti. Prædestinatianorum, vt ex Arauficano contendis, effatum erat: *Aliquos ad malum diuina potestate prædestinatos esse.* Hanc verò hæresim Patres Africani Faustii damnatores cap. 11. laudatæ epistolæ his reijciunt: *Cum in utroq; vase faciendo figuli cognouerit potestatem, in vase honoris indebitam gratiam Dei miserantis intelligat, & in vase contumeliæ debitum iudicium Dei obdurantis, id est deserentis agnoscat. Deus autem obdurare dicitur, non quia ad iniquitatem compellit, sed cum ab iniquitate non eripit, quod, quia iustus est, iuste facit.* Damnant clarè, sinè fuco, euidentissimè dicentes, *Deum ad iniquitatem compellere.* Et hos Iudices Prædestinatiani erroris damnatores Prædestinatianæ hæreseos Sirmondus infimulat?

Pergit idem Faustum defendere. *Callidum, inquit, præterea, & subdolum Faustii sermonem aiunt fuisse, Pelagianæ prauitati consentientem, detectum, conuictumq; à Fulgentio, ab Auito, & ab alijs.* Quid hic aptius, veriusq; pro Fausto responderi queat, quam solemne illud Faustii ipsius, non ita est. Negat Faustum callidum, ac subdolum fuisse, Pelagianæ prauitati consentientem, & à Fulgentio conuictum. Oppono restem locupletissimum, antiquissimum Ecclesiæ Patrem S. Isidorum hæc in catalogo Illustr. Script. cap. 14. de Fulgentio narrantem: *Scriptis multa, ex quibus legimus de gratia Dei, & libero arbitrio libros responsionum septem, in quibus Fausto Gallie Regiensi Urbis Episcopo Pelagianæ prauitati consentienti respondens, obnititur eius profundam destruere calliditatem.* Socium amicè mouentem Vasquium submitto: *Cum verò, inquit, Isidorus vir doctus, & anti-*
quus

quus dicat Fulgentium septem libros illos contra Faustum de gratia, & libero arbitrio scripsisse, quis audeat dicere, eum ex suo cerebro, aut sine fundamento id excogitasse? Disput. cit. num. 14. Habes ex Isidoro Faustii profundam calliditatem, eundem Pelagianis consentientem, conuictumque à Fulgentio. At reclamat, non extare libros Fulgentij. Extat tamen, qui eosdem legit, Isidori testimonium. Forsitan in ea sententia Sirmondus fuit, vt existimarit, à Prædestinatiano quopiam septem eos contra Faustum libros sub Fulgentij nomine emisso? At de viro tantæ eruditionis hæc commenta suspicari non licet. Interim audiatur testis non modò Fulgentij coætaneus, sed Syncellus, qui eiusdem Episcopi gesta literis mandauit; hæc de magistro tradit: *Ita erat notior omnibus gentibus, vt duo libri, quos Faustus Episcopus Galliarum contra gratiam subdolo sermone composuit, fauens occultè Pelagianis, sed Catholicus tamen videri volens, Constantinopoli offensi à pluribus fratribus ad B. Fulgentium probandum dirigerentur, quibus, ne occultum serperet virus, septem libris ipse respondit, plus laborans exponere, quam conuincere; quia dubios sermones eius exponere, hoc erat, delirantis argumenta conuincere.* Magnus planè huius operis labor mercedem debitam citò suscepit. Lib. de vita Fulgentij cap. 28. Habes Faustum subdoli sermonis, occultè Pelagianis fauentem, & delirantem, ac septem insuper libris à Fulgentio confutatum. Planè Isidoro consonat Fulgentij Syncellus. Sed & Synodus Sardinienfis, cuius magna pars Fulgentius erat, in literis Synodicis superius productis ait: *Vnus ex nobis &c. aduersus duos libros Faustii Galli septem libros edidit.* Nolo repetere quæ sequuntur, ne Lectori fastidium ingeram. Dum in his versor, subit animum grauis illa exprobatio, qua olim S. Doctor contra Iulianum vsus fuit lib. 1. cap. 7. vbi ait: *Mallem sicut Polemo luxuriæ coronis sensim capite detractis, eisq; abiectis, manum pallio subdidit, os, & vultum formauit ad verecundiam, ad extremum se illi, ad quem deridendum venerat, discipulum tradidit, sic & tu loquentibus tibi tot venerabilibus viris &c. tanquam coronas ebriosorum abijceres laudes Pelagianorum, quibus tanquam magnus eorum defensor extolleris, & stylum, vt mitius dixerim, contumeliosum non tanquam pallio pudoris absconderes, sed tanquam manu emendatiore confringeres.*

Sed quale Apostolicæ Sedis de Faustii libris iudicium fuerit, videndum est, ac Sirmondi apologia confutanda. In Romana Synodo coram S. Gelasio Papa celebrata, actum est de libris recipiendis, abijciendisq; porro inter libros à Romana Ecclesia reiectos libri Faustii Reiensis recensiti sunt, iidemque hæc sententia confixi: *Opuscula Faustii Rhegiensis Galliarum apocrypha.* Cum verò sequenti sæculo de eisdem libris S. Hormisdas à Possessore Episcopo consultus fuisset, hocce responsum dedit: *Hi verò, inquit, quos vos de Faustii cuiusdam Galli Antistitis dictis consuluisse literis indicastis, id sibi responsum habeant, neque illum recipi, neque quemquam, quos in auctoritatem Patrum non recipit examen Catholice fidei, aut Ecclesiastica Disciplina, ambiguitatem posse gignere, aut religiosi præiudicium comparare.* Legit ista Sirmondus, & non modò probauit, verum etiam vt eadem prorsus ratione de Faustii libris cæteri iudicarent, optauit; hæc enim scribit: *Si de Faustii libris decernendum est, nè supra Sedem Apostolicam, Gelasiumque, & Hormisdam sapere velint, quibus satis fuit non primæ illos auctoritatis, hoc est apocryphos dicere, non hæreticos.* Quid ais Sirmonde? Faustii libros non esse dicendos hæreticos? Quid de Synodi Arauficanæ decretis à Romano Pontifice



dictatis sentiendum putas? His certe, vt tu quoque fateris, Semipelagianorum errores damnantur, & præcipuè Fausti Semipelagianorum Coryphæi, qui te quoque teste, circa initium fidei, & alia plus aliquanto tribuere visus est, quam par erat. Ita ne verò libros continentes errores à Synodis, & Romana Sede damnatos hæreticos negabis? At illud etiam interpretamentum, quo libros illos apocryphos hoc est non primæ authoritatis pronunciatos esse dicis, quàm falsum sit, nemo non videat. Gelasius hoc nigrum theta Hæresiarcharum libris præfigit: *Opuscula Iouiniani, & Galli apocrypha. Opuscula Montani, Priscille, & Maximille apocrypha. Opuscula omnia Fausti Manichæis apocrypha.* Et post nonnullos alios eodem prorsus modo Faustum damnans ait: *Opuscula Fausti Rhegiensis Galliarum apocrypha.* Quare Sirmondo interprete Montani, Fausti Manichæi, ac Iouiniani libri non erunt hæretici, sed tantum non primæ authoritatis. Cauendum ne vnà cum Fausto pessimi etiã Hæretici excusentur. Gelasius antequam indicem illum librorum, quos Ecclesia rejicit, contexat, ante catalogum librorum damnatorum hæc præfatur: *Cætera, quæ ab hæreticis, siue Schismaticis conscripta, vel prædicata sunt, nullatenus recipit Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia, è quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, & à Catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda.* Et statim incipiens à Conciliabulo Ariminensi à Constantio Ariano congregato damnatorum librorum indicem subnectit, quos inter Fausti Reiensis opuscula numerat, quæ Gelasio iudicante, nullatenus recipit Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia, & à Catholicis vitanda sunt. Hocine est non primæ, an potius nullius esse authoritatis? Scio apocryphos eos libros censerit, qui incerti authoris sunt, aut nondum authoritate Ecclesiæ confirmati, sed ibi Pontifex eo nomine illos libros etiam damnat, qui rectam aliàs doctrinam immistis erroribus deturpant. Sed neque mitius Hormisdas de Fausti libris iudicauit; nam apertè statuit Faustum non recipi in numerum Patrum, quos vt magistros sanæ doctrinæ Orthodoxi venerantur. Scribit ab Ecclesia librorum recipiendorum numerum statutum; at de quibusdam alijs censet, legi posse, vt fugiantur illorum errores: *Nec vitio, inquit, dari potest, nosse quod fugias, atque adeo non legentes incongrua in culpam veniunt, sed sequentes.* His Faustum adnumerat dicens, quòd illum in authoritatem Patrum non recipit examen Catholice fidei. Errat igitur, teste Hormisdas, Faustus circa fidem. Quare Pontifex reprobato Fausto ex S. Augustini libris ad Hilarium, & Prosperum, Ecclesiæ doctrinam de gratia, & libero arbitrio petendam dixit, quòd Catholicum gregem à noxijs pascuis ad saluberrima praua reuocaret.

Hucusque dicta in summam redigo. Fausti vicem dolet Sirmondus, quòd traducatur tanquam hæreticus. At nos de Sirmondo querimus, quòd Sanctos Patres Africanos Prædestinatianæ hæresis insimulauit. Idem Maxentij contra Faustum obiectiones non sinceræ, & fallaces accusat. At Bellarminus egregiè Faustum à Maxentio confutatum testatur. Sirmondus cum Iappero nec sine honore Catholice Ecclesiæ Doctorem Faustum nominat. At S. Hormisdas Papa scribit, quòd Faustum in authoritatem Patrum non recipit examen Catholice fidei. Idem libros Fausti non primæ authoritatis tantum declaratos esse contendit. At in illis Faustum subdoli sermonis, Pelagianis consentientem, delirantem, Catholice fidei penitus inimica docentem veteris Ecclesiæ Scriptores, ac Patres iudicarunt.

Quare

Quare iure optimo Cardinalis Baronius tomo 6. ad annum 490. hæc scripsit: *Non est quidem, vt pro Fausto aliqua possit in eius defensionem, vel excusationem apologia elaborari, quem constat in diuerso Orbe Catholico impugnatum. Etenim in Occidente Casarius, & Auitus doctissimi, atque sanctissimi in Gallia Episcopi aduersarijs eum scriptis exagitauerunt; Eundemque in Africa S. Fulgentius Ruspensis Episcopus septem libris vehementissimè impugnavit &c. Sed qui præstant his omnibus Felix, atque Gelasius Romani Pontifices eadem Fausti scripta reiecerunt, vt planè conuersum Occidentem Orbem in eosdem Fausti libros insurrexissent, eosdemque oppugnasse certum sit. In Oriente verò non vnus dumtaxat, quem refert Ado, Ioannes Presbyter Antiochenus eos Fausti libros refellit, sed Orthodoxi ferè omnes. Hæc quidem fusiùs in historia Pelagiana profecuti sumus. In eadem Baronij sententiam Vasquez pedibus iuit in laudata disputatione 199. num. 15. scribens: *Ecce iam scripta Fausti de gratia, & libero arbitrio in Gallijs, in Oriente, & in Africa tanquam vera fidei dissentanea improbata, & notata, vt deinde nullus audeat apologiam pro Fausto contra communem sensum Patrum elaborare.* Verum illam elaborauit Iacobus Sirmondus, quòd Prædestinatianæ hæresis oppugnatori aliquid auctoritatis adderet. Faustus tamen totus quantus est, Semipelagianus apparet, vt etiam Arnobius, Gennadius, alijque antiquiores, qui S. Augustini sententiam de gratuita prædestinatione insectantes, Prædestinatianorum nomine eandem infamare conati sunt.*

CAPVT IV.

Gennadius Massiliensis Semi-Pelagianus à Recentioribus excusatur.

Post Cassianum, eiusq; doctrinam de gratia, & libero arbitrio vt non deflexam à fidei regula Sancta commendatam: post Fausti libros non hæreticos defensos, quos tamen Semipelagianorum Magistros fuisse clariùs constat, quàm vt vllis quoruncumque hominum præstigijs eludi possit: post Massilienses ob ignorantiam inuincibilem excusatos, tertius Semipelagianæ scholæ professor à Recentioribus defenditur Gennadius Massiliensis. Hunc fuisse Semipelagianum lib. 2. historiæ Pelagianæ cap. 16. ostendimus, cuius dicti duos hic tantum testes aduocabo omni exceptione maiores, Baronium, & Bellarminum. Ille tomo 4. ad annum 388. ait: *Hæc Gennadius, qui erga Pelagianos propensior tribuit falsus author Euagrii signa, atq; prodigia. Iste vero lib. de Script. Eccl. V. Gennadius ait: Scripsit etiam librum de viris illustribus, in quo suspicionem non paruum reliquit suæ non rectæ fidei; laudauit enim Cassianum, & Faustum, qui Semipelagiani fuerunt, & S. Prosperum depressit, qui pro gratia Dei contra Pelagianum fortissimè dimicauit.* Fausti certè Semipelagiani volumen de gratia, & libero arbitrio ab Ecclesia, & Patribus damnatum vocauit opus egregium. Idem dogmata de gratia à Cassiano concinnata, tanquam salutaria probata esse Ecclesiæ pronunciauit. Hieronymum vocat obtrectatorem, & æmulationis stimulis incitatum. Addit Augustinum, quòd multa scripsit, errasse, quæ diffusiùs loco citato profecuti sumus. Caterum & hic Semipelagianus eximium Patrum fortitus est. Te-ne appellabo, Recentiorum sapientissime, qui cum summa doctrina summa quoque modestia coniuncta, Sanctis Patribus, ac Augusti-

no præsertim honorem semper detulisti, nec tibi contra eundem, licet tam multa scriberes, verbum vllum vnquam minùs Augustino honorificum excidit? Tua erga Augustinum reuerentiæ detur, ne in hæc inuidiæ, vt obijcient, plena designato nomine conijciaris. Hic proleg. 5. de grat. cap. 5. num. 36. Semipelagianismi notam procul à Gennadio pluribus amouere conatus concludit: *Fieri ergo potest, vt ea, quæ de Cassiano, & Fausto scripsit non per errorem in doctrina, sed per ignorantiam facti dixerit.* Annatus verò lib. 7. sui Aug. cap. 2. §. 1. *Ego verò, inquit, non excuso, nec probo, quod de illo dicitur, animi propensionem habuisse nimiam erga defensores Semipelagianismi, & ab eius impugnatoribus Augustino, & Prospero auersionem.* Itane, quod de illo dicitur, inquis? quasi id incerta fama vulgauerit, & non potiùs hoc ipsum suis in scriptis clarè ostenderit, quæ tu quoque legisti, certè legere debuisti, de diuina gratia scripturus.

Cum Cassianus, ac collegæ Mafsilienfes Augustini doctrinam carperent, Prosper, & Hilarius ex Gallia Romam profecti, rem Pontifici Celestino detulere, qui de Augustini fama sollicitus literas statim ad Galliæ Episcopos dedit, in quibus dolere se significauit, quòd nescio quibus Presbyteris illic impunè liceret, Augustino erroris notam inurere. Cap. 1. Ibidem etiam Prosperum, & Hilarium commendat, quorum, inquit, circa Deum sollicitudo laudanda est. Capite verò 2. quod & vltimum illius epistolæ est, quicquid alij vulgò arbitrati sint, eximia laudum assertione S. Augustinum exornat, dicens contra eiusdem calumniatores: *Vnde resistendum talibus, quos malè crescere videmus.* Qui igitur fieri potuit, vt Gennadius & ipse Mafsilienfis, qui eodem sæculo paulò post Prosperum floruit, hoc celebre Celestini decretum ignorauerit? Sanè S. Prosper initio libri contra Collatorem protestatur, se scribere contra Cassianum, quem licet non nomet, ex libro eiusdem, quem sibi impugnandum dicit, euidenter illum designat. At cap. 42. asserit à Celestino Pontifice Cassianum cum socijs acriter reprehensum fuisse: *Per hunc virum inquit, nempe Celestinum, intra Gallias istis ipsis, qui Sanctæ mem. Augustini scripta reprehendunt, maleloquentiæ est adempta libertas, quando consultantium (quo nomine se, & Hilarium indicat) actione suscepta, & librorum, qui errantibus displicebant, pietate laudata, quid oporteret de eorum autoritate sentiri, sancto manifestauit eloquio &c.* Et recitato celebri illo Celestini de Augustino elogio ait: *Contra istam clarissimam laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonij dignitatem audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere.* Ergone Gennadium sedulum literarum, ac librorum collectorem Celestini epistolam ad suos Mafsilienfes datam ignorasse arbitramur? Apage à Gennadio hanc ignorantiam facti. Profectò ille fatetur, se Prosperi librum contra Cassianum legisse: hæc enim scribit cap. 84. de Scriptoribus illustribus, vbi de Prospero agit: *Legi & librum aduersus opuscula sub persona Cassiani, quæ Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat nociua.* Itaq; Gennadius in cap. 42. libri Prosperi notauit, istum de Celestino scribere: *Per hunc virum intra Gallias istis ipsis, qui S. mem. Augustini dicta reprehendunt, maleloquentiæ est adempta libertas.* At quinam isti fuerunt? Cassianus, inquis, & cum eo aliqui eiusdem ordinis presbyteri. Prolegom. 5. cap. 6. num. 7. Quare Gennadius ex libro Prosperi cognouit à Celestino Cassiani, & sociorum temeritatem reprehensam, qua contra S. Augustini doctrinam insolenter insurrexerant; cognouit Prosperi pro Augustino legationem susceptam, & à Romano Pontifice lau-

datam;

datam; cognouit ex Celestini elogio ibidem inserto, Augustinum nec vnquam sinistra suspitionis tumore aspersum. His tamen omnibus probè cognitissimus Gennadius sanam Cassiani doctrinam, Prosperum infamatorem, Augustinum multiloquio errantem blaterare non extimuit.

Gennadius malè animatus fuit erga Augustinum, & Hieronymum, quos solerrime errantes odere. De S. Augustino scribit cap. 38. *Error illius sermone multo, vt dixi, contractus, lucta hostium exaggeratus, necdum heresis questionem dedit.* Quis iste error Augustini lucta hostium exaggeratus à Gennadio perperam intelligatur dicitur lib. 2. Hist. Pelag. cap. 16. Idem Hieronymo longè iniquior fuit. Scimus hunc S. Doctorem graues cum Rufino inimicitias contraxisse, de quibus superius egimus; at Gennadius palam Rufino contra Hieronymum astipulatus est: nam in laudato libro de Illustribus Scriptoribus cap. 17. ait: *Rufinus Aquileiensis Ecclesie Presbyter non minima pars fuit Ecclesie Doctorum.* At S. Anastasius Papa non eo in pretio habuit Rufinum; in epistola enim ad Ioannem Hierosolymitanum Rufinum prorsus se nihili facere hisce ostendit: *Illud tamen, inquit, scire cupio, Rufinum ita haberi à nostris partibus alienum, vt quid agat, tibi sit, nescire cupiamus.* Ipse deniq; viderit, ubi possit absolui. Laudans verò Gennadius duas Rufini inuectiuas contra Hieronymum ita scribit: *Sed & obtractatori opusculorum suorum respondit duobus uoluminibus, arguens, & conuincens se Dei intuitu, & Ecclesie utilitate auxiliante Domino ingenium agitauisse, illum uerò emulationis stimulo incitatum, ad obloquium stylum uertisse.* Ob hanc censuram pessimè audiuit Gennadius, carpsit enim Hieronymum vti oblocutorem, obtractatorem, atq; æmulationis æstro percitum. Origenis verò libros Peri-archon veluti vtilitati Ecclesie à Rufino translatos (nam hos Rufini labores Hieronymus detestatus est) affirmavit. Ex his mihi certum est, Gennadium scripsisse illum catalogum ante Synodum Romanam sub Gelasio celebratam, nam in ea Synodo pro Hieronymo contra Rufinum sententia dicta est in hæc planè verba: *Rufinus uir religiosus plurimos Ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus est. Sed quoniam B. Hieronymus eum in aliquibus de arbitrij libertate notauit, illa sentimus, quæ prædictum B. Hieronymum sentire cognoscimus.* Quæ si Gennadius legisset, nequaquam contra Hieronymum pronunciasset, neq; Prosperi opus contra Collatorem damnasset, illud enim à Gelasio in illa Synodo approbatum fuit, reiectis Cassiani, & Fausti opusculis, quæ Gennadius laudat. Atque hic disertatio nostra aduersus novos Origenis, Theodoti, ac Iuliani Pelagianorum, nec non Cassiani, Fausti, ac Gennadij Semipelagianorum defensores finem sortiatur.





INDEX

RERVM MEMORABILIVM,

quæ continentur in dissertatione de
Synodo V.

A
Cephalî contra Synodum Chalcedonen-
sem Alexandria exorti pagina 19. ijdē
dicti Hæsitantes. ibid.
 Africani Episcopi stant pro tribus Ca-
pitulis 23. Vigilium ob damnata tria
 Capitula anathemati subiiciunt 31. Nunquam
 solliciti de Origene, sed de Didymo, & Euagrîo
 70. Recipiunt Synodum V. & damnant tria Cap-
 itula 81. A Prædestinarianæ heresis nota vindican-
 tur. 184
 Agapetus Abbas Nonnum Origenistam ex Laura S.
 Sabæ expellit. 4
 Agilolphus Rex Longobardorum fauet Schismaticis
 contra Synodum V. 117
 Agrestinus Monachus furit contra Synodum V. 118
 Alboinus Rex Longobardorum Italiam inuadit. 89
 Alexius Menezius Augustinianus Archiepiscopus
 ac bis Pro-Rex laudatur 147. Damnat in Synodo
 Diamperitana Theodorum Mopsuestenum. ibid.
 S. Ambrosius cur primus sententiam dixit in Syno-
 do Aquileiensi. 137
 Anabazus metropolis Ciliciæ secundæ cur dicta Iu-
 stinopolis. 35
 Annus sine consulibus vario caractere à Fastorum
 Scriptoribus designatus. 64
 Antonius Gonca Augustinianus scribit gesta Mene-
 zij in Oriente contra Theodorum Mopsuestenum.
 146
 Aquileienses Metropolitæ & suffraganei tria Cap-
 itula contra Synodum V. defendunt 81. Excom-
 municant Narsetem Iustiniani in Italia Ducē 82.
 Cogunt Synodum contra Concilium V. ibid. Sub
 Longobardis oblatiores in schismate 89. Sedes
 Metropolitana Aquileia in Gradi insulâ transfer-
 tur 97. Iterum in Synodo stant contra Concilium
 V. 100. Illius pseudo-synodi Episcopi recitantur
ibid. Mittunt legationem superbam ad Pontificē
 101. Seuerum Metropolitanam ob damnata tria
 Capitula recusant communioni admittere 103.
 Celebrant Conciliabulum Marani ibid. Mittunt
 libellos supplices ad Mauricium Imperatorē 106.
 108. Opponunt Synodo V. Vigilij Papæ Consti-
 tutum ibid. Prouocant ad tribunal Imperatoris
 109. Scribunt Gregorio Magno 110. Pessimî eo-
 rundem mores 111. Aquileiensi Diocæsi in
 duos Patriarchas distrahitur 117. Recedunt à
 Schismate Synodo V. recepta. 118
 Aquileiensi Patriarchatus initia à Salmasio asser-
 ta reijciuntur 125. Item posita ab Henrico Palladio
 126. Vera eiusdem origo ex Schismate contra Sy-
 nodum V. 120. 127. Antiquitus Metropolitæ
 Aquileienses nunquam se Patriarchas appellarūt
 127. De præcedenti Aquileiensi Antilitis inter

Italia Metropolitæ 138. Eiusdem antiquum ius
 Metropoliticum contra Baronium, ac Sirmo-
 dum defenditur 133. & seq. Sæculo VII. à Christo
 nato non sedebat in Synodis tanquam Patriarcha
 138. Lites eiusdem cum Metropolitæ Mediolan-
 & Rauennæ 138. & seq. Consecrabatur ab Archie-
 piscopo Mediolanensi 139. Nomine tenus Patriar-
 cha 141. Eiusdem diocæsis amplitudo. 98. 142
 Ariminum erat intra Picenum Annonarium 130. Il-
 lius vrbs Ecclesia spectabat ad Põtifcē Rom-
 num tanquam Metropolitanam 129. 130. Eiusdem
 Episcopus Stephanus stat pro Synodo V. C-P.
 contra Iustinianum. 47
 Asterius non videtur fuisse Patriarcha Alexandri-
 nus. 7
 S. Augustinus satisfecit argumentis Iuliani 171. De-
 fenditur à nuperis censoribus 172. Eius exemplū
 imitari se dicit Vigilius Papa 74. Centuit mortuū
 posse damnari à Synodis 69. Laudatur à Synodo
 V. ibid. Eiusdem sex libri operis imperfecti
 contra Iulianum laudati in Synodis Lateranensi
 & Sexta Oecumenica 174. Item & à Mario Met-
 ratore eiusdem S. Doctõris coætaneo. ibid.
 Aurelianus Metropolitæ Arelatensis scribit ad Vigi-
 lium. 30

B
 Basilus Dux Mauricij contra Schismaticos pro
 Synodo V. 112
 Baronius cyclos non obseruans labitur in chronolo-
 gia 49. 52. Duos Narsetes confundit 89. Eius
 opinio de annis Imppp. Iustini II. Tiberij, & Mau-
 ricij fuscè reijcitur 92. & seq. Item & de tempore
 præturæ Vrbanae S. Gregorij PP. 95. Pelagium
 Papam cum Pegasio Episcopo Astigitano con-
 fundit. 105
 Belisarius à Iustiniano legatus ad Vigilium missus.
 47. 49
 Benenatus Metropolitæ primæ Iustinianæ contra
 tria Capitula. 31
 Benignus Episcopus Heracleæ in Pelagonia vices
 agens Metropolitæ Thessalonicensis. 33
 Bollandi opinio de tempore Synodi Aquileiensis, &
 Illyricæ reijcitur. 83

C
 Capitula tria quænam dicta 19. Damnantur edi-
 cto à Iustiniano 20. Edictum primum interci-
 disse contra Baronium ostenditur ibid. Episcopi
 Græci subscribunt edictum, secus Latini 23. Al-
 terum edictum Iustiniani contra eadem capitula
 42. Hoc modo legitur ibid. Damnantur in Syno-
 do V. 69. Damnantes tria Capitula muneribus
 ditabantur, approbantes in exilium deportaban-
 tur. 76
 Caprula in æstuarijs Venetis Episcopatus initia.

Index Rerum Memorabilium.

112. Eiusdem populus à schismate discedit. ibid.
 Capua Metropolis ciuilis Campaniæ, non Ecclesia-
 stica. 130
 Cassianus Semipelagianorū in Gallia Princeps 176.
 Impugnatur à D. Prospero ibid. Falso asseritur
 stetitisse contra Semipelagianos 177. Eiusdem do-
 ctina de gratia perperam laudatur 179. Damna-
 ta est in Synodo Arausicana. 179. 180
 Carthaginensis Antistes ius habebat in omnes Afri-
 cæ prouincias 122. Carthaginensis prouinciæ nu-
 merus. ibid.
 Codices Vaticani. 14. 111. 174

D
 Diutius Antistes Mediolanensis Vigilio in Sicilia
 occurrit 26. Resistit edicto contra tria Cap-
 itula 42. Fugit Chalcedonem 48. Diutius Medio-
 lano abest 48. Commendatur Legatis Francorum
 à suo Clero ibid. Subscribit sententiam depõsi-
 tionis Theodori Cappadocis 45. Damnat teste
 Tunonensi tria Capitula 53. Moritur, & quo an-
 no. 52
 Didymus Origenista damnatur in Synodo V. 70. Itē
 ab Ecclesia vniuersa. 70. & seq.
 Dioscorus minor quando sedit Alexandria. 7
 Diptycha Ecclesiastica erant libri membranacei 35.
 Diptycha viuentium, & mortuorum distincta
ibid. Consularia erant ex ebore 36. Imaginem, &
 nomen Consulis præferabant ibid. Ecclesiastica à
 Diacono in Missa recitabantur. 36
 Diptychion Mopsuestenum notis illustratur 37. Cur
 ab eodem expunctus Macedonius Episcopus. 38
 Domitianus Metropolitæ Ancyra in Galatia Orige-
 nista 4. Initia Episcopatus eiusdem. 6

E
 Elias Aquileiensi Antistes Sedem metropolita-
 nam Gradum transfert 97. Celebrat Synodum
 Prouinciæ ibid. Superbè respondet literis Pelagij
 Papæ 101. Accipit minaces literas à Smaragdo
 Exarcho 102. Impetrat fauorabile rescriptū à
 Mauricio Imp. ibid. Moritur. ibid.
 Elias Patriarcha Ierosolymitanus quādo mortuus. 4
 Episcopi ante consecrationem pro Synodo V. iura-
 bant. 83
 Euagrius Origenis sectator damnatur in Synodo V.
 70. & seq.
 Euagrii Epiphaniensis chronologia de annis Impp-
 Iustini II. Tiberij, ac Mauricij expenditur 94. Quo
 anno scripsit historiam Ecclesiasticam. ibid.
 Euphrasius Patriarcha Antiochenus quando obiit.
 20.
 Euphremius Antiochenus quo anno electus 21.
 Quot annos sedit ibid. Subscribit edictum contra
 Capitula. 22
 Eusebius Cæsarensis sex libros pro Origene scribit
 160. Fuit Arianus 166. Et hostis Athanasij 167.
 Damната fuit eius memoria 168. Libri pro Ori-
 gene damnantur à S. Gelasio Papa. 169
 Eutychius Patriarcha C-P. Apocrifarius Amaseni
 Metropolitæ 50. Probat mortuos posse à Synodis
 damnari ibid. Eligitur Patriarcha C-P. 51. Quo
 anno electus ibid. Mittit libellum fidei ad Vigi-
 lium 52. Origenem, eiusq; defensores infectatur
 62. Disputat cum Africanis Episcopis Eijcitur in
 exilium à Iustiniano 51. Reuocatur à Iustino 91.
 Annus mortis eiusdem contra Baronium euiden-

ter demonstratur. 92
F
 Facundus Hermianensis stat pro tribus Capitulis
 23. Malè animatus in Vigilium 29. Scribit duo-
 decim libros ad Iustinianum. 86
 Fastorum error corrigitur. ibid.
 Faustus Reienensis Semipelagianus perperam defendi-
 tur 182. Impugnatur à Patribus Africanis 183.
 Item & septem libris à S. Fulgentio 184. Eius li-
 bri damnati à Gelasio Papa. 185
 Felix Abbas Africanus pugnat pro tribus capitulis
 contra Iudicatum Vigilij 30. Excommunicatur à
 Pontifice, & in exilium truditur. ibid.
 Ferdinandi Vghelli tabulæ Italiæ sacræ suppletæ, &
 correctæ. 45. 47. 142
 Fori Cornelij Ecclesia olim spectabat ad Metro-
 politam Mediolanensem. 133
 Forum-iulium num idem cum Vrino. 99

G
 Gennadius Massiliensis perperam defenditur à
 Semipelagianismo 188. Augustinum, ac Hie-
 ronymū reprehendit 189. Rufino addicū. ibid.
 Georgius Monachus Origenista præficitur Laura S.
 Sabæ 5. Expellitur. ibid.
 Gothi Vrbem obsident 26. Gothici belli sub Iusti-
 niano chronologia vulgaris reijcitur. 54
 Gregorius Magnus quando Prætor Vrbis 95. Quo
 anno scribit libros Dialogorum ibid. Turat contra
 tria Capitula pro Synodo V. 96. Mittitur Apo-
 crifarius C-P. ibid. Fit Pontifex 108. Seuerum
 Aquileiensem cum Schismaticis Itriæ Episcopis
 Romam euocat ibid. Scribit ad eosdem 110. Vi-
 ros illustres contra Schismaticos concitat 112.
 Scribit de iisdem ad Theodelindam 113. Item ad
 Brunehildam 114. Episcopos recedentes à schis-
 mate benignè recipit ibid. Præscribit formulam
 pro abiurando schismate 115. Gratulatur impe-
 rium Phocæ 116. Moritur. ibid.

H
 Heraclij Imperatoris Ecthesis 71. Damnat in ea
 Origenitas. ibid.
 Heraclea vrbs Pelagoniæ in Macedonia 33. Eadem
 Lyncestidum dicta. ibid.
 Hierarchiæ Ecclesiasticæ diuisio. 120
 Hispani defendunt tria Capitula 88. Non inde tamē
 Schisma constarunt. ibid.
 Humana vrbs Piceni. 46

I
 Ibas Episcopus Edeffenus cogitur Nestorium in
 Synodo damnare 145. Eius Epistola ad Marim
 Persam erat tertium Capitulum 19. Plena errori-
 bus 148. Scripta est post initam concordiam in-
 ter S. Cyrillum, & Ioannem Antiochenum 149.
 Non sedit simul cum Rabbula, sed post ibid. Theo-
 dorum Mopsuestenum laudat 54. Eiusdem doctri-
 nam propagat 151. Deponitur à Dioscoro 148.
 Restituitur à Synodo Chalcedonensi. ibid.
 Illyrici Episcopi tuentur tria Capitula 31. Synodum
 celebrant pro eisdem Recipiunt Synodum V. dam-
 natis Capitulis. 81
 Illyricum sæpè regebat Præfectus Pr. Italiæ. 136
 Ingenninus Episcopus Sabionensis in Rhætia appro-
 bat in Synodo tria Capitula 98. 104. Subscribit
 libellum supplicem ad Mauricium Imp. contra
 S. Gregorium PP. 109. Discedit à Schismate, &
 piē



Index Rerum Memorabilium.

piè obit 119. Inter Sanctos colitur. ibid.
 Ioannes Abbas Origenistarum tumultus prædicit. 3
 Ioannes Delphinus S. R. E. Cardinalis, & Patriarcha Aquileiensis laudatur. 142
 Ioannes Rauennæ Antistes fuit semper Catholicus 103. Error insignium scriptorum de eodem ibid. Excubat contra Schismaticos 108. Gregorius Papa librum eidem nuncupat 103. Eius mors Gregorio molesta. ibid.
 Ioseph Suarez Præful eruditissimus 175. Optimè de Augustiniana Schola meritis. ibid.
 Iustinianus Imperator suffectus Iustino viuenti 85. A S. Saba cõtra Origenistas excitatur 4. Curat damnari Origenem 10. Libenter causis Ecclesiasticis sese immiscebat ibid. Perperam ab Halloix carpitur 12. Eiusdem edicta contra hæreticos laudantur ibid. Non fuit Analphabeticus, ac literarum rudis 14. Eiusdem Theologicum studium 15. Imperij curam Theologiæ postponebat 16. Vulgo dictus *Synodita* 19. Publicat edictum contra tria Capitula 29. Scribit contra Synodos Africa, & Illyrici 32. Synodum Chalcedonensem eximie coluit 33. Euocat ad Synodum C-P. Vigilium Papam 24. Item Primates Africa 33. Eiusdem edictum de die Paschatis defenditur 25. Curat Synodum Mopsuestiæ indici 35. Muneratur damnantes tria Capitula 41. Publicat contra eadem alterum edictum 42. Sacrilegè in Vigilium furit 44. Frustra ab Hæreticis recetioribus defenditur ibid. Mittit milites ad domum Vigilij custodiendam. ne fugiat 47. Nobilem legationem ad eundem destinat 49. Hortatur Synodum, vt Origenem damnet 55. 65. Eiusdem sanctio pro Italia restituenda 75. Quo anno mortuus. 85. & seq.
 Iustiniana prima quando in metropolim erecta. 31
 Iustinus I. Imp. literarum nescius. 14
 Iustinus II. reuocat ex Italia Narsetem 89. Extruit C-P. Orphanotrophium 15. Quantum regnauit 91. Annus mortis eiusdem. ibid.

L

Laurentius Metropolitæ Mediolanensis quo anno electus 90. Iurat contra tria Capitula. 89
 Leo Magnus perperam aseritur sequefter pacis inter S. Prosperum, & Cassianum. 179
 Liberatus Diaconus Carthaginensis probat tria Capitula 75. Scripsit sub Iustiniano. 41
 Longobardi Italiam inuadunt 89. Mediolanum capiunt. 90

M

Macedonius Episcopus Mopsuestiæ defecit ad Arianos 38. Recusat damnare Arium in Synodo Mediolanensi ibid. Non fuit scriptus in diptychis suæ Ecclesiæ. 37
 Maranum oppidum propè æstuarium Venera 103. Celebratur ibidem conciliabulum contra Synodum V. ibid.
 Martinus Papa in Synodo Lateranensi damnat Origenem, Euagrium, ac Didymum. 71
 Massilienses Semipelagiani perperam ab errore vindicantur. 181
 Mauricius Imp. quo anno electus 93. Eius consularis ibid. Rescribit in fauorem Schismaticorum. 110. 111. Quot annos regnauit 94. Occiditur à Phoca. 115
 Mennas Patriarcha C-P. Origenem damnat 12. Sub-

scribit edictum contra tria Capitula 22. Celebrat Synodum C-P. 5. Suspenditur à communione à Vigilio 27. Vigilium sacris diptychis restituit 28. Iterum communione priuatur 45. Veniam impetrat 50. Moritur. ibid.
 Metropolitæ quinam dicuntur 121. Primi Metropolitæ regnorum olim dicti Patriarchæ 124. In prouincijs Vicarij Urbis nullus olim Metropolitæ 128. Basilicarum consecrandarum facultatem dabant 129. Metropolitæ penes titulum 141. Mediolanum fuit Metropolis ciuilis, & Ecclesiastica Liguria, & Emilia 133. Metropolitæ in Italia quot, & de eorundem præcedentia 127. & sequ. Messanenſis Antistes antiquitus non fuit Archiepiscopus. 130
 Monachi S. Sabæ ab Origenistis multa perpeſsi 56. Mittunt Oratorem ad Iustinianum ibid. Expellunt à Laura Origenistas 11. Monachi Sanctissimi VI. Sæculi Origenem damnarunt. 161
 Monothelitæ fallant acta Synodi V. 58
 Mopsuestiæ Synodus 35. Diptycha eiusdem Ecclesiæ 37. Illius vrbis Episcopi recensiti. ibid.

N

Narses à Theodora Augusta mittitur Alexandria pro tollendo Schismate 54. Quo anno Gothos Italia eiecit 53. Excommunicatur à Schismaticis 82. Reuocatur imprudenter à Iustino Imp. 89. Diuersus à Narsete Armeno. ibid.
 Nonnus Monachus Origenistarum princeps in Palæstina 3. Expellitur à Laura Sabæ 4. Iterum recipitur ibid. Quo anno turbas inter Palæstinos Monachos concernerit 6. Turpiter moritur. 11

O

Origenes Pelagianorum magister 1. Edicto damnatur à Iustiniano 10. Confirmatur edictum à Iustiniano 10. Confirmatur edictum à Vigilio, & Patriarchis 13. Fuit Arianorum Pater, & fons 17. Damnatur ab Ecclesia Romana ibid. Item ab Heracla, & Demetrio Alexandrinis 17. Eius libri ab Imp. vetiti 18. Damnatur in Synodo V. 55. Id pluribus suadetur 58. Suppresso nomine in alijs quatuor Synodis damnatus 61. Hydra omnium hæreseon ibid. Eius doctrina de gratia perperam dicta *Catholicissima* 154. Diuina gratia hõitis fuit 155. 156. Ita etiam tradit S. Thomas ibid. Pelagius nunquam Origenem in testem vocauit. 157
 Origenistæ turbas in Palæstina excitant 3. Sibi aduersantes *Sabaitas* nuncupant 5. Curant damnari tria Capitula 22. Damnantur in Synodo V. 69. Eiecti è Palæstina. 81

P

Pascha Anni 546. rectè à Iustiniano intimatum. 25.
 Patriarchæ quinam dicti 121. In quo conueniant cum Autocephalis 123. Patriarchæ nomen quando primum in Synodo inaudicum 124. Tres tantum olim fuere. ibid.
 Paulus Abbas Tabennensiotarum 8. Fit Patriarcha Alexandria ibid. Deponitur 9. Ingentem vim pro restitutione Sedis Iustiniano offert. ibid.
 Pauli Diaconi error 121. Corrigitur 103. 104. Fingit Smaragdum inualus à Damone. ibid.
 Paulinus Aquileiensis celebrat conciliabulum contra Synodum V. Consecratur à Metropolitæ Mediolanensi 83. Increpatur acriter à Pelagio Papa. 84.

Index Rerum Memorabilium.

Pelagius I. fuit antea Apocryfarius Vigilij apud Iustinianum 9. Consecrat Zoilum Patriarcham Alexandrinum ibidem. Accipit libellos contra Origenem ibid. Huius damnationem C-P. vrget 10. Defendit tria Capitula 79. Mittitur in exilium 77. Succedit Vigilio 79. Damnat tria Capitula 80. Falsa de eodem opinio refellitur ibid. Malè audit in Occidente ob damnata Capitula ibid. Scribit ad Narsetem contra Schismaticos Venetos 81. Increpat Paulinum Aquileiensem 84. Concitat Narsetem contra Schismaticos ibid. Moritur, & quo anno. ibid.
 Pelagius II. in Pontificatum 96. Permittit sedem Metropolitanam Venetæ prouinciæ Gradum transferri 97. Mittit legatos cum literis ad Venetos schismaticos 100. Scribit iterum & tertio ad eosdem ibi. Excitat in eisdem Smaragdum 102. Damnauit Origenem 105. Quid de contrarijs Vigilij decretis dixit 107. Moritur pestilentia 104. Pentapolis prouincia in Italia erat pars Piceni 46. Eiusdem vrbes recensentur. ibid.
 Petrus Patriarcha Ierolimitanus subscribit edictum contra tria Capitula 22. Eius obitus quo anno contigerit. ibid.
 Primates qui dicantur 121. Primates Autocephali iurisdictionem habebant in Metropolitæ Autocephaliæ ibid. Primas Africa V. Carthaginensis Antistes. Primates Africa à Iustiniano C-P. euocantur. 33.
 Primasius Adrumetinus C-P. venit 41. Defendit tria Capitula ibid. Mutat sententiam 41. Deponitur à Synodo Byzacena ibid. Sitne idem, qui scripsit commentarios in epistolam Pauli. 46.
 Procopius Christianorum disputationes de Deo contemnit 48. Eiusdem error in numerandis annis belli Gothici. 54.
 Prosper Aquitanus Cassianum impugnavit. 177. & seq. Non fuit conciliatus Cassiano auctore Leone Magno. 179.

Q

Viriaci Anachoretæ chronologia 6. Non subscripsit Synodum C-P. sub Menna ibid. Prædicit Origenistarum exitum. ibid.
 Quadragesimæ Græcorum initium quo die. 25.

R

Abbas Metropolitæ Edessenus Theodori Mopsuesteni inimicus 150. Eius conuersio 149. Impugnat libros Theodoretæ contra S. Cyrillum 150. Non sedit simul cum Iba ibid. Fuit legitime electus. 149.
 Rauenna ante Valentinianum III. non fuit Metropolis Ecclesiastica 128. Erat olim metropolis ciuilis Piceni Annonarij 130. Postea Emilia addita fuit ibid. Quinam primus eiusdem Archiepiscopus 132. Illius Antistes quandoque primus fuit inter Metropolitæ Italia. 140.
 Redemptus Episcopus Legatus sedis Apostolicæ ad Schismaticos Itria. 100.
 Reparatus Primas Carthaginensis C-P. euocatur 33. Defendit tria Capitula 40. Falso prætextu relegatur ibid. Moritur in exilio. 41.
 Roma quo anno à Belisario recuperata 54. Iterum capitur à Totila 55. Narses Dux Iustiniani eandem recuperat. 53.
 Romanus Exarchus fauet Schismaticis 110. S. Gre-

gorio Papæ inensus ibid. Moritur. 112.
 Rufinus Aquileiensis Pelagianorum magister 158. Interpretatur primum librum sex Apologeticorum Eusebij pro Origene ibid. Edit illud volumè sub nomine Pamphili Martyris 159. Frigidè doctum excusat ib. Eiusdem fraus manifestatur. 162.

S

Abas Abbas in Palæstina 3. Origenistas apud Iustinianum Imp. accusat 4. Quo mense natus 21. Moritur. 4.
 Salmasij opinio de Primatibus Autocephalis reijcitur 121. Item de die ordinationis Episcoporum. 122. Præterea de initijs Patriarchatus Aquileiæ 125. Fatetur summam Romani Pontificis auctoritatem. 126.
 Seuerus Aquileiensis Schismaticus vi Rauennam à Smaragdo deducitur 102. Damnat ibidem tria Capitula ibid. Non consensit hæresi Manichæorum 102. Celebrat Synodum, & ad schisma relabitur 109. Fouet Episcopos Schismaticos 112. Vexat volentes à schismate recedere 114. Euocatur Romam à Gregorio 108. Cõfugit ad Mauricius Imp. 109. Moritur 110. Inscriptio de eodem in aula Patriarchali Vtini corrigenda. 104. Smaragdus Exarchus minaces literas ad Heliam Aquileiensem mittit 102. Accipit mandata ab Imp. in fauorem Schismaticorum ibid. Seueram Metropolitam capit, ac Rauennam abducit 102. Non fuit à Damone inualus 103. Reuocatur ex Italia ibid. Iterum in Italiam mittitur 114. Eundem per literas hortatur Gregorius ad compescendos Schismaticos. 115.
 Sirmium metropolis Pannoniæ II. 136. Regebatur per Consularem. 137.
 Suida textus restituitur 14. Error eiusdem. 15.
 Synodus Quinta indicitur Constantinopolim 24. Pergit eò Vigilius Papa ibid. Eius Coryphæi Origenistæ 63. De anno Synodi opinio Lupi V. C. reijcitur 64. Inchoatur 65. Quot in ea Patres sederint ibid. Vigilius recusat eidem interesse 66. Publicat sententiam contra tria Capitula. 69. Damnat Origenem 55. Eiusdem acta falsata à Monothelitis 71. Acta sincera, & germana producantur 72. In libros plures digesta erat ibid. Tollit dissidia in Oriente 81. Consecratur eius memoria in Synodo VI. 154. Defenditur ab obiectis passim tota dissertatione vsque ad pag. 154. Synodi Schismaticorum Aquileiensem contra Concilium V. 82. 98. 102. 103. 109.
 Synodus Diamperitana in Indijs Orientalibus contra Theodorum Mopsuestenum. 147.
 Synodus Mopsuestiæ contra eundem. 35.
 Synodi Antiochenæ subscriptiones an legitimæ 38.

T

Theodelinda Regina Longobardorum initio fauet Schismaticis 113. Reuocatur à Gregorio ad Catholicam communionem. ibid.
 Theodora Augusta vxor Iustiniani fauet Acephalis 19. Vrget damnationem trium Capitulorum ibi. Pacis sequeſtra inter Vigilium, & Mennam 27. Moritur cancro corroſa 29. Fuit hæretica. 30. Theodoretæ scripta contra S. Cyrillum erant secundum Capitulum 19. Damnantur in Synodo V. 66. Scripsit ne Epistolam insultans morti Cyrilli 67. Semper duodecim capitula eiusdem Cyrilli 86 auct.



Index Rerum Memorabilium.

Tuerfatus est ibidem. Tergiuersatur in damando
 Nestorio 152. Deponitur à Dioscuro ibid. Quam
 pessimè a plurimis audiret ibid. Restituitur se-
 di. 153.
 Theodoricus Gothorum Rex literarum rudis. 14.
 Theodorus Casarea in Cappadocia Episcopus Ori-
 genis sectator 4. Initia Episcopatus eiusdem 6.
 Iustiniano Imperatori carus 18. Pelagij Legati
 Pontificij amulus 19. Non fuit Acephalus 27. 42.
 Molitur damnationem trium Capitulorum 19.
 Legendum publicè curat librum de eorumdem
 damnatione 40. Author edicti publicati contra
 tria Capitula 42. In edicto non nominat cum ha-
 reticis Origenem. ibid. Concitat Iustinianum
 contra Vigilium 45. Excommunicatur à Vigilio
 ibid. Veniam petit, & impetrat. 50.
 Tiberius II. Imp. à Iustino adoptatus, & quo anno
 90. 91. Quando Consul 97. Anni imperij, &
 mors. 92.
 Totila urbem obsidet. 26. quo anno occisus. 53.

Valentinus Episcopus Syluæ candida capitur à
 Gothis 26. Manus eidè amputantur ibid. Stat
 cum Vigilio C. P. pro tribus Capitulis. 45.
 Verona pertinebat ad Consulare Venetia. 133.
 Eiusdem verò Ecclesia ad Metropolitam Medio-
 lanensem. ibid.
 Vlpiana ob tria Capitula seditio exoritur. 48.
 Vicarius Urbis quas pronicias regebat. 129. Iuxta
 illius iurisdictionem non rectè statuitur Diocesis
 Metropolitana Romani. ibid.
 Victor Tunonensis defendit tria Capitula 23. Rele-
 gatur 15. 88. Disputat cum Eutychio Patriarcha
 15. Moritur C. P. 88.
 Vigilus Papa approbat edictum Iustiniani contra
 Origenem 13. Recusat subscribere edictum Prin-

cipis contra tria Capitula 23. Roma ad Synodum
 C. P. discedit 24. Quo anno id contigerit ibid.
 Diutius substat in Sicilia 25. Plures ibidem lega-
 tiones excipit 26. Eius iter C. P. 27. Urbem re-
 giam ingreditur, & qua die ibid. Publicat anathe-
 ma contra Acephalos, ac Mennam sacris interdicit
 ibid. Vim patitur à militibus Iustiniani. 28.
 Synodum cogit, dein dimittit ibid. Scribit *Iudi-
 catum* contra tria Capitula ibi. Mauult Synodum
 cogi in Italia 32. Rogat Iustinianum, vt Belisa-
 rium in Italiam mittat 34. Retrahat *Iudicatum*
 ibid. Resistit edicto contra tria Capitula 42. Fu-
 git in Ecclesiam 44. Armata manu aggreditur
 ibid. Excommunicat Mennam, ac deponit Theo-
 dorum Cesareensem 45. Neutram sententiam
 publicat 47. Nobilem legationem à Iustiniano
 suscipit ibid. Fugit Chalcedonem 48. Alteram
 ibidem legationem excipit 49. Scribit Encycli-
 cam de suis calamitatibus ibid. Parcit Mennæ, ac
 Theodoro 50. Accipit libellum fidei à Patriarchis
 Græcis 52. Perit vt æquato numero Latinorum,
 ac Græcorum Patrum Synodus fiat 63. Legati Syn-
 nodi V. ad eundem 65. Recusat interesse Syno-
 do 66. Scribit *Constitutum* contra gesta Synodi V.
 68. Postea mutata sententia probat Synodum, &
 abrogat *Constitutum* 74. Protestatur se exem-
 plum S. Augustini eo facto secutum ibidem. Non
 fuit missus in exilium 74. Insignem functionem
 pro Italis obtinet à Iustiniano 74. Romam re-
 diens moritur 77. Eius inconstantia in causa
 trium Capitulorum variè accepta. 78.
 Vtinum non est antiquum Forumulium. 97.

Zoilus eligitur Patriarcha Alexandrinus 9. Recu-
 sans damnare tria Capitula deponitur. 43.



ERRATA CORRIGE:

Pag. 11. versu 25	autca	ancca
Ibid.	41 Patriarbis	Patriarchis
15	22 capeseret	capeseret
30	8 Theodora	Theodora
54	17 iudicatus	indicatus
Ibid.	26 secundi anni	secundus annus
65	7 habit	habita
67	13 Damno	Domno
132	39 Pacriarchale	Patriarchalem
136	31 Sadera	Iadeta
	Deprando	} vbiq̄ sine diphthongis;
	Comprahendo	
	Reprahendo	







